HENR. LAMPE, J. U. D.

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICA

4.

DE

HONORE, PRIVILEGIIS ET JURIBUS SINGULARIBUS MEDICORUM,

IN GRONINGO-OMLANDICA ACADEMIA

EX PARTE NUPER,

QUUM DOCTORIS PRIVILEGIA IMPETRARET,

PUBLICE EXCUSSA,

NUNC

ACCESSIONIBUS QUIBUSDAM AUCTA.

GRONINGÆ,

Ex Officina HAJONIS SPANDAW. 1736.

PERILLUSTRI. ET. AMPLISSIMO.
INCLYTÆ.
S.R.G.IMP.LIBERÆ. REIPUBLICÆ. BREMENSIS.

SENATUI.

VIRIS.
PERQVAM. MAGNIFICIS. EXCELLENTISSIMIS. NOBILISSIMIS. CONSULTISSIMIS. GRAVISSIMISQVE.

DN. CONSULIBUS.
DN. SYNDICIS.
DN. SENATORIBUS.

PATRIBUS. PATRIÆ.
LIBERTATIS.
ÆQUE. AC.
SALUTIS. PUBLICÆ.
CONSERVATORIBUS.

PATRONIS. ET. FAVITORIBUS.
SANCTE. REVERENDIS.
ATQUE.
SUBMISSE.

*2 ET.

ET. HOS. INTER.

PARENTI.

BENEVOLENTI. SUO.

PIISSIME. COLENDO.

E T.

RELIGIOSE.

OPELLA. HÆC. INAUGURALIS.

E A.

QUA. PAR. ÆQUOMQUE. EST.

VENERATIONE.

JUGIQUE CULTU.

DEVOTA. ESTO.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICA.
DE
HONORE, PRIVILEGIIS ET JURIBUS SINGULARIBUS MEDICORUM.

ANtiquum illud Medicorum facile Principis Galeni proverbium, *non vivere ſed valere vitam eſſe*, non ejus demum ævo natum, ſed a longiſſima retro antiquitatis memoria, ipſa re dudum comprobatum eſt. Certe, ſi ad remotiora animum adjicere lubeat tempora, priſca ætate Medicam artem univerſam, & omne,

Quod natum Phœbus docuit, Chiron quod Achillem,
Quod didicere olim Podalirius atque Machaon,

intra Regum Principumque colebatur palatia, teſtante ÆLIANO *Hiſt. Animal. L.* II. *c.* 18. *p.* 96. Sic Saborem & Gygem Medorum, Mithridatem Perſarum Reges a-

liosque Regiæ prosapiæ Viros Medicinam fecisse testatum reperimus. LAURENTII *Var. Antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 127. NEAND. *de Medic. natalit. & sect. p.* 67. De Arabum Principibus res notior est, quam ut probatione valde indigere videatur. Sed & ex Scotorum gente nonum Regem Josinam Medicinæ operam suam impendisse, ex BUCHANANI *Hist. Scot.* memorat elegantissimi ingenii JCtus ÆG. MENAGIUS *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 230. Conf. ROB. SIBBALT. *Scotia illustrat. p.* 70. Neque tamen omni tempore defuere, qui, illud SIRACIDIS *c.* XXXVIII: ℣. I. Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὴν χρείαν αὐτοῦ. Καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισε ὁ ὕψιστος. Παρὰ γὰρ κυρίου ἐστὶν ἴασις, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόμα, *Honora Medicum propter necessitatem; nam creavit eum Altissimus: a Domino enim est Medicina, & a Rege dona capiet*, susque deque habentes, huic arti *neque apud ægros usum, neque apud sanos honorem*, quod SENECA *de Clement. L.* I. *c.* 2. *p.* 189. ait, esse voluerunt. Inter hos nomen suum profiteri videtur PLINIUS *H. N. L.* XXIX. *c.* I. qui, quamvis vitia Medicinæ tantum se perstringere constituisse asserat, parum tamen abest, quin ipsi arti convitium scripsisse censeri possit. Hujus quoque commatis sunt illa Pausaniæ, Plistonactis filii, dicteria in PLUTARCHI *Apophth. Lacon. Opp. Varior. Tom.* I. *p.* 410., quibus se senem factum, quia Medicum non adhibuisset, se nihil mali habere & adhuc vivere, quia Medicum non esset expertus, contendebat; atque illum κράτιστον ἰατρὸν εἶναι τὸν μὴ κατασήποντα τοὺς ἀρρωστοῦντας, ἀλλὰ τάχιστα θάπτοντα, *optimum dicebat esse Medicum, qui ægrotos non conficeret putrescendo*,

ſcendo, *ſed quam primum ſepeliendo.* Novaturientia vero ſecula amplam hujusmodi Ἰατρομαστιγῶν protulere meſſem. In hunc cenſum præcipue veniunt vaniſſimus vanitatum ille effictor CORN. AGRIPPA *de incert. & vanit. Scient. c.* 83. ANT. de GUEVARRA *Epiſt. Part.* I. *p.* 103. *ſeqq.* aliique haud exiguo numero, &, qui peculiaribus libris id argumentum ſibi tractandum ſumſerunt C. de BEZANCON in Opuſculo, cui titulum fecit: *Medecins a la Cenſure, ou Entretiens ſur la Medicine*, nec non Autor, qui latere voluit, libri, quem inſcripſit: *Le Medecin de ſoi-meme ou l'art de conſerver la Santé par l'Inſtinct*, uti & GED. HARVEUS *de vanitatibus, dolis, & mendaciis Medicorum.* Sed has maculas Medicæ arti aſperſas abſterſere, & ſummæ utilitatis atque neceſſitatis manifeſtæ egregiæ hujus ſcientiæ ſtrenui vindices exſtitere RODERICUS, *Epiſcopus Zamorenſis in Specul. vitæ hum. L.* 1. *c.* 32. TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. paſſim, &, qui hujus haud raro compilaſſe ſcrinia videtur, NEANDER in præloquio libro ſuo de *Medic. natal.* præmiſſo, BOUSSACUS *Noct. Theol. Diſſ.* XII. *p.* 185. *ſeq.* atque nuper admodum V. C., G. P. OLEARIUS in Diſſertatione, quam *Morale antidotum vulgo Medicos nauſeanti oppoſitum* vocavit, & qui ſunt reliqui bene multi. Quum vero & eo argumento Medicis dicam ſcribi animadverterem, quod Antoninus Imp. in *l. 6. ff. de excuſat.* Medicis tantum, qui Περιοδευταὶ, ſeu circulatores, vocantur, immunitatem a muneribus indulſerit, & complures eſſe obſervarem, qui hoc nomine eos, qui, nubem pro Junone vendentes, hodieque per fora &

A 2 circu-

circulos curſitant & blaterant, venire putant; forte fortuna MENAGII, *Am. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 209. *ſeqq.* in hanc rem elegantiſſima ſe mihi obtulit obſervatio, quæ me permovit, ut illum, licet minime æquis paſſibus, ſequerer, & *de honore, privilegiis, & juribus ſingularibus Medicorum* aliquid commentari in animum inducerem. In qua ego quidem eo magis perſtiti ſententia, quo minus hoc argumentum hactenus accuratiore ſtylo pertractatum eſſe animadvertebam. WOLFG. SATTLERI, *dicti Wyſenburgeri, Diſſertatio de jure & privilegiis Medicorum*, quæ *Baſileæ* 1609. prodiit, & inter Baſileenſes recuſa proſtat, meris theſibus abſolvitur, in quibus, ſi id, quod verum, dicendum, præterquam, quod ipſi admodum curta ſit ſupellex, quadrata miſcet rotundis. De CHRISTOPH. BOOT *Diſſ. Inaug. de privilegiis Medicorum. Duisb.* 1697. (quæ Patroni, cujus ſancta mihi ſemper erit veneratio, ſtudiis meis faventiſſimi, quo,

Sive aliquod morum, ſeu vitæ labe carentis
Eſt pretium, vix quis pluris emendus erat,

beneficio mecum communicata eſt,) malo aliorum rerum intelligentium quam meum eſſe judicium, ne, quod fieri aſſolet, conterranei quondam mei aut favori aut odio quid dediſſe videar. MELCH. GOLDASTUS *in paradoxo de honore Medicorum. Franc.* 1620. in explicandis vocibus τιμᾷν, *honorare, honor &c.* & exponendo *Siracide c.* XXXVIII. *v.* I. totus eſt; ſed magis ad rem præſentem confert POLYC. FRID. SCHACHERI *Diſſ. de honoribus Medicorum apud*

apud veteres, quæ tamen etiam circa Christi tempora subsistit. Non autem illud dissimulandum est, mihi non licuisse esse tam felici, ut ALB. GENTILIS *Comm. ad l.* 3. *Cod. de Prof.* & *Med.*, quem ejus libello de Maleficiis annexum esse perhibetur, alicubi excutere potuerim. Quare, cum sæpius mihi sine pelle natandum fuerit, æquus arbiter, sicubi errorem

incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura,

facile veniam dabit. Dicendorum vero summa tribus potissimum absolvetur capitibus, quorum primo in vim atque significationem vocum *Medicus*, *honor*, *privilegium*, *jus singulare*, qua fieri poterit brevitate, inquirere constitui. Altero historiam, non quidem Medicinæ, siquidem longa nimis hæc foret fabula, sed honorum apud Judæos, Ægyptios, Græcos ac denique Romanos Medicis exhibitorum pertexere allaborabo; qua in re tamen illam mihi dixi legem, ut his, quam illis, diutius immorer. Postremo loco privilegia & jura singularia, quæ Medicis, qua talibus, non vero qua Doctoribus, in Juris nostri voluminibus indulta leguntur, propius expendere decrevi. Differetur itaque

CAP. I.
DE
SIGNIFICATIONE VOCUM: MEDICUS, HONOR, PRIVILEGIUM, JUS SINGULARE.

§. I.

MEdici vocabulum Latinis, æque ac Græcis τȣ̃ ἰατρȣ̃, admodum eſt πολύσημον. Si prima ſpectetur origo, Græcis ἰατρὸς non Medicum Clinicen exercentem, ſed, quem jam Chirurgum appellamus, indigitat. Ita HOMERUS *Il.* λ. inquit:

Ἰητρὸν μὲν ὀίομαι ἕλκος ἔχοντα
Χρηΐζοντα καὶ αὐτὸν ἀμύμονος ἰητῆρος.

Medicum ego quidem puto vulnus habentem
Indigere & ipſum inculpato Medico.

Cui plane conſentaneum eſt, quod PLUTARCHUS *de diſcrim. adulat. & amici*, *Varior. Opp. Tom.* I. *p.* 124. ait: Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. *Aliorum medicus ipſe vulneribus ſcatens.* Quibus adagialibus loquendi formis vix commodus conſtaret ſenſus, niſi τȣ̃ ἰατρȣ̃ appellatione vulnerum Medicum venire quis largiatur. Atque eadem vocis notione HOMERUS *Il.* λ. *v.* 827. *ſeqq.* Patrocli, quem ibi Eurypylus ad exſcindendam ſagittam advocat, præceptores Podalirium & Machaonem ἰητρȣ̀ς appellat. Et forſan ex hac quoque ratione SEXTUS EMPIRICUS *adv. Mathem. L.* I. *c.* 2. Ἰατρικὴ εἴρηται τὸ παλαιὸν, ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως, *medicinam a telis eximendis olim* ἰατρικὴν *dictam eſſe* contendit. Conf. MENAGII *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 227. Neque aliunde vocem Σακτᾶν, quo Thebani, Phœnicum colonia, Medicum, teſte STRAT-

TIDE

TIDE apud ATHEN. *Deipnos. L.* XIV. *p.* 622. significabant, originem duxisse censeo. V. SPANHEM. *ad Aristoph. Plut. v.* 680. Nec enim longius a vero videtur abludere, σακίαν ἀπὸ τῶ ἀκεῖσθαι (ἄκεσις enim sanationem notat. V. BOS *Animadv. in Script. Græc. c.* 23. *p.* 94.) *a sanando* descendere; præcipue, cum vocem hanc frequentius de sanatione vulnerum & ulcerum usurpari inter Lexicographos constet. Quin & ἡ ἰατρὸς obstetricem, vel ἰατρίνην, significat, auctore Ælio Dionysio apud Eustathium.

§. II.

Apud Romanos minime angustior vocis *Medicus* erat usus. Comprehendebantur enim illa non hi solum, qui morbis, sed & qui vulneribus medebantur; atque adeo amplum Medicinæ nomen erat, ut & universam exteriorum corporis humani partium curam ambitu suo complecteretur. *l.* 1. *§.* 3. *ff. de extraord. cognit.* V. PLINIUM *L.* XXIX. *c.* 1. BRISSON. *de V. S. L.* XI. *p.* 612. & *Select. ex Jur. Civ. Antiqq. L.* II. *c.* 4. *p.* 1085. HERTII *Diss. de inspect. ocular. §.* 28. *Opusc. Vol.* 1. *Tom.* 3. *p.* 252. LAURENTII *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 128. PITISCI *Comm. ad Sueton. in Vespas. c.* 5. *p.* 951. HUBERI *Prælect. ad tit. Inst. de L. Aquil. §.* 3. *p* 453. & *ad tit. ff. de extraord. cognit.* §. 2. *p.* 750. CUJAC. & SCHULTING. *in not. ad Julii Pauli Sent. Recept. L.* III. *T.* 6. §. 62. Sed, quum vix hominis vitam omnibus medicæ artis partibus addiscendis sufficere intelligerent Romani, factum est, ut illi demum plenum Medici meruerint nomen, qui unius partis sanandæ peritiam profiterentur. V. SCRIBONII LARGI *Epist. ad C. Jul. Callistum.* Atque in eam sententiam accipio, quæ RHODIUS *Diss. de Acia c.* XI. *p.* 163. tradit, Galenum videlicet asserere, Chirurgos a Medicis Romæ aperte separatos fuisse. Sin enim id vellet Rhodius, morborum Medicos nunquam in Chirurgorum transiisse fines, ipse plane GALENUS *de curat. per sang. miss. L.* 1. ei obloqueretur, ubi se aliquotiens venas aperuisse narrat. Quum vero

prima-

primario Medici vel morbis mederentur, vel vulneribus, V. CICERO *de Orat. Lib.* III. inde alii, Medici Clinici, alii, Medici Chirurgi vocabantur. Medici Clinici lectulis ægrotorum morbo cubantium assidebant, unde & a κλίνη, quæ vox lectum valet, nomen sortiti esse videntur. Officium eorum graphice depingit HORATIUS *Lib.* I. *Sat.* I. *v.* 80. *seqq.*

At, si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit: habes qui
Assideat, fomenta paret, Medicum roget, ut te
Suscitet ac reddat gnatis carisque propinquis.

Meminit quoque Ti. Claudii Juliani, Medici Clinici, inscriptio apud REINESIUM *in Syntagm. Inscr. ant. Class.* XI. *Inscr.* 7. *p.* 611. atque P. Decimii Erotis Merulæ, apud GRUTERUM *Tom.* I. *p.* CCCC. *Inscr.* 7. quin & Juliæ Quintianæ, fœminæ Clinices, mentio fit itidem in GRUTERI *Corp. Inscript. Tom.* I. *p.* DCXXXV. *Inscr.* 10. Insequenti tamen ævo ipsi ægri lecto affixi Clinici audiebant, V. PITISC. *Lex. Antiqq. Rom. T.* I. *p.* 470. quî factum, ut denique circa Cypriani tempora in lecto, morti proximi, baptismo aspersi Clinici vocarentur, de quibus uti omnis primæ Ecclesiæ historia plena est, ita de illis præcipue conferenda V. C. JO. AND. BOSII *de Clinicis veteris Ecclesia* pererudita *Dissertatio.*

§. III.

Quamvis vero altera Medicinæ pars, quæ circa vulnera occupata erat, non uno absolveretur negotio; erant tamen, qui universam hanc vulnerariam artem profitebantur, seque Medicos Chirurgos vocitabant. Ast rarior est hæc appellatio, & vix, quod sciam, in omnibus Juris nostri libris eam reperire licebit; in quibus & hi quoque generali Medicorum vocabulo non uno loco veniunt, ceu tum ex PAULI *Recept. Sentent. L.* III. *T.* 6. *§.* 62. tum ex *l.* I. *§.* 3. *ff. de extra- ord.*

ord. cognit. l. 7. *§.* 8. *l.* 8. *pr. ff. ad L. Aquil. §.* 6. *Inst. eod.* luculenter patet. Et hinc est, quod PAULUS *Recept. Sent. l. c.* & in *l.* 18. *§.* 10. *ff. de instr. vel instrum. leg.* emplastra, ferramenta & cetera ejus generis in instrumento Medici esse dicat. Servarunt tamen Medicorum Chirurgicorum memoriam antiqui ævi tabulæ, qualis illa est Celadi Antinoi, Drusi Medici & Chirurgi, apud PIGNORIUM *de servis p.* 71. GRUTER. *Inscript. T.* 1. *p.* DLXXXI. *Inscr.* 1. & Græca altera T. Ælii Asclepiadis, Augusti Liberti, in GRUTERI *Inscript. T.* 1. *p.* CCCXXXV. *Inscr.* 1. Quum vero, quod *§.* præced. ex Scribonio Largo evictum est, illi demum plenum Medici assequerentur nomen, qui unius tantum partis sanandæ profitebantur notitiam, inde tot vulnerariorum Medicorum prognata sunt genera. In horum numero frequentiores erant Ophthalmici, v. LAURENTII *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 128. qui & ipsi in *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* κατ' ἐξοχὴν Medici quoque vocantur. In antiquis titulis autem, ut a reliquis discerni possent, Medicorum Oculariorum non infrequens est mentio: cujus generis est ille Q. Clodii Q. L. Nigri, qui exstat in REINESII *Syntagm. Inscr. Cl.* XI. *Inscr.* 8. *p.* 611. atque Illustrii Celadiani apud PITISCUM *in Lex. Ant. Rom. Tom.* II. *p.* 175. & GRUTERUM *Inscr. T.* II. *p.* MCXI. *Inscr.* 6. nec non alter Q. Colii Q. L. Nicomedis Medici Ocularii Sex Viri, quem exhibet GRUTERUS *Inscript. Tom.* I. *p.* CCCCXVI. *Inscr.* 8. item P. Numitorii P. L. Asclepiadis, Sex Viri *ibid. p.* CCCCXLIII. *Inscr.* 4. & Cn. Helvii Cn. L. Jollæ *p.* DCXXXIV. *Inscr.* 2. atque Silicii, Medici ab oculis *p.* DCXXXV. *Inscr.* 3. aliorumque *p.* DLXXXI. *Inscr.* 3. *&* 8. Unde jam non obscurum erit, cur Cassius, & cum eo Paulus, instrumento Medici legato etiam collyria (de quorum usu apud veteres post TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 288. *Opp. T.* 1. *p.* 147. 151. *&* 155. haud ita pridem Vir Juvenis Reverendus JOH. CASSAU *in Diss. de Christi consil. Laodic. dato Sect.* 2. *§.* 17. *p.* 40 *sq.* cum cura disseruit) legato cedere existimaverint in *l.* 18. *§.* 10. *ff. de instr. & instrum.*

leg. & PAULUS *Recept. Sent. L.* III. *T.* 6. *§.* 62. Cavendum tamen eſt, ne cum his, de quibus modo dictum, aliud Medicorum Oculariorum genus apud veteres permiſceas, quorum curæ oculi ſtatuarum demandati erant, ut illos, ſi forte excidiſſent, in ſua loca reponerent. Iſtud eorum officium ex monumento, quod SPONIUS *in Miſcell. Erud. antiq. Sect.* VI. *p.* 232. profert, diſcere licet.

§. IV.

Quin &, qui reliquis corporis partibus & morbis in oculos incurrentibus medicinam afferre promittebant, Medicorum titulo decorabantur. Qui dentium ſanitatem pollicebantur, Medicos dictos fuiſſe tradit Ulpianus *l.* 1. *§.* 3. *ff. de extraord. cognit.* & comprobat SUETONIUS *in Veſpaſ. c.* 5. *Evenit, ut ſequente die progreſſus in atrium, medicus dentem ei oſtenderet, tanquam quod exemptum.* Idem de illis, qui aurium affectus & fiſtulas ſanare ſuſcipiebant, cenſet JCtus *d. l.* 1. *§.* 3. *ff. de extraord. cognit.* Nec minus ad Medicorum pertinebat officium, venas incidere, quo tamen olim haud raro ſcelerati homines non ad ſalutem, ſed ad necem, utebantur. Ita CICERO *Orat. de Haruſp. Reſponſ. c.* 16. *Oratt. T.* II. *Part.* 2. *p.* 536. *ſq.* Clodio vitio vertit, quod *Platorem ex Oreſtide, legatum ad eum Theſſalonicam, in vincula conjecerit, & Medicum intromiſerit ſuum, qui legato, ſocio, amico, libero fœdiſſime & crudeliſſime venas incideret &c.* Addit paucis interpoſitis: *Quales hunc carnifices putamus habere, qui etiam Medicis ſuis non ad ſalutem, ſed ad necem, utatur?* De Nerone, ſcelerum rara illa congerie, TACITUS *Annal.* L. XV. *c.* 69. autor eſt, cum Attico Veſtino, Statiliæ Meſſalinæ marito, venas opera Medici abſcindi juſſiſſe. Quin imo huic hominis monſtro illud ſupplicii genus admodum familiare fuiſſe, teſtis eſt SUETONIUS *in Ner. c.* 37. Ait: *Mori juſſis non amplius horarum ſpatium dabat. Ac, ne quid moræ interveniret, Medicos admovebat, qui cunctantes continuo curarent: ita enim vocabat venas mortis gratia incidere.* Sed & præterea

terea non ſolum, qui diætam gladiatoribus præſcribebant, v. ARRIAN. *Diſſ. L.* III. *c.* 10., verum etiam, qui eorum tracta, læſa & luxata membra curabant, Medicorum appellatione continebantur. v. LAURENTII *var. antiq. Erud. L.* II. *Diſſ.* 21. *p.* 128. & REINESII *Syntagm. Inſcr. Claſſ.* I. *ad Inſcr.* 157. *p.* 181. Pertinet huc vetus lapis, qui C. Auſturnii, Medici Ludi Gallic., meminit, apud PITISCUM *in Lex. Antiqq. Rom. T.* II. *p.* 175. atque hi ſunt illi Medici Chirurgi Ludorum Matutinorum J. Ælius Aſclepiades & Eutychus, utrique Auguſti liberti, quorum antiqua monumenta apud GRUTERUM *Inſcript. T.* I. *p.* CCCXXXV. *Inſcr.* I, 2. *&* 3. mentionem faciunt.

§. V.

Denique obſtetrices etiam Medicis annumerabantur, atque nonnullis in cauſis pari cum iſtis jure gaudebant, quoniam & ipſæ medicinam exhibere videbantur. *l.* 9. *pr. ff. ad l. Aquil. l.* 1. *§.* 2. *ff. de extraord. cognit.* Hinc ANIANUS *in Interpr.* JULII PAULI *Recept. Sentent. L.* II. *T.* 24. *§.* 8. *obſtetrices*, inquit, *id eſt*, *Medicæ ventrem jubentur inſpicere*; & in antiqui ævi reliquiis ſæpius obſtetrices Medicæ vocantur. v. SCHULTINGII *not. ad Aniani l. c. p.* 315. PITISCI *Lex. Antiq. Rom. T.* I. *p.* 175. BARTHOLIN. *de ritu puerp. p.* 37. Non tamen in Medicorum cenſum referendi eſſe videntur Pharmacopolæ, ccu arg. *l.* 8. *pr. & l.* 9. *pr. & §.* 1. *ff. ad L. Aquil.* eorum ordini hos inſerendos putavit HUBERUS *in Prælection. ad tit. Inſt. de L. Aquil.* §. 3. *p.* 453. bene tamen Pharmacopœi, uti IDEM *in Prælect. ad tit. ff. de extraord. cognit.* §. 2. *p.* 750. accuratius loqui amat. Horum enim conditio, toto, quod ajunt, cœlo a Pharmacopolarum exiſtimatione diſtabat. Quam vili enim hi apud Romanos loco fuerint, vel ex illo HORATII *Lib.* I. *Sat.* 2. *v.* I.

Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ,

haud difficile eſt ad intelligendum. SUETONIUS *in Ner.*

 c. 27.

c. 27. Cæſarem *nonnunquam inter ſcortorum totius Vrbis ambubajarumque miniſteria cœnitaſſe* refert. v. PASCHII *Diſſ. de Ambubajis.* Quin imo, quam mali commatis homines hi fuerint, vel CICERONIS *Orat. pro A. Cluent. c.* 14. *Oratt. Tom.* 11. *Part.* 1. *p.* 123. argumento eſſe poteſt. Audiamus ipſum: *Tum repente* (Oppianici pater) *Anconitanum quendam, L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Larinum veniſſet, aggreditur, & cum eo H-S. quadringentis tranſigit. L. Clodius, qui properaret, cui fora multa reſtarent, ſimul atque introductus eſt, rem confecit, prima potione mulierem ſuſtulit, neque poſtea Larini punctum eſt temporis commoratus.* MAXIMUS TYRIUS *Diſſ.* 10. Μιμεῖται πυ καὶ φαρμακοπώλης ἰατρὸν, καὶ συκοφάντης ῥήτορα, καὶ σοφιστὴς φιλόσοφον. *Imitatur etiam pharmacopola Medicum, & Sycophanta Rhetorem, atque Sophiſta Philoſophum.* Etenim Medici olim ipſi Pharmacopœi erant, & remedia non ſolum præſcribebant, ſed & miſcebant, præparabant, ægrisque porrigebant; quod hodie fere Medicorum filii his, quos nunc Pharmacopolas vocamus, reliquerunt. A Pharmacopolis vero ſimplices, quæ dici ſolent, ſpecies comparabant: quo ipſo tamen non temere negaverim, illos nonnunquam etiam mixta remedia, præcipue contra venena ac δηλητήρια, venditaſſe. Dignus omnino eſt, qui in hanc rem conferatur immenſæ Eruditionis Princeps SALMASIUS in victuro opere *Exercitatt. Plinianar. p.* 739. *ſeq.* & in *Prolegom. ad Hylen Iatr. p.* 14. Cui ut largiar, illos hodiernis theriacorum propolis, χελιδόνων καλλίστεροις, non admodum diſſimiles fuiſſe, facile inducor. Quo minus vero ejus ſententiæ, dum illos Medicis Περιοδευταῖς comparat, ſubſcribam, non una eſt ratio, quas ſuo loco Cap. III. proponere animus eſt.

§. VI.

Erant quoque olim ex Medicorum gente, qui ſervos eo, quo viri erant, privabant; at Hadrianus Imp. hoc iis capitale eſſe juſſit in *l.* 4. *§. ult. ff. ad L. Corn. de Sic.* Erant item, qui cives Romanos eorumve ſervos Judaico ritu circumcidebant,

bant, sed ejusmodi crimen capite Medicos expiasse testatur PAULUS *Recept. Sent. L.* v. *T.* 22. *§.* 3. ut adeo horum nullam Juris favor habeat rationem. His itaque missis factis, videamus, num & venefici Medicorum nomine venerint? Suadere id videtur locus ille TULLII *in Cluentiana c.* 14. *Oratt. Tom.* 11. *Part.* 1. *p.* 122. *Quid?* inquit, *aviam tuam, Oppianice, Dineam, cui tu es heres, pater tuus non manifesto necavit? ad quam cum adduxisset Medicum illum suum, jam cognitum & sæpe victorem, per quem interfecerat plurimos, mulier exclamat, se ab eo nullo modo velle curari, quo curante suos omnes perdidisset.* Certe Medicum istum oportet veneficum fuisse! Sed salva res est. Totum quippe dictionis habitum εἰρωνείαν, quam vocant Rhetores, præ se ferre, nemo non primo obtutu animadvertet. Venefici non Medici, sed Medicamentarii vocabantur. Sic in *l.* 1. *Cod. Theod. de repud.* medicamentarius dicitur, qui in *l.* 8. *Cod. Justin. eod.* veneficus vocatur. A medicamentis nomen traxerant: medicamenti vero vox erat ἐκ τῶν μέσων, sive ex illorum vocabulorum numero, quæ & malam & bonam interpretationem recipiebant. *l.* 236. *pr. ff. de V. S.* Vid. post NONIUM MARCELLUM, MEIBOMII *Comm. ad Hippocr. jusjurand. c.* 14. *p.* 120. BARTHII *Adversar. L.* x. *c.* 20. *p.* 495. æque ac voces: φάρμακον, *venenum, virus*, quæ & ipsæ dubiæ significationis erant. *l.* 236. *pr. ff. de V. S.* ARISTOPH. *Equit. v.* 1402.

ἵν' ἐκεῖνος ἦν ὁ φαρμακός.

quod ille veneficus esset.

HORATIUS *Epod. Od.* 5. *v.* 87.

Venena, magnum fas, nefasque non valent
Convertere humanam vicem.

Conf. ibi TORRENTII *Comm. p.* 356. BRISSON. *de V. S. L.* XIX. *p.* 1026. WISSENBACH. *ad tit. ff. de V. S. Disp.* 44. *§.* 8. *p.* 696. SALMASII *Exerc. Plin. p.* 740. MEIBOM. *l. c.* WALCHII *not. in Lactant. p.* 552. TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 288. *Opp. T.* I. *p.* 145. Nonnunquam tamen, ut de vocis vi eo magis constaret, addi solebat nota discriminis, ut *malum medicamentum* in *l.* 3. *§.* 1. *ff. ad L. Corn. de sic.* v. PLINII *H. N. L.* XX. *c.* 9. *L.* XXV. *c.* 10. & BARTH. *l. c.*, *malum venenum* in *l.* 9. *§.* 1. *ff. ad L. Aquil.*, χρηστὰ φάρμακα, *salubria pharmaca*, uti est apud APOLLON. RH. *L.* III. *v.* 802. Ex quibus, puto, satis jam intelligetur, veneficos Medicorum numero nunquam esse habitos. Nec magis illustre hoc nomen sibi vindicare poterant incantatores. Ita enim ULPIANUS *in l.* 1. §. 3. *ff. de extraord. cognit.* inquit: *Non tamen Medicus est, si incantavit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo impostorum utar) exorcizavit. Non sunt ista medicinae genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum praedicatione adfirment.* Quamvis enim jam LL. XII. Tabularum notati essent, *Qui malum carmen incantassint*, teste PLINIO *H. N. L.* XXVIII. *c.* 2. vitio seculi tamen non solum complures medicinae magicae invectae erant, e. g. caput clavi, quo quis cruci affixus, rana in trivio decocta, sputum mox ter ad sinistram, mox iterum ter ad dextram, mox in hanc mox in illam manum projectum, & quae reliquae sunt plures nugae, quas ex Plinio passim discere licet; verum etiam se carminibus praecipue & morbos imprecari & solvere posse persuasissimi erant. Digitum huc intendit HORATIUS *Epod. Od.* 5. *v.* 71. *seq.*

Ah! ah! solutus ambulat
Venefica scientioris carmine.

& SERENUS SAMMONICUS, seu quisquis demum ejus poëmatis auctor est:

Namque est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Quin

Quin ipsum superciliosum illum Catonem, quem pœnituisse fertur, si nihil serii egisset, luxatis membris carmen auxiliari, prodidisse refert PLINIUS *H. N. L.* XXVIII. *c.* 2. Conf. BARTHII *Adversar. L.* v. *c.* 5. *p.* 216. *&* *L.* XI. *c.* 16. *p.* 543. & TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 299. *seqq. Opp. T.* 1. *p.* 157. *seq.* Unde nemini mirum videbitur, quod vel in ipsis supremis elogiis Medicorum Magicorum mentionem fieri suspicemur. Huc enim, si quid judico, referendum esse puto illud inter GRUTERI *Inscr. Tom.* 1. *p.* DCXXXV. *Inscr.* 4.

THALLUS. MEDICUS.
MAG.

H. V.

Namque Magorum nomen antiquitus Romæ, non æque ac posterioribus temporibus, invisum fuisse, vel ex illo HORATII *L.* 1. *Od.* 27. *v.* 21. denuo patet:

Quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?

Magorum quippe appellatione olim veniebant Philosophi ex Perside, aliisque Orientem versus sitis regionibus, advenæ, de quorum summa, qua pollebant, existimatione conferendi sunt CASAUBONUS *contra Baronium p.* 162. SAUBERT. *de sacrif. Vet. p.* 153. HUETIUS *Demonstr. Evang. p.* 153. LUD. MENCKEN. *in Diss. ad tit. Cod. de Mathem. & Malef.* §. 27. *p.* 22. *seq.* JARCKIUS *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* 2. *c.* 1. *p.* 368. HILDEBRANDI *Antiqq. ex S. S. select. L.* II. *Sect.* 1. *p.* 132. *seqq. van* DALE *de orig. & progr. Idololatr. c.* 3. HYDE *de Relig. Persar. c.* 30. *seq.* CONRINGII *Antiqq. Acad. Supplem.* 5. *p.* 217. *seq.* &, qui cum apparatu atque ex instituto de illis disseruit, BULENGERUS *Eclog. ad Arnob. L.* II. *c.* 6. *p.* 341-374. aliique magno numero. Hi itaque posteriore ævo, cum Magorum nomen ad veneficos transiret, incan-

incantatores dici cœperunt. Et, quamvis, cum Constantium, ac postea Valentinianum & Valentem, qui incantamentum ad leniendum dolorem recitaverant, capitali supplicio affecisse narret AMMIAN. MARC. *L.* xvi. *c.* 8. *&* *L.* xxix. *c.* 2., Justinianus horum severitatem non sit secutus. v. MENCKEN. *Diss. ad tit. Cod. de Mathem. & Malef.* §. 26. *p.* 22. Nihilo secius tamen recte Ulpianus in *d. l.* 1. §. 3. *ff. de extraord. cognit.* incantatores & exorcizantes Medicorum ordine exulare voluit. Quid sit exorcizare, cum ad alia properandum sit, hujus loci non est disquirere. Consulat, cui vacat, eam in rem SCALIGERI *Emendatt. ad Euseb. p.* 9. SALMASII *not. ad Achill. Tat. p.* 599. *&* 600.

§. VII.

Quum vero supra §. 2. *& seqq.* dictum sit, universam vulnerariam artem olim Medicinæ vocabulum comprehendisse, atque tum quidem temporis etiam vulnerum curandorum peritiam profitentes Medicos dictos esse; proximum videtur, ut inquiratur, quousque hoc utriusque medicæ artis connubium integrum perstiterit? Equidem Delio hic opus esse censeo natatore, nec quisquam, credo, facile certi quid definiverit. Ex *l.* 7. §. 8. *ff. ad L. Aquil.* quæ Ulpiani, Alexandri Severi Imp. æqualis, est, recte quidem concludit MENAGIUS *Amœn. Jur. c.* 35. *p.* 227. Medicinam clinicen cum vulneraria post Antoninos demum Imperatores divortium fecisse. Verum, ne Constantini M. quidem temporibus utrarumque fines satis distinctos fuisse, ex LAMPRIDIO, (qui ab hujus Imperatoris ætate propius abfuisse videtur) *in Commodo* satis evinci posse existimo. Ait vero ille: *Imitatus est & Medicum, ut sanguinem hominibus mitteret scalpris feralibus.* Quod autem Menagius contendit, post Justinianum demum alteram ab altera divulsam esse, id, puto, non satis probatum ivit. Ex silentio de Chirurgis in Codice, in Institutionibus, in Novellis, res neutiquam neque pro affirmante neque pro negante sententia confici potest. Quum enim in

omnibus

omnibus his libris nullibi, quod ſciam, eorum officiorum, quæ hodie ad Chirurgos pertinent, fiat mentio; quomodo igitur hoc ſilentium, cum Imperatori de iis diſſerendi non fuerit occaſio, alterutri parti favebit? Nec majus præſidium, ſive quis hanc, ſive iſtam amplecteretur ſententiam, cuiquam foret *in §. 6. & 7. Inſt. de L. Aquil.* cum Tribonianus, quod ipſi familiare eſt, iſtos verſus ad verbum ex *l. 7. §. ult. & l. 8. pr. ff. eod.* conſarcinaverit. Quum itaque nec MENAGIUS, nec HERTIUS *in Diſſ. de inſpect. ocul. §. 28. Opuſc. Vol. 1. Tom. 3. p. 252. ſeq.* certi quid hac in re ſtatuerint; neque ego hic Oedipus ero.

§. VIII.

Poſtquam vero injuria, neſcio quorum, temporum morborum ſanitatem pollicentes ab iis, qui vulnera curabant, ſeceſſum feciſſent, plerique ita rationes ſuas iniviſſe videntur, non æque hos, utpote quibus vulnera palam paterent, quam illos, occultas morborum rimantes cauſſas, περὶ ἄνθρωπον φιλόσοφους, quod Strabo ait, eſſe. Quo factum eſt, ut Medicinam, vz. Clinicen illam, ad Philoſophiam, & præprimis ad Phyſicam, referrent. Vid. Illuſtris Cancellarii Dn. *de* LUDEWIG *Præfat. ad Conſil. Halenſ. Tom. 11. p. 25. N. 124.* Hinc novum natum eſt nomen, atque, ut videtur, ſub Seculi XI. finem & Sec. XII. primordia invaluit, ut morborum Medici Phyſicorum nomine cenſeri cœperint. Uno alterove id comprobaſſem exemplo, ni otia mihi pridem feciſſet Vir inexhauſti laboris *Car. du* FRESNE *in Gloſſar. med. & inf. Latin. Tom. 1. p. 299. & Tom. 111. p. 266. ſeq.* Addo ex *Annalibus Dominic. Colmar. In Ungersheim fuit mulier tabernaria, de qua Phyſicus ejecit intra decennium tres cattas;* quem locum debeo BARTHIO *Adverſar. L. XI. c. 21. p. 549.* ita & Hugo *Phyſicus excellens* in Epitaphio ſuo vocatur apud NAUDÆUM *in Diſſ. de antiq. ſchol. Med. Pariſ. p. 35.* Iidem *Magiſtri in Phyſica* dicuntur in *Conſtitut. Sicul. L. 111. Tit. 34.* Vid. *du* FRESNE *l. c. p. 267.* Quin titulum illum ne Sec.

xv. quidem prorſus exoleviſſe, ex SIGISMUNDI *Imp. Reformat. Baſil. Part.* II. *T.* XI. ſatis eſt perſpicuum, quum Imperator eosdem, quos paullo ante Meiſteraertzte vocaverat, poſtea ſtatim die hohen Meiſter in Phyſica appellitet. Vid. GOLDASTI *Paradox. de honore Medici* §. 35. Atque cum SIGISMUNDUS *Imp. in d. Reform.* in quavis Civitate Imperii unum hujus generis Phyſicum (einen Meiſter Artzt) eſſe voluerit, dubium plane nullum eſt, quo minus Phyſicis, quos vocamus, Urbicis & Provinciarum nomen inde manſerit.

§. IX.

Fateor equidem, jam bene multa, quod ad Medicorum ὀνοματολογίαν attinet, & plura forſan, quam res videri poſſet exigere, dicta eſſe. Neque tamen a me poſſum impetrare, quin genio indulgeam, & pauca adhuc de origine appellationis vernaculæ, Artzt / addam. Brevi me expediam. Sunt certe, qui vocem Artzt a Græco ἰατρὸς, quod *Medicum* ſonare notum eſt, per literarum μετάθεσιν originem duxiſſe exiſtimant. Sed quis non dejeraret, eſſe hæc ægroti hominis ſomnia? Alii ſunt, quibus vocabulum hoc ab ἄριστος *optimus* conciſe dictum eſſe videtur, cujus etymologiæ autorem ſe profitetur PEISKERUS *in Indice de vernac. & rer. Germanic. ſignif. p.* 11. *ſeq.* Sententiæ ſuæ ex illo HOMERI Il. λ.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,

Unus homo Medicus multis æquandus honore eſt,

robur accedere, nec quod pueri in faba clamitant ſe reperiſſe putat. Propius ad veram vocis originem, mea quidem ſententia, accedit elegantiſſima & à Perilluſtri atque acutiſſimo, heu! quondam, LEIBNITIO *in Collectan. Etymol. Part.* II. *p.* 274. nec non V. C. HEUMANNO *Actor. Philoſ. Part.* XVI. *c.* 4. §. 22. *p.* 617. comprobata Seckendorfii & Jobi Ludolfi conjectura, Artzt ab Artiſta, quo elogio olim Magiſtri Philoſo-

losophiæ gaudebant, originem traxisse. Cui sententiæ quo magis subscriberem, non una mihi persuasit ratio. Præterquam enim, quod *§. praced.* VIII. indicatum sit, Medicinam sequiori ævo ad Philosophiam relatam esse, & vel inde appareat, eos forsan sæpius Philosophiæ Magistris, (quos barbara Secula Artistas vocasse ex *Epist. obscur. Viror.* atque Eliæ Artistæ exemplo HEUMANNUS *l. c.* asserit, & confirmat *du* FRESNE *in Gloss. med. & inf. Latin. T.* I. *p.* 342.) annumeratos & Artistas vocatos esse; jam novæ eæque complures accedunt causæ. Inter eas, (ne denuo dicam, ipsum SIGISMUNDUM Imp. in *all. Reform. Basil. Part.* II. *Tit.* XI. Medicos tum adhuc temporis Meister *in Physica* appellare) non infima est, quod Physicos & Artistas in medii ævi chartis haud raro conjunctos videamus. Ita in Gregorii IX. Pontificis Romani Bulla, a. 1231. Parisiensi Academiæ concessa, quam *Gab.* NAUDÆUS *in Diss. de antiq. schol. Med. Paris. p.* 18. exhibet, Physicis Artistæ sociantur. Accedit & illud, quod, sive ponamus cum BULÆO *Hist. Univ. Paris. Tom.* II. *Diss.* 7. jam circa Caroli M. tempora Magistrorum & Doctorum titulum frequentem fuisse, quod, quatenus honoris præfamina, non dignitatis cujusdam tituli erant, facile largimur; sive, cum WALTHERO apud ITTERUM *de gradib. Academ. c.* 3. §. 9. & BULÆO, sibi ipsi non satis constante atque hypothesi suæ sæpius serviente, *in Hist. Univ. Paris. Tom.* II. *Diss.* 7. aliisque non paucis, Doctorum Juris originem Lotharii Imp. Saxonis, & Irnerii, qui jam ante illa tempora in Bononiensi Academia Jus docuisse videtur, v. CONRING. *de Orig. Jur. in Germ. c.* 32. auctoritati tribuamus, & horum institutum Pet. Lombardum, sententiarum illum Magistrum, in Theologia imitatum esse, præeunte BULÆO *in Histor. Univ. Paris. Tom.* II. *p.* 256. concedamus; sive denique, quod vero magis videtur esse simile, post FILESACUM, CONRINGIUM *Antiqq. Acad. Diss.* IV. *p.* 235. ITTERUM *de gradib. Acad. c.* 4. §. 25. BULÆUM *in Hist. Univ. Paris. Tom.* II. *Diss.* 7. graduum dignitatis Acade-

demicorum conſtitutionem & ordinem Gregorii IX. Papæ Bullæ, quam Pariſienſibus a. 1231. conceſſit, ſuperſtruamus; quicquid, ajo, eorum ſit, res eodem redit. Illud etenim tam certum eſt, quam quod certiſſimum, non Juſtiniani ſolum ævo, ſed & Sec. IX. & ſeqq. Doctorum titulum JCtis proprium fuiſſe; vid. *du* FRESNE *Gloſſar. med. & inf. Latin. T.* II. *p.* 137. quum circa illam ætatem Theologi Magiſtri, Medici Phyſici, & cum his ut plurimum conjuncti Philoſophi Artiſtæ vocarentur. Unde & illud poſt Papali, ut quidem puto, auctoritate invectos honores Academicos manſit, quod Theologi raro olim Doctores, ſæpius Magiſtri, ſalutarentur. vid. BENIUS *de privil. JCtor. c.* 65. Ex quo etiam facile ratio reddi poteſt, cur adhuc Sec. XVI. Magiſtri Doctoribus in Academia Viennenſi præponerentur. vid. PAUL-LINI Zeitkürtz. erbaul. Luſt *Tom.* II. *c.* 39. *p.* 268. Quin Medicos, quorum cauſa hæc ſcripſimus, quod attinet; illis ne a. 1231. quidem alios, quam Magiſterii honores, collatos eſſe, tum ex laudata ſæpius Gregorii IX. Bulla, cujus hæc verba ſunt; *Phyſicis autem & Artiſtis Cancellarius promittet, bona fide examinare Magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos;* intelligimus. Vid. CONRINGII *Antiqq. Acad. Diſſ.* III. *p.* 93. tum & illud documento eſſe poteſt, quod ipſi Archiatri Regis Galliæ fere usque ad initium Sec. XIV. non alii, quam Magiſtri, fuerint. Conf. *du* FRESNE *in Gloſſar. med. & inf. Latin. Tom.* I. *p.* 299. Ex quibus omnibus hanc denique dictorum colligimus ſummam; quod, cum Magiſterii honores diutius in Medico & Philoſophico, quam reliquis ordinibus, ſubſtiterint, Medici Philoſophiæ præcipue operam dederint, Philoſophiæ vero Magiſtri olim Magiſtri in Artibus & Artiſtæ dicti ſint, quod, inquam, inde Medicorum appellationem vernaculam Artzt natales ſuos duxiſſe, minime improbabile ſit. Sed hæc hactenus; quæ non alio pertinent, quam ut intelligeretur, quinam illi futuri ſint, quibus hæc opella noſtra præcipue dicata eſt. Digitum vero, eumque medium, intendimus in illos, quos hodie κατ' ἐξοχὴν Medicos dicimus, olim

olim Clinicos & morborum Medicos appellabant; ita tamen, ut nec nullam omnino Chirurgorum, ubi res ita feret, & obstetricum habituri simus rationem.

§. X.

Ut vero porro dicendorum argumentum fiat perspicuum, quid *honoris* vocabulo veniat, disquirendum erit: qua tamen in re eo nobis licebit esse brevioribus, quo magis hoc argumentum cum pulvisculo, qui in eo prope totus est, excussit GOLDASTUS *in parad. de honore Medici.* Est autem honor *præmium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem* CICERONE *de clar. Orat. c.* 81. definiente; atque inde M. Marcellum Syracusanum Virtuti & Honori Diis junctas ædes gemellas Romæ locasse legimus, & huic lucus extra portam Capenam consecratus est. Vid. LANDUS *in vett. Rom. Numism. Miscell. Explic.* in GAUDENTII ROBERTI *Miscell. Ital. Erud. Tom.* 1. *p.* 403. Exemplum hujusmodi præmii virtutis habes apud Ulpianum in *l.* 13. *§.* 4. *ff. de Injur.* ubi honores & imaginem seu statuam alicui decernere perinde ipsi habetur. Sic & apud Athenienses τιμὴ erat; quando quis ad alterum in Academia gradum, quorum primus δοκιμὴ, tertius τελετὴ, quartus ἡ τοῦ τρίβωνος ἀξία diceba-tur, emerserat, quos hodie non incongrue Baccalaureis, Magistris, Licentiatis & Doctoribus Academiarum nostratium comparares. Vid. BULÆI *Histor. Univ. Paris. Tom.* 11. *Diss.* 7. *p.* 674. Præterea *honoris* quoque vocabulo apud antiquos veniebant sacrificia Diis offerri solita, quippe, quæ præmia quasi virtutis eorum, & beneficiorum hominibus exhibitorum, esse censebant. Vid. GOLDAST. *l. c. §.* 20. CLAUDII *Hist. fratr. sportulant. p.* 100. quo sensu Græci omnes sacrificiorum oblationes δῶρα, *dona*, vocasse videntur. v. CLOPPENBURGII *Schol. Sacrif. p.* 8. Ita *thuris honores* apud Poëtam dicuntur, quia honor omne id, quo Deum venerabantur, significabat. Vid. Vir. Cel. *Alb.* VOGET, Concivis, qui jam Trajectinam ornat Academiam, *Orat. de natalit. ad*

aram Jehov. non fact. p. 172. *in schol.* plane, ut Græcis etiam τιμὴ sacrificium erat. Vid. GOLDAST. *l.c.* §. 20. HESIOD. Εργ. *v.* 136. Magistratum & imperium honoris vocabulo sæpius indicari, adeo in Jure nostro & prisci ævi Scriptoribus pervulgatum est, ut probatione minime indigere videatur; v. GOLDAST. *l. c.* §. 22. qua in re denuo Græcos secuti videntur Romani, apud quos vocis τιμὴ iterum eadem est notio, ceu GOLDAST. *l. c.* docet: atque inde etiam apud Athenienses τίμιος Dominum significabat, v. CASAUBONUM *ad Theophr. Char. p.* 220. quo titulo superiores, si quando iis obvii fierent, eorum adulatores compellabant, æque, uti Romæ, post Tiberii principatum, omnes, quorum nomen non succurrebat, Domini salutabantur. Vid. MENAGII *Amœn. Jur. Civ. c.* 25. *p.* 145. *seqq.* Nec infrequens est in veterum scriptis, ut *honoris* vocabulo come alloquium, & significatio reverentiæ, atque amicitiæ, quæ Galli *complimens* (quod nomen dubito, anne ex illo CICERONIS *in Orat. c.* 69. *Inculcata reperias inania quadam verba, quasi complementa numerorum*, originem traxerit) vocant, indigitentur. v. GOLDAST. *l. c.* §. 9. & 15. Ita sane HORATIUS *L.* II. *Ep.* 2. *v.* 88. *seq.*

ut alter
Alterius sermone meros audiret honores,

ita etiam vocem τιμᾶν *Sirac. c.* XXXVIII. *v.* I. plerique accipiunt. v. GOLDAST. *l. c.* §. 2. & 3. Atque hunc civilem honorem Romanos vocabulo comprehendisse, vel ex cultu Deæ Honoris videtur apparere; qui, cum cœteris Diis velato, huic soli detecto capite sacra faciebant. Vid. SARTORII *Schediasm. de hypocr. Gentil. circa cult. Deor. c.* 4. §. 9. *p.* 54. & *c.* 5. §. 11. *p.* 82. Quod vero GOLDASTUS *l. c.* §. 23. existimat, proventus agrorum *honores* vocari, id, puto, exempla quæ protulit minime probant. Ad unum enim omnia de libationibus, quæ ex primitiis fieri solebant, loquun-

loquuntur, si unicum Drepanii, cujus ipsius quoque plane alia est sententia, excipias.

§. XI.

Neque tamen est, ut vocem *honoris* illa solum, quæ ad splendorem & potentiam facere poterant, indicasse existimes. Complectebatur utique & illa, quæ essent πρὸς τὰ ἀλφιτα. Sic dona sæpius honores dicuntur, quemadmodum ex adverso *munus* nonnunquam nihil præter honorem, qui a lingua vel obsequio proficiscitur, designat, siquidem *Glossatori in c.* 11. *de Rescr. in* 6. *verb. nullum munus*, fides est. Et in hanc sententiam MENAGIUS *Amœn. Jur. Civ. c.* 39. *p.* 289. recte observavit, TIBULLUM *Lib.* III. *Eleg.* I.

Dicite Pierides, quonam donetur honore,
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen,

honorem pro munere usurpasse. Sic etiam intelligendi ULPIANUS *in l.* 1. *§.* 6. *ff. de Postul.* & SPARTIANUS *in Hadr. c.* 16. dum hic ait: Hadrianum *Doctores professioni suæ inhabiles ditatos honoratosque dimisisse.* Quibus plura addere supersedeo, quando ea GOLDASTI *l. c.* §. 10. *& seqq.* abunde occupavit industria. Idem §. 21. probabili satis conjectura, ex hac vocis notione & illud in Jus nostrum derivatum esse contendit, quod ii, quibus testatoris prospexit munificentia, in testamento honorati & Honorarii esse dicantur. Nec illa inelegans ejus est observatio §. 13. *&* 22. temporum tractu factum esse, ut inde divites honesti & τιμητοὶ, ut census τιμὴ, dicerentur. Addo; & censuales classes, in quas Solonem Athenienses distribuisse docent BUDÆUS *in Annotatt. ad ff. tit. de Judic. p.* 107. & MEURSIUS *in Solone*, dubio procul ex eadem origine τιμήματα dicta esse. Quandoquidem vero GOLDASTUS *l. c.* §. 14. & 22. ita rationes suas componit; ut, quoniam olim divites honesti dicebantur, inde etiam, ob possessiones amplissimas, superioribus

seculis

ſeculis Principes, quia non aliis, quam quibus fortuna has indulſerat, cura Reipubl. ſit concredita, & hodie Magiſtratus & urbes die Ehrbahre vocatos eſſe perhibeat: id certe durius dictum videtur,

Nec mihi tam prudens quisquam perſuaſerit autor.

Hos enim a ſumma, quæ ipſis, utpote Dei ipſius vicem ſuſtinentibus, debetur, reverentia, die Ehrbahre dictos eſſe, nemo non videt.

§. XII.

Antea vero, quam ad alia digrediamur, illud vel maxime adhuc tenendum eſt; quod, ſicuti Græcis τιμᾶν erat, præbere alicui, quæ ad vitæ commoda & ſuſtentationem neceſſaria, atque quemadmodum τιμὴ ſtipendium, præmium, honorarium; (quod profecto ejus origini ἀπὸ τοῦ τίειν a *dependendo*, *perſolvendo* egregie convenit, vid. GOLDAST. *l. c.* §. 8.) ſignificabat: Vid. eam in rem poſt GOLDAST. *l. c.* §. 8. §. 15. *&* §. 28. PHILOPONUS *de different. voc. Græcar. voce*: Τιμή. HUETIUS *in Origen. p.* 37. ita Romani nec in hac quidem vocis vi ab illis receſſerint. Neque enim apud hos *honoris* vocabulum erat ſterile, ſed æque, ac alterum *honorarium*, pecuniam, mercedem, & præmium valebat. Sic Ulpianus in *l.* 1. §. 5. *ff. de extraord. cognit.* quod pretium nummarium modo dixerat, mox honorem vocat. Vid. CICERONIS *Epiſt. ad Fam. L.* XVI. *Ep.* 9. ibique *Grævius & Manutius in notis p.* 438. *&* 183. TIRAQUELLI. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 359. *&* 404. *Opp. T.* 1. *p.* 199. *&* 205. MENAGIUS *Amœn. Jur. Civ. c.* 39. *p.* 289. GOLDAST. *l. c.* §. 8. 12. 15. *ſeq.* 28. *&* 31. Fateor, ſi æque vera eſſet, ac arguta, etymologia hujus nominis, quam GOLDAST. *l. c.* §. 8. ab ὀνεῖν, quod eſt ὠφελεῖν, *juvare*, *ſubvenire*, tradit, huic ſignificatui maxime foret conſentanea. Sed hanc litem non faciam meam. Certe honore iſto, de quo jam ſermo eſt, eorum, quibus reverentia debetur, neceſſitatibus ſubveniebatur. Neque enim Profeſſoribus & artium libera-

liberalium Doctoribus merces, quæ operariorum, unde & illi mercenarii dicti, proprie erat, exsolvi credebatur. Apprime in rem SENECA *de Benef. L.* VI. *c.* 16. *p.* 351. *Iste modo*, inquit, *ne Medico quicquam debere te, nisi mercedulam dices. Adversus hoc respondetur, quædam pluris esse, quam emuntur. Emis a Medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam. Quare Medico & Præceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor, quia ex Medico & præceptore in amicitiam transeunt, & non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate.* Hæc Romanorum erat philosophia: eadem quoque Græcorum. Illi, quod palmarii loco dabatur, honorarium & honorem dicebant, quem a mercede longissime distare autumabant; v. GOLDAST. *l. c.* §. 36. his μισθὸν, (qui itidem mercedem ipsis proprie sonabat, v. FESSELII *Adversf. S. L.* I. *p.* 311. SALMASII *Exerc. Plin. p.* 258.) accipere, pariter erat vilissimum. v. MEIBOMII *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 10. *p.* 89. Unde, quod remunerationis causa dabatur, nunc τιμὴν, mox δίδακτρον, mox Minerval, quin & χάριν appellabant. Χάριν enim aliquid majus, quam gratiarum actionem, quæ verbis fit, indicasse, ex CALLIMACHI *Epigr.* 54. *ἀπέχει χάριτας, habet mercedem*, liquet; & ita etiam LUC. VI. *v.* 32. *seqq.* commodius, aliter ac fecerunt Lutherus & Dordracenus interpres, verti posse existimo. Sin Medico præmium dependeretur, σῶστρον, & ἰατρεῖον vel ἴατρον vocabatur. Vid. PHILOPONUS *de different. voc. Græcar. in voc.* ἰατρεῖον. Plura qui in hanc rem volet, tum GOLDASTUM, tum DILHERRUM *Disputt. Academ. Tom.* I. *p.* 356. consulat. Eo vero hæc scripsimus fine, ut eo certius constaret, quid impræsentiarum hoc vocabulo indigitetur. Nobis autem honor erit virtutis præmium, sive illud a civibus, sive a summo Imperante in Medicos sit collatum.

§. XIII.

Quo vero eo magis deinde pede inoffenso progredi liceat, expendendum prius esse intelligo; quid privilegium sit, &

quænam illud inter atque jus singulare intercedat differentia? Non nescius sum, esse ex JCtorum numero, qui privilegii vocabulum exinde, quod *lege privet*, natales duxisse censeant; Vid. SCHNEIDEWIN. *ad §.* 1. *Inst. de J. N. G. & C. N.* 12. ENENCKEL. *de privil. L.* 1. *c.* 1. *N.* 10. atque ideo illud legem privativam appellent. Sed quo minus huic sententiæ subscribere possim, facit contraria universæ fere antiquitatis auctoritas. GELLIUS *N. A. L.* x. *c.* 20. privilegia dicta esse ait, quasi leges de privis hominibus latas. Laudat CICERO *de LL. L.* III. quod *majores providerint, ne in privatos homines leges ferrentur:* idemque in *Orat. pro domo c.* 17. *Oratt. T.* II. *Part.* 2. *p.* 434. *Vetant*, inquit, *leges sacratæ, vetant* XII. *Tabulæ leges privatis* (vel ut SCALIGER *ad Festum in voce: Privos*, legendum monet, *privis*) *hominibus irrogari. Id est enim privilegium.* Consentiunt FESTUS *in voce: Privos*, & ISIDORUS *Origin. L.* v. *c.* 18. Vid. CORASIUS *de arte jur. L.* II. *c.* 10. RITTERSHUS. *ad LL.* XII. *Tabb. Cl.* II. *c.* 2. TORRENTII *Comm. in Horatii L.* II. *Sat.* 5. *v.* 11. *p.* 580. AUGUSTINUS *de LL. & SCtis p.* 4. & 159. HUBERI *Prælect. ad tit. ff. de LL. §.* 4. *Digress. Justinian. L.* 1. *c.* 22. *§.* 3. & *de jure Civit. L.* III. *Sect.* 1. *c.* 2. *§.* 25. VINNIUS *ad §.* 6. *Inst. de J. N. G. & C. N.* 3. &, qui primo loco nominandus fuisset, a Belgii Papiniano, Ill. Bynkershoekio, suo merito nuper Jurisprudentiæ honos salutatus, HEINECCIUS *Antiqq. Rom. L.* 1. *Tit.* 2. §. 60. Quin in *l.* 7. *Cod. Theod. de tiron.* genuina prisca illa *privilegis* vox est reperire, quam recte ibi defendit *Jac.* GOTHOFREDUS. *Priva* enim veteres dicebant, quæ nos *singula* vocamus, testibus GELLIO N. A. *L.* x. *c.* 20. & FESTO *in voce: Privos.* Conf. RITTERSHUSIUS *ad LL.* XII. *Tabb. Cl.* 2. *c.* 2. & SALMAS. *Exerc. Plin. p.* 61. & 313. Ita LUCILIUS apud CUJACIUM *Observ. L.* xv. *c.* 8.

> *Ad cœnam adducam, & primum hisce abdomina Thynni*
> *Advenientibus* priva *dabo;*

& sic etiam in GRUTER. *Inscr. T.* 1. *p.* CCCXXXIII. *Inscr.* 4.

VALE-

VALERÆ. UXSORI. DOLORE. PRIVUM. RELIQUIT.

privum peculiare significat. Fuit adeo olim privilegium nihil aliud, quam lex priva, seu in unum aliquem hominem lata. Quum vero Principes rerum summa potiti essent, privilegia erant constitutiones, quibus imperans vel ob merita aliquid indulgebat, vel pœnam extra ordinem irrogabat, ita tamen, ut ad exemplum non traherentur. *§. 6. Inst. de J. N. G. & C.* Vid. V. C. HEINECCII *Elem. ff. Part.* 1. *§.* 115. HUBERI *Digress. Justin. L.* 1. *c.* 22. *§.* 3. Conf. ENENCKEL. *de privil. L.* 1. *c.* 2. RICHTER. *Part.* 1. *Dec.* 4. *N.* 10.

§. XIV.

Ex hac itaque definitione satis intelligitur, privilegii vocabulum ἐκ τῶν μέσων fuisse: Erant enim privilegia duorum generum, quorum alia favorabilia, alia odiosa dicere posses. Posterioris generis privilegia dari, post alios negare sustinuit Vir, dum fata Deusque sinebant, Celeberrimus, THOMASIUS *in notis ad Inst. tit. de J. N. G. & C.* sed infirmo sane argumento, & contra omnem antiquitatis fidem. Ipsæ XII. Tabb. leges jam eorum meminerunt, dum sanciunt: PRIVILEGIA NE INROGANTO. *Irrogandi* enim vocem ad pœnas pertinere, inter omnes constat. Vid. NOODT *ad tit. ff. de LL. p.* 18. Atque in eam sententiam legem hanc bellissime carmine interpretatus est *J. A. de* JANUARIO *in Republ. JCtor. p.* 402.

Hoc etiam pacto, fac privilegia civi
Largiri, cum vel lenitur pœna, vel isthac
Redditur asperior, seu cuiquam præmia dantur,
Id nulli, præter populum, sancire tributum est,
Et merito, ne forte odio privata laborent
Vota, quibus justo major se exasperat ira,
Vel se plus solito mitem clementia præstat.

Et ita ſane legem iſtam accipiendam eſſe jam monuerunt BUDÆUS *Annotatt. ad ff. tit. de O. J. p. 22. & ad tit. de LL. p.* 48. VOET *in Comm. ad ff. tit. de LL. §.* 5. *& ad tit. de Conſt. Princ. §.* 11. CUJAC. *Obſ. L.* xv. *c.* 8. *Jac.* GOTHOFREDUS *ad LL.* XII. *Tabb. Tab.* VI. VINNIUS *in Comm. ad §.* 6. *Inſt. de J. N. G. & C. N.* 4. *ſeq.* HEINECCIUS *Antiq. Rom. L.* 1. *T.* 2. *§.* 60. BEYERUS *in delin. Jur. Civ. L.* 1. *Tit.* 4. *p.* 50. *ſeq. & in Obſervatt. Halenſ. T.* III. *Obſ.* 15. Quin recte obſervavit ENENCKELIUS *de privil. L.* 1. *c.* 1. *N.* 2. *&* 3. Ciceronem vocem privilegium plerumque in deteriorem partem accipere. Exempla habes in CICERONIS *Orat. pro P. Sext. c.* 30. *Oratt. Tom.* III. *Part.* 1. *p.* 87. *ſeq.* & in *Orat. pro domo c.* 16. *&* 17. *T.* II. *P.* 2. *p.* 434. ubi legem de capite ſuo & proſcriptione bonorum latam privilegium appellat. Nec aliud ſibi vult, dum mox *privilegia tyrannica*, uti in *Orat. pro domo c.* 42. *T.* II. *P.* 2. *p.* 479. *nefaria*, in *ead. Orat. c.* 10. *p.* 423. mox *vim & crudelitatem privilegii*, in *Orat. poſt red. in Sen. c.* XI. *T.* II. *P.* 2. *p.* 391. in *Orat. in L. Piſ. c.* 13. *T.* III. *P.* 1. *p.* 654. in *Orat. pro domo c.* 21. in *ea pro Milone* alibique exagitat. Imo etiam in Jure noſtro non deſunt odioſorum privilegiorum exempla: Vid. *l.* 1. *§. ult. ff. de Conſt. Princ.* & *l.* 2. *ff. de his, qui ſui vel al. jur. ſunt.* BODINUS *de Republ. L.* 1. *c.* 10. & ENENCKEL. *de Privil. L.* 1. *c.* 2. *N.* 5. Sed, quum Principes quandoque præcipiti iræ nimis indulgerent, quale quid Theodoſio, Theſſalonicenſium ſeditionem innocentium civium cæde ulciſcenti, contigiſſe legimus, ipſe ille Imp. per *l.* 20. *Cod. de pœnis* ejusmodi atrocia privilegia ante trigeſimum diem executioni mandari vetuit. Vid. *Jac.* GOTHOFREDUS *ad l.* 13. *Cod. Theod. de pœnis L.* IX. *Tit.* 40. *Tom.* III. *p.* 305. & RECHENBERGIUS *in Diſſ. de excommunic. Theodoſii M. Diſſ. Hiſt. T.* II. *Diſſ.* 10.

§. XV.

Quemadmodum vero ex dictis ſatis, puto, conſtabit, quod, ſi cui ſine exemplo pœna irrogata eſſet, illud privilegium

gium appellatum sit; ita certe beneficia alicui ob meritum indulta eadem appellatione veniebant. Talia sunt illæ leges, altera de Menandro *l.5. §. ult. ff. de captiv.* altera de Hostilio Mancino *l. 17. ff. de legation.* latæ, quæ, quamvis leges vocentur, sunt tamen privæ leges; & legis vocabulum hic eadem notione venit, qua νόμ@ Græcis legem singularem significat. v. VORSTII *Philol. S. P. 1. p.* 183. Illud vero sedulo cavendum est, ne in horum classem beneficia certo statui vel hominum generi concessa referantur; (qualia Fisci, Creditorum, militum, mulierum &c. privilegia per abusum loquendi in Jure nostro vocantur) cum supra §. XIII. dictum sit, privilegia esse leges de uno aliquo homine latas. Quæ enim toti alicui sexui vel generi hominum a lege, contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem concessa sunt beneficia, illa non privilegia, sed jura singularia, esse censentur, per *l.* 16. *ff. de LL.* & *l.* 2. *ff. de testam. milit.* Exemplo sit *l.* 54. *ff. Soluto matrimon.* Atque hoc discrimen non satis perspexisse videtur VINNIUS *ad §.6. Inst. de J. N. G. & C. N.* 3. sed rectius observarunt CUJACIUS *Obs. L.* XV. *c.* 8. RITTERSHUS. *ad LL.* XII. *Tabb. Cl.* II. *c.* 2. SCHUTZ. *Coll. Jur. Publ. Vol.* 1. *Disp.* 3. *th.* 21. ZIEGLERUS *de jur. Majest. L.* 1. *c.* 12. *th.* 1-4. HEINECCIUS *in Antiq. Rom. L.* I. *T.* 2. *§.* 61. CONRADI *in Diss. ad Julii Pauli ex libro sing. de jur. sing. reliqua §.* 1. *seqq.* Plura de privilegiis addere supersedeo, ne post Homerum Iliada scribere, & in Eneneckelii messem falcem immittere voluisse videar; monuisse contentus, privilegia præcipue Cap. II. jura singularia vero Cap. III. exponenda esse. Sicubi vero, ex communi hodie usu loquendi, ea, quæ vere jura singularia sunt, privilegia vocarentur, nec illud gravate B. L. laturum, est, quod ab ejus humanitate sperare licet.

CAP. II.

HONORES, PRIVILEGIA ET JURA SINGULARIA MEDICIS TRIBUTA HISTORICE ENARRANS.

§. I.

DEum, Israëlis Medicum *Exod.* XV. *v.* 26. se profitentem, salutaris artis primarium autorem esse, nemo, confido, inficias ire sustinebit. Præter *Ecclesiasticum*, *C.* XXXVIII. *v.* 2. quotquot Gentilium fere adhuc superant scripta, uno ore divinam Medicinæ prædicant originem, atque hinc ἄνθρωπον ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, *hominem homini Deum*, esse posse jactitant; ceu operose TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 2. 33. 36. 77. *& seqq. Opp. T.* 1. *p.* 120. 121. 127. *seq.* VINK *Amœn. Philol. Med. Sect.* 1. *c.* 1. HUNDERTMARCK *in Exerc. de princip. Diis art. Med. tutelar.* §. 1. *seqq.* demonstrarunt, & infra clarius patescet.

§. II.

Illud autem non adeo videtur esse perspicuum; num artis hujus natales & cultura Hebrææ genti adscribendi sint, nec ne? Equidem altius, quam par est, hos puto ascendere, qui ipsi Adamo ejus notitiam a Deo traditam esse, cum *Gasp. a* REJES *in Elys. jucund. quæst. campo Q.* 111. *p.* 48. & Mars. Ficino (narrante TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 2.) perhibent. Certe, antequam Dei iram in se provocaverat, morborum, utpote peccatorum sequelæ, nullam ei fuisse ideam, mihi quidem admodum fit verosimile; postea vero, cum divinis jussis moriger esse desierat, illum altiore cognitione, & eo, quo Creatori aliquatenus similis fuerat, privatum

tum esse novimus. Non itaque est, ut Medicinam divinitus acceptam cum *Gasp. a* REJES *l. c.* aut Chemiam (quæ *Joh. Franc.* PICI *Mirandul. de Aur. L.* III. *c.* 2. somnia sunt,) Adamum suos docuisse dicamus; cum contra vero non videatur dissimile, duce experientia illum Empiricam quandam sibi comparasse scientiam, quæ V. Cel. L. H. RUNGII *in Orat. de fat. & mutat. art. Med. p.* 7. est sententia. Atque hanc per manus traditam, forsan & die docente auctam, ad Patriarchas derivatam esse, asserere mallem, quam cum *Lud. de* DIEU *in Crit. S. p.* 122. rerum Physicarum peritissimos istos fuisse, defendere. Neque minus eos fugit ratio, qui Josephum Medicum ex *Gen.* L. *v.* 2. constituere cupiunt, quos ridet HEUMANNUS *Act. Philos. P.* VII. *N.* I. *§.* 24. ut adeo frustra honoris Medicorum vindicibus TIRAQUELLO *de Nobil. c.* 31. *N.* 410. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 22. & MUNDIO *de muner. & honor. c.* 6. *N.* 565. *p.* 340. *seq.* crucem fixerit, dum ex *l. c.* intelligunt, Josephi servos Medicos fuisse. Supervacuum esset, cum Mundio sese torquere, & nescio quos aulicos Josephi, Principali tum temporis dignitate conspicui, Ministros inde exsculpere: quum res ipsa loquatur, servos hos pollinctorum Ægyptiorum officio defunctos esse, quos neque Herodotus, neque Diodorus Siculus, Medicorum titulo unquam dignos judicarunt. v. CONRING. *de Philos. Ægypt. c.* 10. Conf. *Jos.* LANZONI *de balsamatione cadaverum.* Ex hoc tamen errore & alter, non meliore suffultus argumento, manavit, quo Josephum ob Medicinæ notitiam cœlitibus ab Ægyptiis adscriptum, &, quod *Th.* GALE *in Philos. gen. L.* I. *c.* I. §. 6. contendit, sub Hermetis & Mercurii Trismegisti nomine cultum esse autumant, v. *Polyc.* LYSERI *Diss. de orig. erud. non ad Jud. sed ad Ind. refer. §.* 8. *p.* 17. aut, quæ aliorum, atque inter eos BRAUNII *Select. Sacr. L.* IV. *p.* 437. *seqq.* 530. 533. *seq. &* 540. mens est, sub Isidis, Apis & Osiridis emblematibus divinos honores assecutum esse memorant.

§. III.

§. III.

Mosem quod attinet, illum in omni Ægyptiorum doctrina haud perfunctorie eruditum fuisse, sacræ paginæ testantur; ut itaque, quod CLEM. ALEXANDR. *Strom. L.* 1. *p.* 343. (quem locum SCHACHER. *in Diss. de honor. Med.* §. 6. *p.* 13. mihi indicavit) Medicinam etiam ab illis didicisse narrat, non sit improbabile. Num vero in gente Israëlitica illam fecerit, non ita proclive est ad statuendum. CHRYSOSTOMUM *Homil.* 6. *in D. Marc.* Mosem & Esaiam, Christo Archiatro oppositos, Medicos vocantem μεταφορικῶς loquutum esse, quotusquisque est, qui non animadvertat? v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 80. *&* 81. Quin Mosem in populo ex Ægypto reduce Medicam artem non exercuisse, vel istud argumento esse censeo; quod, postquam ex divino consilio aquas in Marah amaras sanasset, Deus confestim addat, se Israëlis Medicum futurum. *Exod.* XV. *v.* 26. v. *Henr.* SEGELKEN *Diss. de Marah, aquis amar. per mirac. sanat.* Unde ab hoc tempore vix aliis, quam aut miraculo factis, aut empiricis quibusdam, aut superstitiosis curis Hebræos valetudini restitutos esse tenemus. Ita sane Elisa 2. *Reg.* II. *v.* 19. *seqq.* sale aquas amaras salubres reddidit, Naamum lepra liberavit, 2. *Reg.* V. *v.* 1. *seqq.* & Colocynthidas emendavit 2. *Reg.* IV. *v.* 39. *seqq.* Conf. binæ Viri Reverendi *Wilh. Ern.* EWALD *Diss.* altera *de pulte Colocynth. farina*, altera *de aquis Hierichunt. sale per Elis. conditis.* Ita Esaiam Chiskiam Regem ficu morbo liberasse 2. *Reg.* XX. *v.* 7. legimus. Quæ vero TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 84. *&* 138. de medicinis ab Esdra & Rege Agrippa repertis comminiscitur, illa nuperi Seculi Pharmaceuticorum somnia esse, nullo negotio licet cognoscere. Nec rectius *ibid. N.* 85. SYRACIDEM, ob ea, quæ *c.* XXXVII: 32. 33. leguntur, Medicorum ordini inserit, quum illa sint communia & experientia firmata temperantiæ præcepta. Atque dum idem JESUS *c.* XXXVIII: 1. Medicum honorari cupit; certe aut illos intendit, qui, ægros

ægros in publico expoſitos, (de quibus ſtatim diſſerendi locus erit) prætereuntes, iis ſalubri conſilio aderant, aut hic iterum, quod *c.* XLVI: 23. & XLVIII: 10. illum admiſiſſe jam pridem Viri docti obſervarunt, judaïzat, & Judæorum ſe illaqueat principiis. Ex horum quippe Canone nulli rei, quæ ad medicinam facit, aliquid ſuperſtitionis ethnicæ inerat, plane uti ille apud PLUTARCHUM *de iis, qui tarde a num. corrip. Varior. Opp. T.* II. *p.* 993. qui, καθόλȣ ἐν ἰατρικῇ τὸ χρήσιμον καὶ δίκαιον ἐιναι, *in univerſum quicquid in Medicina utile idem quoque juſtum eſſe* cenſebat, ratiocinantes. Hinc figuris talismanicis, clavo de ſuſpenſo, & quæ reliquæ ſunt hujus generis nugæ, licite, ſi ſaluti conferrent, ſe uti poſſe exiſtimabant. Neque tamen temere negaverim, prudentiores huic dogmati calculum denegaſſe; quum ipſe R. Akiba hujus farinæ Medicos vita æterna carituros eſſe velit; v. *Polyc.* LYSERI *Diſſ. de origin. erud. non ad Jud. ſed ad Ind. refer.* §. 9. *p.* 39. & 40. & inde forſan eſſe puto, quod Miſchna Medicorum optimum gehenna dignum judicet. v. LYSERI *Diſſ. cit.* §. 9. *p.* 38. Eo minus hoc cuiquam mirum videri poterit, ſimul ac intelliget, præſtantiſſimam artem ſuperſtitionis & cultus idololatrici famulam factam eſſe. Sic pueros, poſtquam Molocho litare inciperent, per ignem deducendos Salamandræ oleo perunctos eſſe, docet BRAUNIUS *Selett. Sacr. L.* IV. *p.* 473. Unde mihi quidem, Salomonem prius, quam Deaſtris ſe addiceret, Medicinæ operam dediſſe, quod ex I. *Reg.* IV. *v.* 33. NEANDER *de Medic. natalit. p.* 5. colligit, non ſit probabile; præcipue, cum *l. c.* nihil aliud, niſi illum in naturæ hiſtoriam inquiſiviſſe, teſtatum reperiamus. Num vero, ex quo, concubinarum blanditiis inductus, peregrinæ Religioni ſe mancipaverat, librum Medicum, quod poſt SUIDAM *voce:* Ἐζεκίας *T.* I. *p.* 681. Hrabanus Maurus affirmat, Moſes Maimonides negat, Templi limini inciderit, alius dixerit. Neque proclivius eſt ad ſtatuendum, an is ille liber ſit, quem a Chiskia Rege abſconditum eſſe in Miſchna perhibetur. v. NEAND. *de Medic.*

 natal.

natal. p. 316. 317. LYSERUS *d. Diff.* §. 9. *p.* 39. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 118. Verum enim vero, cujatis demum ille fuerit, medicinas tamen in eo traditas esse Maimonides testis est, v. LYSER. *d. Diff.* §. 9. *p.* 39. ut adeo memoria lapsum esse TIRAQUELLUM *de Nobilit. c.* 31. *N.* 119. existimem, dum ex Eodem Chiskiam librum medicamentorum scripsisse refert: Quod eo minus Regem hunc pium factitasse credibile est, quo magis ex 2. *Paralip.* XVI. *v.* 12. constat, quam parum accepta Deo hæc Medica natio fuerit, quum ibi Asæ Regi, quem S. Scriptor tamen integrum vitæ scelerisque purum pronunciat, fatalem terminum, quoniam non Deum, sed Medicos, quæsiverit, accceleratum esse adserat. Nec aliam, nisi Deus præsenti adesset miraculo, aut alter alteri, quæ in similibus morbis ex usu fuerant, consuleret, salutem expediendi viam esse potuisse, vel illud documento est, quod in scholis Hebræorum, præter divinæ legis studium, vix quicquam eruditionis coleretur; id quod demonstravit CONRINGIUS *Antiq. Acad. Diff.* IV. *p.* 123. 124. & per inductionem luculentius evicit LYSERUS *d. Diff.* §. 9. *p.* 27. *seqq.* Conf. BRAUNII *Select. S. p.* 603. *seqq.* Neque dictis hactenus obversatur, quod inter Præfectos Sanctuarii XV. in *Mischna tract. de Sicl. c.* 5. *N.* 1. aliquis, qui super ægrotos fuit, recenseatur; cum hunc solum ad curandos & fovendos illos viscerum morbos, quibus sacerdotes, dum nudis pedibus in pavimento incedebant, aquis ministrabant, una tantum induti erant veste, fiebant obnoxii, iis additum esse, ex Judæorum Doctoribus discamus. v. LYSER. *d. Diff.* §. 9. *p.* 38. 39. SELDEN. *de Synedr. vet. Ebr. L.* III. *c.* XI. Et hos quidem illos esse puto, de quibus GOLDAST. *in parad. de honore Medici* §. 6. audacter, quo tamen autore nescio, asserere non dubitat, iis e publico seu Fisco Regio salaria erogata esse. Nec illud quoque sententiæ nostræ obloquitur, quando *Ezech.* XLVII. *v.* 12. Spiritus prophetiæ arborum, quarum folia salutarem vim habitura sint, meminit. Præterquam enim, quod ibi

Genti-

Gentilium salutem hac loquendi forma indigitari, ex *Apoc.* XXII. *v.* 2. manifesto pateat, notissimum est, ex arborum foliis varias olim unguentorum species confectas esse; quibus ad tuendam valetudinem & ἐνεξίαν, & præcipue ad languentes vires excitandas, adversus catarrhos, frigiditates & fastidium Orientales populos sæpius usos esse, nuper adhuc ea, qua solet, exasciata eruditione docuit V. C. & de me quoque insigniter meritus *Dan.* GERDES *in Orat. de unct. qua fidel. docet omn. p.* 17. *&* 29. Et hinc quidem recte mihi colligere videor, non alio illum, quem modo inter Præfectos Sanctuarii xv. fuisse diximus, officio defunctum esse, quam Sacerdotum catarrhosos morbos, quibus ex allegata ratione sæpius vexabantur, unctionibus curandi, ut adeo, sin hæc omnia in unum colligas, facilis sit conjectura, non artis vitio, sed quoniam Deus ut plurimum præsenti auxilio & per miracula aderat, exiguum Medicorum in Theocratia Judaica fuisse honorem.

§. IV.

Apud Ægyptios autem plane diversa rerum erat facies; nec capio, qua fronte *Al.* SARDUS *de mor. ac rit. gent. L.* I. *c.* 23. in *Gaud.* ROBERTI *Miscell. Ital. Erud. T.* II. *p.* 298. sustineat, apud eos nullos fuisse Medicos. Erat profecto, quod MACROBIUS *Saturn. L.* I. *c.* 15. ait, *Ægyptus artium mater*, &, quod *c.* 19. scribit, erant *Ægyptii omnium Philosophiæ disciplinarum parentes*; ut recte cum CONRINGIO *Antiqq. Acad. Diss.* I. *p.* 3. facere videar, qui contendit, aut diu ante, quam ad Græcos eruditio transiret, apud illos scientias regnasse, aut certe hanc eos sibi gloriam vindicasse. Inter has Medicinam quoque apud se repertam voluisse tradit PLINIUS *H. N. L.* VIII. *c.* 56. *p.* 339. & firmat SUIDAS *voce:* Γράμματα *T.* I. *p.* 493. cum Clemente Alexandrino inventæ universæ artis Medicæ gloriam Apidi, Ægyptio indigenæ, vindicans, ejus amplificationem autem Æsculapio tribuens. v. *V. Cel.* REIMMANNI *Antiqq. liter. Ægypt.* §. 36.

p. 77. §. 45. *p.* 105. & §. 49. *p.* 132. HUNDERTMARCK *in Diss. de princip. Diis art. Med. tutel.* §. 5. *p.* 7. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 15. ut inde BORRICHIUS *in Herm. Ægypt. P.* 1. *c.* 6. *p.* 115. maxima sui parte Materiam Medicam ab Ægyptiis inventam & inde ad Græcos derivatam esse defendat. Quis autem ex illa gente primus salutaris doctrinæ inventione clarus extiterit, haud facile, puto, quisquam extricabit, nisi cui

divinare magnus donavit Apollo.

Quum enim Ægyptii omnes, qui hac in re paullo supra vulgus sapiebant, illico Deos esse juberent; factum inde est, ut hoc insequentium temporum Scriptores ita transvorsum egerit, ut, non animadvertentes, una die Ilium conditum non esse, mox huic, mox illi, laudem hanc propriam esse voluerint. Sin vero attentius observassent, qua parte quisque præcelluerit, quod *V. Cel.* REIMMANNI *in Antiqq. literar. Ægypt.* §. 49. *p.* 131. *seq.* institutum fuit, non, puto, tot emersissent sententiarum divortia. Apidem universæ Medicinæ primum autorem habitum esse, modo diximus. Hunc vero non alium fuisse, quam qui sæpius Serapidis & Osiridis nomine venit, compluribus jam observatum est. v. HUNDERTMARCK *d. Diss.* §. 5. *p.* 7. NEAND. *de Medic. natal. p.* 17. & 18. *Abbas* SEVINUS *binis Diss.* quibus probare allaborat, Menen Thiniten esse Mizraimum, evincere studet, illum ipsum (quem primum Ægypti, & quidem Dynastiæ Thebaidos, Regem narrant HERODOT. *Hist. L.* II. *c.* 4. & DIODORUS SIC. *Biblioth. L.* I. *p.* 29. quemque Chamum fuisse affirmat MARSHAMUS *in Can. Chron. p.* 22. 23. & 30. sed pernegat PERIZONIUS *Orig. Ægypt. c.* 5. *p.* 66. *seqq.*) Osiridis nomine divinos honores assecutum esse; cui tamen PERIZONIUS *Origin. Ægypt. c.* 5. *p.* 75. *seq.* eam ob rem dicam scribendam duxit. Nec accuratius mea quidem sententia calculum posuit BRAUNIUS, dum *Select. Sacr. L.* IV. *p.* 437. *seqq.* Isidem, Apim, Osiridem, Josepho comparare

parare satagit; cui hypothesi merito strenue obviam ivit *Joh.* LEHMANNUS *in Diss. de Serapide Ægyptiorum Deo Maximo, contra Scriptores in Dæmonis illius cultu* ἀποθέωσιν *Josephi propugnantes*, quæ in *Th.* CRENII *Museo Philol. Hist. T.* 1. *p.* 401. *seqq.* recusa legitur. Sunt alii, qui auctoritate Taciti Osiridem eundem cum Æsculapio pronunciant; rursus sunt, qui, MACROBII *Saturn. L.* 1. *c.* 21. testimonium sequuti, Apollinem apud Ægyptios hoc nomine indicatum esse autumant: v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 15. *a* REJES *Elys. jucund. quæst. Camp. Q.* 3. Sed non est hujus loci

tantas componere lites.

Qui de divino honore ei ab Ægyptiis ob repertas Medicinas exhibito plura cupit, consulat *Th.* GALE *ad Jamblich. de Myst. p.* 286. JARCKIUM *ad* SCHEDII *de Diis Germ. Syngr.* 1. *c.* 4. *p.* 111. 133. 138. *seqq.* SELDENUM *de Diis Syr. Synt.* 1. *c.* 4. *Jul.* FIRMIC. MATERN. *de error. profan. Relig. p.* 2. *atque ibi Wouwerum in notis.*

§. V.

Sed istam gloriam Osiridi non adeo propriam voluerunt esse Ægyptii, quin illam cum Iside, ejus sorore, & per incestum connubium (quod *Jul.* FIRMIC. MATERN. *de error. profan. Relig. p.* 2. *& Wouwerus ibi in notis* exagitant) uxore, communicaverint. Illi, teste DIOD. SIC. *Biblioth. L.* 1. *p.* 22. multorum salutarium pharmacorum, & præprimis τȣ̃ τῆς ἀθανασίας φάρμακȣ *immortalitatis pharmaci* inventionem tribuunt: v. REIMMANNI *Antiqq. liter. Ægypt.* §. 36. *p.* 77. *seqq. &* §. 49. *p.* 131. *seq.* TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 3. NEAND. *de Medic. natal. p.* 10. HUNDERTMARCK *de princ. Diis art. Med. tut.* §. 3. *seq. p.* 6. *seq.* Et propter hæc in humanum genus merita hanc æque ac istum divinis prosequebantur honoribus, atque, uti in Osiridis symbolo Solem, ita in Isidis, quod MACROBIUS *Saturn.*

L. 1. *c.* 21. vult, Terram ſeu rerum naturam, aut, quæ SUIDÆ *in voce:* Δόγμα⁊ *T.* 1. *p.* 612. eſt ſententia, Lunam venerabantur. Conf. *H. J. van* BASHUYSEN *Diſſ. de Iſide Magna Dearum matre. Laur.* PIGNORII *menſa Iſiaca.* OBRECHTI *Opuſc. p.* 464. *ſeqq.* JARCKIUS *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* 1. *c.* 13. *p.* 345. Par honos ejus filio Oro, quem Titanum inſidiis oppreſſum Iſidem vitæ reddidiſſe & immortalitatis participem feciſſe fabulatur DIODOR. SIC. *Biblioth. L.* 1. *p.* 22. ab Ægyptiis delatus eſt. Nam hunc quoque medendi & vaticinandi arte, quam a matre doctus erat, bene de mortalium genere meritum eſſe Idem teſtatum reliquit. v. TIRAQUELL. *de Nob. c.* 31. *N.* 3. REIMMANNI *Antiq. Liter. Ægypt.* §. 36. *p.* 78. *&* §. 45. *p.* 105. Quis Orus iſte fuerit, num Apollo, num Miphlezet, aliusve Deaſter, alienum foret heic disquirere. Conf. eam in rem NEAND. *de Medic. natal. p.* 10. GUNDLINGIANA *Part.* XIX. *N.* 2. §. 4. Circa hæc forſan etiam tempora inclaruit Æſculapii Memphitis ingenium, quem inter primos hominum opinione humana Deum factum memorat CLEMENS ALEX. *Strom. L.* 1. *p.* 334. quique & ipſe medendi arte famam ſibi comparavit, &, quæ Marshami & Borrichii conjectura eſt, ſecandis & ſcrutandis cadaverum viſceribus clarus exſtitit. v. REIMMANNI *Ant. Lit. Ægypt.* §. 37. *p.* 80. *ſeq.* §. 45. *p.* 105. §. 49. *p.* 131. Quin in ipſis Hermetis Trismegiſti ſcriptis, ſive illius ſint, ſive mentiantur autorem, Æſculapii iſta laus eſt. v. CONRING. *de Philoſ. Ægypt. C.* 2. Nec longius ab hoc ævo abfuiſſe videtur Jachen, Regis Senyis æqualis, qui, amuletorum incantationumque peritus, quod peſtem accenſis ignibus exſtinxiſſet, non magnifico ſolum elatus eſt funere, ſed &, ſi quando morbus epidemicus ingrueret, ſacri ſcribæ, fanum ejus adeuntes, ſacris rite peractis, ex illius ara ignem accendebant, & rogis per urbem excitatis luem ita propulſabant, teſte SUIDA *in voce:* Ἰαχήν. *T.* 11. *p.* 92. *ſeq.* Atque hunc quidem eo minus ex Sacerdotum Collegio fuiſſe dubito, quo magis Heraïſci exemplo apud SUIDAM *voce:* Ἡραΐσκ⊗

Ἡρακλείδης *T.* II. *p.* 68. patet, iis nonnunquam ob insignia merita ἀποθέωσιν decretam esse, quoque magis infra §. VII. & VIII. fiet perspicuum, tum quidem temporis Medicam artem purpuræ, & præcipue insulæ privam fuisse.

§. VI.

Sunt vero, qui his omnibus primæ inventionis palmam dubiam reddunt, illamque Hermeti Trismegisto addicunt. Fuit hæc celeberrima & magnis animorum motibus superiore Seculo agitata CONRINGIUM inter & *Ol.* BORRICHIUM controversia; cujus si momenta percensere, ne dicam discutere, constituerem, Commentarium scribere aggrederer. Neque tamen possum, quin in hujus partes me proniorem, quam illius, esse profitear. Præterquam enim, quod post alios REIMMANNUS *Ant. lit. Æg.* §. 37. *p.* 79. *seq.* jam observaverit, Conringium sibi in hac causa non semper constare, nec omnia ejus dicta de tripode esse; certe imbelle admodum mihi argumentum videtur, quando *Idem* CONRINGIUS *de Philos. Ægypt. c.* 2. illud urget; quod in Hermetis scriptis, quæ tamen non Ipse solum Seculi post C. N. II. fœtum esse strenue contendit, sed jam ante Illum BARTHIUS *Adversar. L.* XI. *c.* 16. falsi arguit, quod, inquam, in illis ab Æsculapio Medicina natales duxisse dicatur. Nec ejus sententiæ plus inde roboris accedit, quod Ægyptii Isidem Medicinæ inventricem jactitaverint. Quamvis enim ut hoc largiamur liberales simus, supra tamen §. IV. jam dictum est, omnes illos, qui inventis aliquid addebant, promiscue Medicinæ quasi autores constitutos esse. Ita sane Isidem τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον reperisse memoravimus, atque Isidis emplastri frequens apud Galenum & Aëtium est mentio. Quin ab Hermete se eruditam esse ipsa Isis apud DIODOR. SICUL. *Biblioth. L.* I. *p.* 23. fatetur: Ἐγὼ Ἶσις εἰμὶ ἡ Βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ἑρμοῦ. *Ego Isis sum Regina totius regionis, docta ab Hermete.* Imo Conringii sententiæ non pauca antiquitatis monumenta plane adversa

fronte

fronte repugnant, quæ ſingula perluſtrare vetat inſtituti ratio. v. DIODOR. SICUL. *Biblioth. L.* I. *p.* 23. HUNDERTMARCK *d. Diſſ.* §. 2. *&* 3. *p.* 5. *&* 6. NEAND. *de Medic. natal. p.* 8. *ſeq.* TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 4. REIMMANN. *Ant. lit. Ægypt.* §. 37. *p.* 79. *ſeq.* §. 45. *p.* 104. §. 49. *p.* 131. *&* 132. Certe, ſin vera eſſet HOFMANNI *Lex. Univ. T.* I. *voce: Athotis p.* 387. conjectura, Aſthotin eundem cum noſtro Hermete fuiſſe, luculentiſſimum ſane foret Manethonis apud EUSEBIUM *in Chron. p.* 141. teſtimonium, Aſthotin, atque ſic Hermetem, medicinam feciſſe, niſi & hoc CONRINGIO *de Hermet. Medic. L.* I. *c.* 10. *p.* 89. fabulam saperet. Conf. REIMMANNUS *Ant. lit. Æg.* §. 37. *p.* 80. *&* §. 45. *p.* 105. Aſthotis & Hermetis ætas utique parum diſtare videtur, cum illum primum Thinitarum Regem fuiſſe; hunc autem teſtimonio SUIDÆ *in voce:* Ἑρμῆς *T.* I. *p.* 859. ante Pharaonum tempora, (aut, qui NEANDRI *de Med. natal. p.* 9. calculus eſt, trecenteſimo circiter a diluvio anno) vixiſſe conſtet. Quo argumento ſimul etiam *Th.* GALE *in Philoſ. gener. L.* I. *c.* I. §. 6. corruit opinio, quaſi Hermes ille non alius a Joſepho fuerit; quod adhæc vel inde ſatis eſt improbabile, cum univerſam fere Hermetis Medicinam ſuperſtitione contaminatam fuiſſe ex ſcriptis, quæ ejus eſſe feruntur, luculenter pateat. v. CONRING. *de Philoſ. Ægypt. c.* 8. An vero genuini illi ſint Hermetis libri a Clemente Alexandrino laudati, atque num Kyrannus, Perſarum Rex, ejus doctrinas, Syriacis characteribus ferreæ columnæ inſcriptas, poſteritati ſervaverit, quod ex Græculo Auctore BARTHIUS *Adverſar. L.* XI. *c.* 16. narrat, non lubet accuratius inquirere, tum, quia illud a noſtro argumento alienius eſt, tum, ne forſan moroſo Catoni magno conatu magnas nugas ſcripſiſſe videamur.

§. VII.

Quum vero, quæ priſca erat pietas, veteres ad multas curas perficiendas homine labe carente, & præprimis a rebus

Veneris

Veneris alieno, opus esse existimarent, quarum non unum prostat exemplum apud Marcellum Empiricum; v. BARTHII *Adversar. L.* XXXV. *c.* 18. *p.* 1664. *seq.* hinc factum videtur esse, ut in Ægypto Sacerdotum Collegio, quod ibi ob pietatem in Deos in summa auctoritate fuisse narrat DIODOR. SIC. *Bibl. L.* 1. *c.* 73. Medicina quasi in peculium cesserit. v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 292. Accedit & altera caussa: Quum enim his solis fere omnis doctrina, quoniam otio liberali abundabant, curæ cordique esset; v. CONRINGII *Antiq. Acad. Diss.* 1. *p.* 3. fieri aliter non potuit, quin & ars Medica illorum curæ ablegata sit. Atque huic præcipue illi ex eorum numero operam dabant, qui οἱ πασοφόροι audiebant. v. CONRINGII *Antiq. Acad. Diss.* 1. *p.* 5. REIMMANNI *Ant. lit. Æg.* §. 36. *p.* 78. *seq.* Neque contingere facile poterat, ut artium hoc quasi monopolium cum eorum familiis divortium faceret, quoniam illa, quæ per manus tradita a majoribus acceperant, studiose celabant, v. RENAUDOT *Diss. de l'orig. de la Sphere, dans les Mem. de lit. de l'Acad. des Inscr. & bell. lettr. T.* 1. *p.* 18. *seq.* & vix alios, quam liberos suos, ex more istius regionis ad paternum vitæ genus adstrictos, docebant. v. CONRINGII *Antiq. Acad. Diss.* 1. *p.* 3. & 5. *seq.* Hanc vero arcanam disciplinam eo magis e re liberorum futuram arbitrabantur, quo magis illa rei familiari conducebat. Erogabantur enim iis ex communi lauta non solum stipendia, sed erant ab omnibus oneribus publicis immunes, & præterea in summa veneratione. Quin & omnis ager istius Regni tripertitus erat, cujus primam portionem Sacerdotes, qui, ut Senatus Principes, Regi opera, consilio & doctrina aderant, atque primas ab illo honoris & potestatis tenebant, sibi vindicabant, teste DIODOR. SICUL. *Biblioth. L.* 1. *c.* 73. altera Regi, & tertia militibus relicta. v. CONRING. *Antiq. Acad. Diss.* 1. *p.* 3. *seq.* TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 399. *a* REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 19. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 6. Adeo amplis emolumentis commendatam ar-

 tem

tem eo facilius sibi privam servare poterant, quo magis rudi isto Seculo longo rerum usu acquirenda erat. Petebatur enim tum quidem adhuc temporis vel ab observatione animalium, vel a viis publicis, vel e templo, quorum duo posteriora genera, illud de trivio & margine, hoc de templo & ara vocans, exagitat TERTULLIANUS *in Apologet. & de Pallio.* Antiquissimis certe temporibus complura Medicinæ genera ab animantibus observata, atque homines in iis, quæ ad salutem conducunt, illorum quasi discipulos factos esse, eleganter per indicem observat PLUTARCHUS *in libro: Utra animant. plus ration. hab. terrest. an aquat. Varior. Opp. T.* III. *p.* 1792. *seq.* cujus lectu digna verba, nisi prolixiora essent, adscriberem. Quin *ibid.* de Ægyptiis Sacerdotibus inprimis autor est, illos Ibin in nonnullis imitatos esse. Conf. *a* REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 3. *p.* 55. & BESOLDI *Thes. Pract. p.* 50. Altera medendi spes erat in foro & triviis. Illud enim Orientalibus gentibus ad unam fere omnibus, (quamvis etiam de Occidentalibus quibusdam, veluti de Bastitanis STRABO *Geogr. L.* III. & Iberibus in universum EUSEBIUS *H. E. L.* X. *c.* XI. idem testentur. v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 428. & *Al.* SARD. *de mor. ac rit. gent. L.* I. *c.* 23. *in Gaud.* ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* II. *p.* 298.) Babyloniis, Assyriis, Ægyptiis admodum erat familiare, ut ægros, quibus Medicina, qua salutem recuperare poterant, non esset in promtu, vel in foro, vel ante fores in viis publicis exponerent, quo facto nemini fas erat ejusmodi ægrum ἐν κραββάτῳ (quem genus lecticæ fuisse SCULTETUS *Exerc. Evang. L.* I. *c.* 97. docet) elatum & depositum præterire, priusquam percontatus esset, quo quisque morbi genere laboraret, &, si quid vel ipse in simili morbo salubre expertus esset, aliumve curans comperisset, illud cum ægroto communicasset. Atque hoc potissimum pacto artem experientia crevisse affirmat PLUTARCHUS *in libro: Num recte dict. sit: λάθε βιώσας, Varior. Opp. T.* III. *p.* 2068. Conf. *Actor.* V. *v.* 15. LAURENTII *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 128.

p. 128. *Al.* SARDUS *de rit. ac mor. gent. L.* I. *c.* 23. *in Gaud.* ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* II. *p.* 298. TIRAQUELL. *de Nobilit. c.* 31. *N.* 37. 38. & 428. *a* REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 3. NEAND. *de Medic. natal. p.* 7. Hinc quoque, quod ὡς ἐν παρόδῳ addendum duco, contigit, ut, de quorum salute desperabatur, hi *depositi* dicerentur. Ita VIRGILIUS *Æneid. L.* XII. *v.* 395.

Ille ut depositi *proferret fata parentis*,

observante ibi SERVIO, CERDA, & GERMANO, voce hac utitur. Nec aliter SENECA *in Oed. Act.* V. *v.* 1057.

Ite, ferte depositis *opem*,

ait, & CICERO *in* 2. *Orat. in Verr. c.* 2. *Oratt. T.* I. *P.* I. *p.* 414. eleganter *ægram & prope depositam Reip. partem* vocat. Erat autem iste mos eo magis Sacerdotibus Ægyptiis ex usu, quum liberati morbo in templis scriberent, quid profuisset, teste PLINIO *H. N. L.* XXIX. *c.* I. &, ne sacra illa arcana cuivis e vulgo in propatulo essent, Sacrorum Ministri ea aut hieroglyphicis figuris consignabant, v. *a* REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 3. aut, Galeni fide, Memphis in Hephæstio, Vulcani & Isidis sacrario conscripta deponebant. v. NEAND. *de Medic. natal. p.* 7. Tertia ab Ægyptiis salutem expediendi via credebatur, ut valetudinis causa in templis cubarent, v. CONRINGIUS *de Philos. Ægypt. c.* XI. & *singulari Diss. de incubatione in fanis Deorum Medicinæ causa olim facta*, quem ritum & postea Romanos infecisse, ex PETRONII *Satyr. p.* 24. & tabulis marmoreis, quas in templo Æsculapii Romæ repertas exhibet MERCURIAL. *de arte gymnast. L.* I. *c.* I. satis apparet, quamvis illam medendi rationem jam CICERO *de Divin. L.* II. *c.* 59. exsibilet. Conf. ZIMMERMANNI *Anal. misc. menstr. p.* 157. Quum enim, Deos inter & bonos homines arctam intercedere consuetudinem & amicitiam, omnium fere Gentilium calculo comprobata esset opinio, ceu MA-

JUS *Obſervatt. L.* 1. *p.* 26. *& p.* 128. *ſeqq.* data opera demonſtravit; facile perſuaderi ſibi patiebantur, complures Deos Deasque hominibus in ſomniis ſanitatem reddidiſſe. Talia exempla congeſſit DRELINCOURTIUS *in Achill. Homer. N.* 247. *p.* 107. & ejusmodi ſomnia in templo Æſculapii Ægyptios impetraſſe refert JAMBLICHUS *de myſter. Ægypt.* v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 39. atque de Iſidis fano teſtatur DIODORUS SIC. *Biblioth. L.* 1. *p.* 22. Iſtud vero ſomniorum genus χρηματισμὸς vocabatur. v. MACROBII *Somn. Scip. c.* 3. Conf. *Guil.* CAVE *Antiq. Apoſt. p.* 342. DUPORTI *&* SCHERPEZEELII *not. ad* HOMERI *Il. A. v.* 63. Sin vero ita quis in ſomnio, aut voce, ut putabant, divina (quam, me quidem judice, procul dubio Sacerdotes cubantibus, vel ex conſignatis jam remediis, vel, ut novi quid experirentur, inſuſurrabant) ſanatus eſſet, tum præter venerationem & dona, quæ inde ſuperſtitioni & Sacerdotibus accreſcebant, hic etiam ad illos, eorumve poſteros, redundabat fructus, ut ſanati, quorum periculo experimenta ceperant, media, quæ ſibi profuerant, in templo ejus Dei, cujus ope ſe reſtitutos putabant, conſcriberent. De Iſidis templo illud TIBULLI *L.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 27.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis,

argumento eſt, v. HUNDERTMARCK *Diſſ. de princip. Diis art. Med. tutel.* §. 3. atque idem in Serapidis æde factum eſſe, ex STRABON. *Geogr. L.* XVII. colligo. v. REIMMANNI *Ant. liter. Æg.* §. 36. *p.* 78.

§. VIII.

Præter Sacerdotes autem vix quisquam in Ægypto Medicinam faciebat, ſi nonnullos Reges, qui iſti ſtudio ſe conſecrarunt, excipias. Ita de Necepſo autor eſt *Jul.* FIRMIC. *Aſtron. L.* IV. *c.* 10. illum *omnium ægritudinum medelas inveniſſe;* v. TIRAQUELL. *de Nob. c.* 31. *N.* 126. *ſeq.* uti Petoſirin,

tosirin, cujus FIRMIC. *ibid.* meminit, itidem præceptis sanitatis clarum exstitisse liquet ex JUVENAL. *Sat.* VI. *v.* 579. *seq.* v. TIRAQUELL. *de Nob. c.* 31. *N.* 128. & CELLARII *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 4. §. 2. *p.* 251. & de Polydamnæ, Thonis Ægyptii conjugis, scientia Medica testis est HOMERUS *Odyss.* Δ. v. TIRAQ. *l. c. N.* 333. Sicuti autem vix negari potest, horum artem multa superstitione infectam fuisse, quod de Necepso manifesto confirmat AUSONIUS *Ep.* XIX. *v.* 18.

Quique Magos docuit mysteria vana Necepsus,

ita, si, quod res est, fatendum, largiamur necesse est, universam fere Ægyptiorum medicinam magicis artibus deformatam fuisse, cum eorum Sacerdotes hujusmodi nugis impensius indulgerent. v. CONRING. *Antiq. Acad. Diss.* I. *p.* 4. Erat enim magnam partem ex herbis multa superstitione lectis, quarum singulis certos quosdam præficiebant Decanos, quibusque tantam inesse jactabant vim, ut ope illarum se non solum Manes evocare posse sibi blandirentur, sed plane remedia prædicabant, quibus, quicquid vellent, efficere valerent, ut de credito ab iis astrorum influxu, de amuletis medicativis, de exorcismis, & quæ reliqua sunt hujus furfuris, nihil addam, quæ explodunt CONRING. *de Philos. Ægypt. c.* 10. *&* 11. nec non BARTHIUS *Adversar. L.* XI. *c.* 16. & longo ordine enarrat *Ath.* KIRCHERUS *in OEdipo Ægypt. T.* II. *Part.* 2. *Class.* 9. *& T.* III. *Synt.* 19. Quæ omnia me permovent, ut, quamvis REIMMANNO *in Ant. lit. Æg.* §. 37. *p.* 79. 80. haud difficile illud concedam, CONRINGIUM haud raro hypothesi suæ inserviisse, non tamen EIDEM *de Philos. Æg. c.* 9. *seqq.* temere obloquendum putem, dum ejus quidem ævi Medicinæ, Physiologiæ & scientiæ Anatomicæ admodum exiguum statuit pretium. Atque hoc quidem temporum vitium fuit, non artis, quam Reges omnibus modis promotam volebant, eaque fini singulis fere membris singulos Medicos destinabant; v. LAU-

RENTII *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 128. quin, si ante quartum diem pharmaco Medicus ægrotum purgaret, capitale esse jubebant. v. CONRING. *Antiq. Acad. Diss.* II. *p.* 51. Nec tamen illud dissimulandum est, artem legibus nimis adstrictam fuisse, &, cum sex posteriores Mercurii libri, a CLEM. ALEX. *Strom. L.* VI. *p.* 634. memorati, ad artem Medicam pertinuerint, v. REIMMANN. *Ant. lit. Æg.* §. 36. *p.*79. his fere, & iis, quæ in templis consignata erant, mordicus adhæsum esse, ceu notat CONRING. *Antiq. Acad. Diss.* I. *p.* 5. & *de Philos. Ægypt. c.* XI. & adeo plerosque Medicos ex commentario fuisse. Hinc factum est, ut, postquam Ægyptus Alexandri M. victricibus armis Græciæ esset subjugata, antiqua illa Medicina oblivioni cœperit mandari. v. CONRING. *de Philos. Ægypt. c.* 9. Quod præcipue ex illo contigit tempore, ex quo Ptolomæus Philadelphus, Lagi filius, cui hoc regnum cesserat, conductis optimarum Artium Professoribus, Alexandriæ, quæ AMM. MARC. *L.* XXII. *c.* 16. *omnium civitatum vertex* audit, Scholam aperuit publicam; cujus, cum ejus filius Ptolomæus Evergetes & ipse re medica atque herbarum cognitione delectaretur, v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 135. tanta brevi cœpit esse celebritas & nomen, ut satis Medico esset ad commendationem, modo se Alexandriæ eruditum esse profiteretur, testante AMM. MARCELL. *L.* XXII. *c.* 16. v. PIGNORII *Symb. Epistol. Ep.* 9. *p.* 35. REIMMANNI *Ant. lit. Ægypt.* §. 47. *p.* 119. *seq.* CONRING. *Antiq. Acad. Diss.* I. *p.* II. & 26. *seq.* & *in Supplem.* XVII. *p.* 237. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 403. Ex illa enim Academia, tanquam ex equo quodam Trojano, Medici toto orbe Celeberrimi, Lucas Evangelista, Galenus, Joannes Alexandrinus, Zeno Cyprius, Agapius Alexandrinus, aliique non pauci prodierunt, atque huic Urbi, variis licet fortunæ vicibus quassatæ, bonarum artium, & præprimis Medicinæ studium, hereditario quasi jure per plura Secula adhæsit. v. NEAND. *de Medic. natal. p.* 62. *seqq. p.* 103. *seq.* & *p.* 106. *seq.*

seq. Atque de hac nobilissima Urbe, ejusque clarissimi nominis Academia, plura dicenda restarent, nisi Græciam, quæ me vadimonium cogit deserere, petendam esse intelligerem. Qua in re eo me lubentius gratiam impetraturum confido, quo magis in celebranda tum Urbe, tum Academia, jam desudarunt AMMIAN. MARC. *L.* XXII. *c.* 42. GOLIUS *ad Alfraganum p.* 159. LIPSIUS *de Biblioth. c.* XI. RECHENBERGIUS *Exerc. Acad. de Museo Alexandrino*, *Henr.* GREVE *in Diss. de Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege*, & biga Celeberrimorum Virorum, *Jo. Frid.* GRONOVIUS *in Exercitatt. Acad. de Museo Alexandrino*, &, qui NEOCORI nomine latere voluit *Ludolph.* KUSTERUS *in Diatr. ejusdem argumenti*, quæ, æque ac illæ, *Gronoviani Græcarum Antiquitatum Thesauri Tom.* X. ornat.

§. IX.

Ex Ægypto nobilissimam artem in Græciam trajecisse, nemo forsan ibit inficias. Num vero Apis eam cum Græcis communicaverit, quod NEAND. *de Med. nat. p.* 18. contendit, id quidem non adeo expositum esse puto. Illud vero magis est exploratum, diu jam ante Trojam eversam lauto satis hospitio Medicos in Græcia exceptos fuisse, & non ea solum tempestate, sed multis post Seculis, maximam illis constitisse auctoritatem. Ne dicam, HOMERUM *Il.* λ. *v.* 715. Medicum multis aliis anteponere, & reliquis hominibus omnibus scientiorem *Odyss.* δ. prædicare; certe IDEM *Odyss.* ρ. peregre revertenti vix quenquam præter Medicum aut vatem invitandum esse existimat, quod MAXIM. TYR. *Diss.* XL. *p.* 399. ita capit, ac si Poëta hos solos Sapientum encomio dignos judicaret. v. DUPORTI *Gnomol. Homer. p.* 244. Quicquid ejus sit, Homerum de arte, cujus illum non plane rudem fuisse per inductionem docet TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 165. *seqq.* paullo elatius sensisse, & affectui in eam aliquid indulsisse videtur. Contra vero non etiam audienda Comicorum, si quæ sunt, dicteria, cujus

jus generis ille apud TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 426. MENANDRI *senarius:*

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν,

Multorum Medicorum accessus me perdidit,

aut Pausaniæ cujusdam ἰατρομάστιγος jocus, quo Thraces vinci posse, si Medicus Dux constitueretur, significabat, & quæ alia reperimus male feriatorum capitum scommata. Nec plus Medicinæ dignitati apud Græcos derogabit, etiamsi ex PLINIO *H. N. L.* xxv. *c.* 8. intelligamus, Arcades non uti medicaminibus, quippe quorum stupidum & stipiti simile ingenium vel hodie adhuc est in proverbio. v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 429. Est enim illud indubium, & ÆLIANUS *H. A. L.* 11. *c.* 18. luculentissimus testis, Medicinam antiquitus non nisi intra Regum Principumque Palatia cultam esse; imo successu temporis cultissimam terrarum Græciam præter Artium liberalium & Philosophiæ atque Medicinæ Doctores vix alios eruditionis Magistros habuisse. v. CONRINGII *Antiqq. Acad. Diss.* 1. *p.* 9. Apud Græcos vz. quod PLUTARCHUS *in præcept. de tuenda bona valet. Varior. Opp. T.* 1. *p.* 213. ait: Τῶν ἐλευθερίων τεχνῶν ἰατρικὴ τὸ μὲν γλαφυρὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιτερπὲς οὐδεμιᾶς ἐνδεέστερον ἔχει, *inter liberales artes Medicina politie, splendore, jucunditate nulli cedit;* (quam dignitatem vereor, ut recte TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 523. Chirurgicæ, quæ tamen priscis temporibus præcipua Medicinæ pars erat, detraxerit, atque solis Diæteticæ & Pharmaceuticæ *N.* 406. *&* 522. vindicaverit) eamque ob caussam artem hanc Philosopho minime indignam judicabat Græcia, nec utriusque studii, ut Phrygum & Mysorum, fines distare censebat, sed illos potius laudandos Philosophos, qui

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,

*Ædibus in propriis quid pravi recti*que geratur,

cogno-

cognoscere cupiant, ceu eam in rem eleganter disserit PLUTARCHUS *de tuenda bona valet. Varior. Opp. T.* I. *p.* 212. *&* 213. & hinc ambas sororio nexu invicem adeo conjunctas dicebant, ut, quemadmodum Philosophus animæ, ita Medicus corpori medelam adferret. v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 287. Quin ad Hippocratis usque tempora Philosophos una cum studio sapientiæ medicam artem coluisse, vero admodum est simile, v. CELLARII *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. *§.* 1. *p.* 263. *seq.* atque inde illud etiam mansit, ut, quum pallii honor Philosophis in Græcia fere proprius esset, Medicis tamen, utpote περὶ ἄνθρωπον philosophantibus, idem tributus sit, v. MEIBOMII *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 5. *p.* 49. quamvis id quoque diffiteri nolim, discretis ab Hippocrate harum artium finibus Philosophos sibi aliquid præcipui præ Medicis arrogasse, tum, quia eos tantum circa corpus versari, tum, quoniam illis τὰ ἔσχατα τῶν αἰτίων θεωρῆσαι ἐξαρκεῖν *postremas caussas inspicere sufficere* putabant, v. PLUTARCH. *de primo frig. Varior. Opp. T.* III. *p.* 1746.

§. X.

Quemadmodum autem, ceu modo dictum, Medicina inter liberales artes una erat ex præcipuis, ita sane ea vix præterquam a Viris principibus exercebatur, servis illiberalem tantum tractantibus, teste PLATONE *de LL. L.* I. *&* IX. v. NEAND. *de Medic. natal. p.* 13. Lege enim Atheniensium, narrante HYGINO *Fab.* 274. cautum erat, ut *Ne quis servus aut femina Medicinam disceret;* quippe ex mente EURIPIDIS apud STOBÆUM *Eclog. c.* 60.

Ου χρὴ ποτ᾽ ἄνδρα δοῦλον ὄντ᾽ ἐλευθέρας
Γνώμας διώκειν.

Non decet virum qui servus est liberales
Artes tractare.

Conf. PETITUS *ad LL. Att. p.* 300. CELLARII *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. §. 2. *p.* 264. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 23. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 409. & 526. Neque illa lex manifesta destituebatur ratione, atque ea ipsa vel maxime Medicorum consulebatur honori, quum servi apud Athenienses fere æque vilis & abjectæ, ac apud Romanos, essent conditionis, qui illibi etiam in numero rerum habiti, & inde mox κτήματα mox σώματα dicti esse videntur. v. SPANHEM. *ad Aristoph. Plut. v.* 4. & CASAUBON. *ad Athen. Deipnos. L.* v. *c.* 10. Hoc ipso tamen non omnimode negavero, servos quandoque Dominos consectando, eosque opera sua adjuvando, aliqualem medendi rationis sibi comparasse notitiam. Affirmat hoc PLATO *de LL. L.* IV. *p.* 834. inquiens: Κατ' ἐπίταξιν τῶν δεσποτῶν καὶ θεωρίαν, καὶ κατ' ἐμπειρίαν τὴν τέχνην κτῶνται ὑπηρέται τῶν ἰατρῶν. *Præcepto Dominorum & theoria, & empiria artem comparant ministri Medicorum;* v. PITISC. *ad Suetonii Aug. c.* 59. *p.* 287. & hi quidem extra Astum sæpius medicinam fecere, ceu vel Aristogenis Cnidii, Chrysippi Philosophi servi, postea vero Antigoni Gonatæ, Macedoniæ Regis, ex cujus curatione magnam famam consecutus est, Medici, exemplo patet. v. SUIDAM *in voce:* Ἀριστογένης Κνίδιος *T.* I. *p.* 325. Conf. *V. Cel.* FABRICII *Biblioth. Græc. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 83. In fœminis plane dispar interdictæ Medicinæ ratio videtur fuisse, quas macula illa natalium aut status, quæ servos arcebat, si ingenuæ essent, a medicina facienda prohibere non poterat, quippe quas ARISTOTEL. *in Oeconom. c.* 4. ἥμισυ μέρος τῶν ἐλευθέρων *dimidiam ingenuorum partem* vocat. Plerarumque præterea gentium consensus sequiori sexui id indulgebat; quod de Romanis supra Cap. I. §. V. diximus, & CELLARIUS *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. §. 2. *p.* 264. confirmat, atque de Ocyrrhoë Chironis filia & Oenone §. XIV. & XI. narrandi locus erit. Scytharum mulieres Medicinæ operam dedisse ex PLUTARCHI *Conviv. sept. Sapient. Varior. Opp. T.* I. *p.* 257. ubi Eumetin vel Cleobulinam ab Anacharside medicinam discentem fingit, intelli-

intelligimus. Eliacas item fœminas Medicam artem calluisse, ex PAUSANIA *in Eliac. p.* 165. discere licet. Quid quod bene longam Medicarum seriem exhibet TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 322. *seqq.* & ipse summus PLATO *de Republ. L.* v. mulieres æque ac viros Medicinæ faciendæ aptas judicavit. v. TIRAQUELL. *l. c. N.* 321. Neque tamen id Athenienses morari potuit, quin, lata desuper lege, quam HYGINUS *Fab.* 274. servavit, feminas, quo minus Medicinam discerent, vetarent. Quæ sanctionis istius fuerit caussa, non adeo proclive est ad conjiciendum. Mea tamen, si quid judico, sententia illud fortassis huic legi ansam præbere potuit, quod mulieres haud raro ista arte non ad salutem sed ad perniciem hominum abuterentur, quem in modum mulierem Atticam amasium suum philtro necasse ARISTOTELES *Magn. Moral. L.* 1. *c.* 17. auctor est. Quamvis enim veneficarum & sagarum elogium Thessalis præcipue mulieribus proprium esset, unde toties Æmoniæ artes & Thessala venena ab HORATIO *L.* 1. *Od.* 27. *v.* 21. reliquisque Poëtis exagitantur, v. MAJI *Observ. L.* 1. *p.* 5. *&* 7. *&* BARTHIUM *ad Statii Theb. L.* 11. *p.* 259. & hæ veneficiorum quasi præsidem Deam Hecaten sibi delegissent; v. SELDEN. *de Diis Syr. Synt.* 1. *c.* 2. *p.* 114. *seqq.* TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 325. fieri tamen vix potuisse probabile est, quin ex vicinia Athenæ quoque aliquid labis contraxerint. Atheniensium vero prudentiores omnia στοιχειώματα, & sanationes etiam magicas, plus quam Vatiniano prosequebantur odio, adeo, ut & Pericles, celeberrimus eorum belli Dux, ex quo in magna peste carmina quædam a collo sibi suspendi passus erat, ingloriam postea vitam egerit. v. NEAND. *de Medic. natal. p.* 365. Hinc longius a vero aberrasse censendus est NEAND. *l. c. p.* 41. dum Eudemum Medicum apud Athenienses ejusmodi curis clarum exstitisse perhibet, quum illum Eudamum, Pharmacopolam quendam, de quo, num Tros Rutulusve, vix constat, fuisse ex *Scholiaste ad* ARISTOPH. *Plut. v.* 885. manifestum sit. v. *V. C.* FABRICII *Biblioth. Græc. L.* VI. *c.* 9.

Vol. XIII. p. 155. Postquam itaque, si recte conjicio, fœminæ salutari arte forsean secus uti inciperent, Athenienses dicta lege, (cui consimilem apud Messenios viguisse ex PAUSANIÆ *Messenic. p.* 120. non fit improbabile) obicem iis ponendum arbitratos esse existimo. Sed ne sic quidem publicæ satis prospectum erat saluti. Quum enim id, quod PLUTARCHUS περὶ πολυπραγμοσύνης *seu de curios: Varior: Opp. T.* II. *p.* 920. ait, Atticis matronis usu veniret, ut multæ morerentur citius, quam Medicis, etiamsi vel Herophilus, vel Erasistratus aut Æsculapius essent, aliquid secretorum morborum indicarent, atque sic, masculi Medici obtutum non ferentes, certatim interirent, factum est, ut Agnodice quædam virgo, amputatis capillis, habituque virili induta, ab Herophilo artem medicam disceret, & edocta sexui suo adesset. Sed, fraude delata, dum in eo erat, ut, a Medicis in jus vocata, ab Areopago condemnaretur, concursu fœminarum conjuges tanquam hostes, quippe qui eam damnarent, quæ salutem sibi invenerat, increpantium eo res devenit, ut legi ita derogaretur; ne servis Medicinam tractare liceret, fœminis autem ingenuis integrum esset. v. CUJACII *Observat. L.* XVII. *c.* 27. *p.* 818. PETITUS *ad LL. Attic. p.* 300. LAURENTII *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 128. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 6. *p.* 55. SATTLER. *de jur. & privil. Medic. Th.* XI. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 357. *à* REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 23. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. *§.* 2. *p.* 264.

§. XI.

Sed longe ampliores, quam hactenus quidem enumeravimus, in illa literarum custode & altrice Græcia Medicis decernebantur honores. Quum enim artem illam ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες ἐκήρυξαν, *e cælo delapsam non immerito Philosophorum filii prædicarent*, quæ JULIANI *Imp.* in *Epistola*, quæ in *l.* 4. *Cod. Theod. de Prof. & Med.* Latinè extat, verba sunt, & vix eam alterius, quam divinæ originis,

nis, esse posse sibi persuaderent, non subit mirari, cur ante illa tempora, quibus Empirica Secta rationem conculcabat, præstantiores ex Medicis Deorum nuncuparent filios, ceu Hippocratis auctoritate probat NEAND. *de Medic. natal. p.* 12. *seq.* Quandoquidem vero medicas manus quasi Deorum esse existimabant, hinc honestissimam erga ætate grandiorem fœminam allocutionem censebant, si illam *μαίας obstetricis* vocabulo, tanquam insigni honoris præfamine, compellarent. v. HESYCH. *voce*: Μαῖα. HOMER. *Odyss. T. v.* 482. & EUSTATH. *ad Homer. p.* 971. Quin obstetrices etiam haud raro Ἐιλείθυιαι, quasi Junonis Lucinæ (quam parturientibus adesse creditam ex TERENT. *Andr. A.* III. *Sc.* I. *v.* 15. constat; v. JARCK. *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* I. *c.* 9. *p.* 241.) filiæ salutabantur, quæ elegans est observatio SPANHEM. *ad Callim. H. in Jov. v.* 12. Quum autem ne sic quidem Medicorum honori satis litasse sibi videretur fabulosa Græcia, id quoque strenue egit, ut non illos solum Deos, quos per somnia aliove pacto sibi adfuisse credebat, magnificis donaret titulis, sed &, si modo qui Medica arte in terris versantes famam assecuti erant, (siquidem, quod SPONDAN. *in Cœmeter. Sacr. p.* 88. docet, pagana superstitio bene meritos mortuos facile Deos esse jubebat) illos extemplo cœlo locaret. v. *a* REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 3. *p.* 56. Hinc tanta mox Medicorum Deorum cœpit esse copia, ut non immerito DRELINCOURTIUS *in Achill. Homer. N.* 247. *p.* 107. postquam illorum nonnullos recensuisset, lepide addat: *Ce n'est donc pas d'aujourdhui, que tout le monde se mêle d'etre Medecin.* Nos, qua fieri poterit brevitate, præcipuos per indicem enarrabimus. Sic Minervam, cum & ipsa per somnia sanaret, teste PLINIO *H. N. L.* XXII. *c.* 17. Hygieam, Σώτειραν, Pæoniam & Medicam cultam esse ex Pausania, SUIDA, *voce*: Ὑγεία *T.* III. *p.* 524. atque aliis prisci ævi monumentis discimus. v. GRUTERI *Inscript. T.* I. *p.* MLXVII. *Inscr.* 3. 4. & 7. REINES. *Synt. Inscr. Cl.* I. *Inscr.* 26. *p.* 54. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 6.

 p. 63.

p. 63. BOXHORN. *Quæst. Rom. Q.* 1. *p.* 16. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* I. §. 4. *p.* 234. *seq.* TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 336. HUNDERTM. *de princ. Diis art. Med. tut.* §. 8. *p.* 9. JARCK. *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* I. *c.* 12. *p.* 318. SCHACHER. *Diss. de hon. Med.* §. 8. *p.* 17. Cybelen vero infantum morbis remedia adinvenisse ex DIOD. SIC. *Bibl. L.* IV. *c.* 5. est intelligere: atque, cum illam Isidem fuisse, ex iis quæ HUNDERTM. *d. Diss.* §. 4. *p.* 7. dixit, & ex GRUTERI *Inscr. T.* 1. *p.* XXVII. *Inscr.* 2. non sit improbabile, hanc quoque Medicinæ Deam esse habitam satis puto apparere. v. NEAND. *de Medic. natal. p.* 12. & TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 334. Nec majus dubium est, Dianam in hunc censum venire, a qua inventa herba Artemisia dicta fertur, & quam ipsam denuo tanquam Deam Σώτειραν seu Salutarem laudat Pausanias, v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 322. *&* 325. HUNDERTM. *d. Diss.* §. 9. *p.* 9. & Dianam Sospitam Anconitanum marmor apud REINES. *in Synt. Inscr. Cl.* 1. *Inscr.* 281. *p.* 240. Conf. SCHACHER. *Diss. de hon. Med.* §. 8. *p.* 17. Quin ipsam Dearum, quæ ferebatur, Reginam Junonem ἐξακεστηρίαν, seu sanandi vi præditam dictam esse Hesychius testatur, v. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 80. & Junonis Sispitæ, quæ, ut Festus autor est, Sospita postea dicta, prisci ævi tituli apud REINES. *in Synt. Inscr. Cl.* V. *Inscr.* 47. *p.* 383. & Conservatricis Augustæ, atque Conservatricis liberorum Domus Augusti apud GRUTER. *Inscr. T.* 1. *p.* XXV. *Inscr.* 2. *&* 4. meminerunt, quemadmodum eadem Opifera, ob auxilium, quo parturientibus adesse creditam diximus, salutabatur. v. REINES. *Synt. Inscr. in Append. Inscr.* 2. *p.* 1007. De Hepione, Herculis filia, & ipsa quoque Medicinæ non experte, & Oenone, Nympha ab Apolline artem edocta, nihil addo. v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 332. *&* 335. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 6. *p.* 55.

§. XII.

§. XII.

Diximus hactenus de Deabus: Deorum Medicorum superstitio non minorem sibi finxerat numerum. *Bacchum ob repertum præsentissimum pariter ac gratissimum pharmacum vinum, & honorem hederæ, adversis plane viribus vino repugnanti, tributum, Medicum creditum* PLUTARCH. *in Symposiac. Problemat. L.* III. *Probl.* I. *Varior. Opp. T.* II. *p.* 1149. testatur, atque inde Hygiatis seu Sanatoris nomen ei inditum esse confirmat Athenæus. v. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 117. & *a* REJES *in Elys. jucund. quæst. camp. Q.* 3. *p.* 56. Prometheus ipse, quem Noachum nonnulli intelligunt, de Medicinæ inventione gloriatur apud ÆSCHYL. *in Prometh. v.* 454. *seqq.* v. NEAND. *de Med. natal. p.* 8. & HUNDERTM. *Diss. de princ. Diis art. Med. tut. §.* XI. *p.* 10. Mercurio eundem Græciam mendacem detulisse honorem, DIODOR. SIC. *Bibl. L.* I. *p.* 23. testem advoco, v. NEAND. *de Med. natal. p.* 8. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 4. HUNDERTM. *d. Diss. §.* 2. *p.* 5. & inde illum Σῶκον quasi dicas Σωσίοικον domorum seu familiarum Servatorem, Arcecium, ab arcendis malis, & Maximum Conservatorem Orbis dictum esse docet REINES. *in Synt. Inscr. Cl.* I. *ad Inscr.* 81. *p.* 119. atque eadem de caussa forsan ipsi pariter ac Æsculapio gallum gallinaceum sacrum esse voluit Antiquitas. Conf. SALMUTH. *not. ad Panciroll. rer. memorab. Part.* I. *Tit.* 42. *p.* 149. Imo ab Hercule etiam herbas quasdam medicas inventas esse TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 106. & 107. conjectura est; quamvis tamen eum non ob hæc beneficia, sed ob debellata monstra & latrones τȣ̃ ἐυεργέτȣ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῆς γῆς *beneficio afficientis homines & terram* titulum meruisse haud difficile concedam. v. PERIZON. *ad Æliani V. H. L.* V. *c.* 3. PLINIUS *H. N. L.* VII. *c.* 56. Arabo repertæ Medicinæ tribuit gloriam, quem cum Æsculapio eundem censet CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. *§.* XI *p.* 243. Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 5. & HUNDERTM. *d. Diss. §.* 7. *p.* 8.

Deni-

Denique, ne longus ſim, taceo Teleſphorum, a convaleſcentibus pro Deo cultum, v. HUNDERTM. *d. Diſſ.* §. 12. *p.* 10. taceo Jovem ἐξακεστήριον, ſeu Salutiferum, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 30. Jovem Σωτῆρα, ſeu Soſpitatorem, & poculum, quod dici ſolebat, Jovis Servatoris, de quo BANGERTI *Diſſ. de poc. Jov. Serv.* in SEELEN. *Athen. Lubec. Part.* 1. *p.* 65. legitur; utpote quum fere omnes Deos Deasve, quos ſibi in ſomniis apparuiſſe, (de cujusmodi apparitionibus ex inſtituto ZIMPTSCH *in Diſſ. de* ἐπιφανείᾳ Θεῶν, HEBENSTREIT & MONCÆIUS Diſſ. ſingularibus, ille in *Diſſ. Acad. pentad. Diſſ.* 1. hic in CRENII *Opuſc. ad Hiſtor. ac Philol. ſpectant. Faſc.* IX. *N.* 40. *p.* 257. *ſeqq.* (ELLISY) *Fortuit. Sacr. p.* 11. *ſeqq.* SCHERPEZEEL. *ad Hom. Il. A. v.* 198. *p.* 48. *ſeqq.* SCHACHER. *de bon. Med.* §. 7. *p.* 15. *ſeq.* aliique non pauci diſſeruerunt) aut ſalutem reddidiſſe credebant, Σωτήρων & Σωτειρῶν Servatorum & Servatricum elogio mactarent. Vid. DEMPSTER. *Paral. ad Roſini Synt. Ant. Rom. p.* 35. Conf. *le* MOYNE *Var. S. T.* II. *p.* 126. CLERICI *Quæſt. S. p.* 57. *ſeqq.*

§. XIII.

Præcipuus tamen, atque reliquos omnes multis poſt ſe paraſangis relinquens Medicorum Deus Græcis Apollo erat. Quemadmodum enim is antiquiſſimus Medicorum eſſe cenſebatur; v. LACTANTII *Opp. p.* 116. *edit. Walch.* & CELLAR. *Diſſ. Acad. Diſſ.* XII. *c.* 1. §. 1. *ſeq. p.* 232. *ſeq.* ita & ei una fere voce inventæ Medicinæ gloria tributa eſt. Ipſe hanc ſibi palmam vendicat, apud OVID. *Metam. L.* 1. *Fab.* 9. *v.* 521. ita de ſe prædicans:

> *Inventum Medicina meum eſt, Opiferque per orbem*
> *Dicor, & herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.*

v. PICINELLI *Lum. reflex. Part.* IV. *N.* 781. *p.* 517. FABRICII *Biblioth. Græc. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 74. NEAND.

de

de Med. natal. p. 10. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 6. *seqq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 1. §. 1. *seq. p.* 232. *seq.* Quin adeo hujus artis auctor credebatur, ut & ipsa ab eo Apollineæ & Phœbeæ nomen duceret, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 6. quamvis illum præprimis ocularïæ tantum Medicinæ peritum fuisse videatur. v. DEMPSTERI *Paral. ad Rosini Ant. Rom. L.* II. *c.* 17. *p.* 165. *seq.* Quum vero plures Apollines religioso cultu prisca hominum superstitio prosequeretur, Medicinæ tamen inventorem illum potissimum, qui Jovis & Latonæ filius fertur, fuisse credibile est, v. MEIBOMII *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 4. *p.* 26. *seq.* qui eam etiam ob rem splendidis titulis & variis elogiis, tam a Græcis, quam Romanis, ornatus est. Ne dicam, ipsum Apollinis nomen forsan ἀπολύοντα, vel ἀπελαύνοντα, *solventem* vel *propulsantem morbos*, significare, quæ NEAND. *de Med. natal. p.* 10. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 8. & CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 1. §. 1. est sententia, quotocuique non cognitum est, Hippocratem statim in Jurisjurandi exordio Apollinem ἰητρὸν invocare, v. MEIBOMII *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 4. *p.* 26. *seq.* atque huic, immani illa grassante peste, Romæ ædem votam esse, LIVIO *L.* IV. *c.* 25. narrante. v. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 1. §. 3. *p.* 234. Et hæc forsan illa est ædes, quam LIVIUS *L.* XL. *c.* 51. *p.* 642. Apollini Medico ad Tiberim, post Spei, dicatam fuisse ait, aut illa Apollinis Sosiani, cujus PLIN. *H. N. L.* XXXVI. *c.* 5. meminit. Quin in nummis etiam haud infrequens Apollinis Σωτῆρος, Conservatoris, & Conservatoris Augustorum, fit mentio. v. *du* CHOUL *Relig. des anc. Rom. p.* 186. & 187. & BRISSON. *de Form. Pop. Rom. L.* 1. *c.* 81. *p.* 45. Sed hæc quidem omnia Græciæ debebat Latium, quæ & ipsa Ἀκέσιον & Ἀκεσόρα, seu Medicum Apollinem, v. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 1. §. 2. *p.* 233. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 9. item Πανακέα, seu omnia sanantem, cujus Πανάκειαν Poëtæ celebrant, venerabatur. v. SPANHEM. *ad Callim. H. in Apoll. v.* 40. Imo tanta ejus apud Græcos erat

veneratio, ut illum non ſolum abſolute, non addito nomine, ἄνακτα, Regem, v. SCHERPEZEEL. *ad Homer. Il. A. v.* 36. *p.* 14. *ſeq.* ſed & κατ' ἐξοχὴν, & plena quaſi cum emphaſi, Θεὸν, Deum, ſalutarent, v. EURIPID. *Supplic. v.* 508. & BARTH. *ad Statii Theb. L.* v. *v.* 528. quemadmodum Athenienſibus, ob fugatam Urbe peſtem, ἀλεξίκακος, malorum propulſator, & Ἰήϊος, v. SUIDAM *voce:* Ἰήϊων. *T.* 11. *p.* 104. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 9. (ELLISY) *Fortuit. Sacr. p.* 89. Mileſiis ac Deliis vero οὔλιος, ſalutifer, audiebat. v. SUIDAM. *voce:* Οὔλιος *T.* 11. *p.* 737. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 8. Longa foret fabula, ſi Poëtarum encomia accumulare aggrederer: Ita PINDAR. *Pyth. Od.* IV. *p.* 264. illum tanquam ἰητῆρα ἐπικαιρότατον, maxime tempeſtivum Medicum, deprædicat, & CALLIMACHUS ejus ἀμφιλάφειαν, ſeu variarum artium peritiam, commendat, v. SPANHEM. *ad Callim. H. in Apoll. v.* 42. quoniam non medendi ſolum, ſed & vaticinandi peritia inclaruerat, unde illum quoque ἰατρομάντεως nomen ſortitum eſſe novimus. v. SPANHEM. *ad Ariſtoph. Plut. v.* 11. Et hoc quidem, quod utriusque artis priſca Religio eum parentem crediderit, ita nonnulli capiunt, ac ſi id ideo factum, quoniam & ipſa Medicina vaticinio eſſet propinqua. v. LAURENTII *var. antiq. Erud. L.* 11. *Diſſ.* 21. *p.* 127. Quæ vero NEANDRO *de Med. natal. p.* 8. & TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 401. cauſſa fuerit; cur Deum Pæona ſibi finxerint, id quidem me non ſatis perſpicere ingenue profiteor. Neque enim illum diverſum ab Apolline Deum fuiſſe, vero ſatis propinquum videtur. Certe Apollo ipſe Pæon dicebatur, & hoc ei nomen παρὰ τὸ παίειν, a Medicinam exercendo, inditum eſſe ſignificat *Scholiaſt. ad* ARISTOPH. *Plut. v* 636. qui Παιὼν exponit: θεραπεύτης τῶν νοσημάτων. Conf. BOS *Obſ. Crit. c.* 8. *p.* 44. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 9. & *B. H.* GEBHARDI *pecul. Diſſ. de Pæane.* Sed quum tot atque tanta de Apolline Medico reliqua eſſe dicenda animadvertam, ut loquacem, quod Flaccus ait, delaſſare valerent Fabium, ſatius duco in carceribus ſubſiſtere, quam

ad

ad metam usque decurrere. Cui hæc ad palatum sunt, dictis addat, quæ NEAND. *de Med. nat. p.* 10. *seq.* HUNDERTM. *in Diss. de princ. Diis art. Med. tut. §.* 15. *p.* 11. *seqq.* SCHACHER. *Diss. de hon. Med. §.* 8. *p.* 17. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 306. *Sylv.* LÜRSENIUS *in Diatr. de templo & Bibliotheca Apollinis Palatini*, aliique eam in rem docte differuerunt.

§. XIV.

Propius ab Apollinis Medici ævo abfuisse censetur Chiron, Saturno & Philyra forsan genitus. v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 13. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 3. *§.* XI. *p.* 243. Hic, quoniam Ἱππιατρικὸν seu veterinariam Medicinam scripserat, quod SUIDAS, *voce:* Χείρων. *T.* III. *p.* 668. existimat, Centaurus seu Hippocentaurus creditus, atque inde CLAUDIANO III. *Cons. Hon. v.* 61. *semiferus senex* dictus est, quod tum ex illa apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* LXXII. *Inscr.* I.

CHIRONI. SATUR. F. HIPPOCENT.
T. CLAUD. CÆS. LUDIS. SECUL.

tum ex iis, quæ a CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. *§.* XI. *seqq. p.* 244. *seq.* congesta sunt, veterum Auctorum locis satis evincitur. Ob summam, quæ in eo fuisse fertur, Medicæ artis peritiam, quam carmine celebrat STATIUS *Achilleid. v.* 445. *seqq.* vulgo Medicinæ simpliciter inventor habitus est: quamvis magis tamen ut Chirurgicæ Medicinæ auctor laudetur, atque inde etiam ab ipsa manuum in tractandis vulneribus levitate, Poëtis decantata, nomen ei impositum esse suspicetur NEAND. *de Med. nat. p.* 13. Vid. HYGIN. *Fab.* 274. DEMPSTERI *Paralip. ad Rosini Ant. Rom. L.* II. *c.* 17. *p.* 165. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 12. FABRICII *Biblioth. Græc. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 111. *seqq.* Sed & herbariam ab illo Medicinam inventam esse, narrat PLINIUS *H. N. L.* VII. *c.* 56. &, siquidem SUIDÆ, *voce:* Χείρων. *T.* III. *p.* 668.

fides est, primus ex herbis Medicinam parare docuit. Ita enim *Ille l. c.* Χείρων, Κένταυρος. Ὅς πρῶτος εὗρεν ἰατρικὴν διὰ βοτανῶν. *Chiron, Centaurus: qui primus invenit Medicinam ex herbis.* Consentit PLUTARCH. *Symposiac. Problem. L.* III. *Probl.* I. *Varior. Opp. T.* II. *p.* 1149. Τύριοι μὲν Αγηνορίδῃ, Μάγνητες δὲ Χείρωνι τοῖς πρώτοις ἰατρεῦσαι λεγομένοις ἀπαρχὰς κομίζουσι. ῥίζαι γάρ εἰσι καὶ βοτάναι δι' ὧν ἰῶντο τοὺς κάμνοντας. *Tyrii Agenoridæ* (vz. Cadmo) *Magnetes vero Chironi, qui primi Medicinam factitasse dicuntur, primitias offerunt. Radices enim sunt & herbæ, quibus ægros sanabant.* Conf. NEAND. *de Med. nat. p.* 12. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 12. *seq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. *§.* XI. *p.* 244. HUNDERTM. *Diss. de princ. Diis art. Med. tut. §.* 10. *p.* 9. FABRICII *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 112. *seq.* Num vero, quod LAURENT. *var. ant. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 127. adserit, ipsi, præter hunc a Magnetibus ob herbas medico usui applicatas delatum honorem, delubra quoque excitata sint, haud temere affirmatum ivero. Illud tamen ex SENECA *in Thyeste v.* 860. constat, eum fato functum in astra translatum esse. v. NEAND. *de Med. natal. p.* 14. *seq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. *§.* 13. *p.* 244. *seq.* De Ocyrrhoë, ejus filia, quæ, OVIDIO *Metam. L.* II. *Fab.* X. teste,

> *non artes contenta paternas*
> *Edidicisse fuit,*

dicere quidem nihil attinet: v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 330. & MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 6. *p.* 55. NEAND. *de Med. nat. p.* 15. memorandos tamen esse intelligo nonnullos ex ejus discipulis. Præter Herculem, Aristeum, Theseum, Telamonem, Peleum, Jasonem, Achillem, Hermetem, Zoroastrum &c. (de quibus ex parte §. XVII. dicendi locus erit) v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 107. & NEAND. *de Med. nat. p.* 27. & 28. præcipue inter illos Æsculapii emicuit ingenium.

§. XV.

§. XV.

Apollinem vero filium Æſculapium Chironi erudiendum tradidiſſe Pindarus atque APOLLODORUS *Biblioth. L.* III. *c.* 10. perhibent, v. BARTH. *ad Statii Achill. v.* 445. *p.* 1763. *a* REJES *Elyſ. jucund. quæſt. camp. Q.* 3. *p.* 63. NEAND. *de Med. nat. p.* 15. CELLAR. *Diſſ. Acad. Diſſ.* XII. *c.* 2. *§.* 1. *&* 12. *p.* 236. *&* 244. HUNDERTM. *Diſſ. de princ. Diis art. Med. tut. §.* 10. *p.* 9. a quo potius, quod ipſum in cœteris etiam diſcipulis factitaſſe legimus, nomen Æſculapii, & quidem auctoritate SUIDÆ, *in voce:* Ἀσκληπιάδης *T.* I. *p.* 351. παρὰ τὸ ἀσκελῆ καὶ ἤπια φυλάσσειν τὰ σώματα, ſeu inde, *quod corpora ſana & integra conſervet*, ei impoſitum, quam ab Ægyptiacis vocabulis *Ez* vel *Æſis* & *Kelebh*, ceu *a* REJES *l. c.* & NEAND. *de Med. nat. p.* 18. ſentiunt, ita dictum eſſe cenſerem, niſi Tzetzis apud TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 16. obſtaret auctoritas, qui illum Hepium antea vocatum, poſt ſanatum Aſelem Epidauri tyrannum demum Ἀσκληπιὸν appellatum eſſe adſerit. Licet autem illi in Hermetis ſcriptis repertæ univerſæ artis Medicæ tribuatur gloria, Clemens Alexandrinus tamen eam tantum ab ipſo amplificatam & adauctam exiſtimat; quæ vix aliter in concordiam redigentur, niſi, quod collatis ſupra §. IV. & V. pateſcet, Æſculapium iſtum Memphitem ab hoc noſtro Græco plane alium fuiſſe exiſtimemus. Quod apud Ægyptios artem didicerit, atque inde Græciæ intulerit, cum NEAND. *de Med. nat. p.* 17. contra omnem antiquitatis fidem, quæ illum Chironis clamat diſcipulum, defendere non auſim. Videtur artem, quam a Magiſtro doctus erat, coluiſſe, ſed tamen præcipue novam Medicinæ partem, puta Clinicen, addidiſſe, v. DEMPSTERI *Paral. ad Roſini Ant. Rom. L.* II. *c.* 17. *p.* 165. *ſeq.* qua in re tantam aſſecutus eſt nominis celebritatem, ut & Medici ab ipſo Ἀσκληπιάδαι vocarentur. v. SUID. *voce:* Ἀσκληπιάδης. *T.* I. *p.* 351. Quem Aſclepiadarum titulum tanto magis obterere cavit poſteritas, quanto dignior auctor fuerat, a quo

illum nacta erat. Quamvis enim Æsculapium aliquid incantationibus & carminibus dedisse fatendum sit, ut qui, teste PINDARO *Nemeor. Od.* III. *p.* 521. & *Pyth. Od.* III. *p.* 305.

Τὺς μὲν μαλακαῖς
Ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
Τὺς δὲ προσανέα πί-
νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
Φάρμακα, τὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθύς.

Quosdam mollibus
Carminibus tractans,
Quosdam vero lenia bi-
bentes, aut membris circumponens undique
Pharmaca, quosdam vero sectionibus stare fecit rectos;

erant tamen in eo bene multa laudum semina, utpote a quo non illa solum lex medendi, quæ Medici officium in eo, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet, constituit, orta esse dicitur, v. RHODII *Diss. de Acia c.* XI. *p.* 160. sed cui illud quoque a SUID. *voce:* Ἀσκληπιάδης *T.* I. *p.* 351. *seq.* virtuti datur, quod & Pausonem & Irum & quemvis alium ex pauperioribus sanare non detrectaverit. Sed & id præcipue ipsi laudi ducitur, quod, narrante Hippocrate, primus de Medica arte librum, quem Naviculam inscripserit, adornare instituerit, quamvis, si Jul. Firmico & Paul. Æginetæ credimus, alios præterea binos, puta Myriogenesin & Smegma conscripserit. v. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 3. *p.* 58. & TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 16. Quum itaque tot inclaruisset meritis, non mirum, puto, cuiquam videbitur, illum elogiis fere fuisse obrutum. Sic incerto Auctori apud SUID. *voce:* Ἀσκλεπιάδης *T.* I. *p.* 351. ἔφορ☉ τῆς ἰατρικῆς, *Medicinæ præses*, Vindiciano *Archiater*, & Apulejo *Medicorum, excepto tamen Hippocrate, Princeps* audit, v. MATTII *Opin. L.* I. *c.* I. *in Gaud.*

Gaud. ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* IV. *p.* 346. & TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 18. ut illa, quæ NEAND. *de Med. nat. p.* 15. *seq.* & SCHACH. *in Diss. de hon. Med.* §. 9. *seq. p.* 20. *seqq.* &, quæ sunt reliqua ejus encomia, ex antiquitatis monumentis apud GRUTER. *Inscriptt. T.* I. *p.* LXVII. *Inscr.* 9. *p.* LXVIII. *Inscr.* 5. *p.* LXX. *Inscr.* 3. *&* 4. atque aliunde petenda, missa faciam; neque Aristophanis, (quem cum risu mordacem Comicum Jul. Cæs. Scaliger nihil fere, quod non ad alicujus perniciem accommodetur, dixisse judicat) scomma, quo eum tanquam Σκατόφαγον, seu *merdivorum*, traduxit, curem. v. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 7. & TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 411. Tanta profecto antiquitus ejus erat auctoritas, ut plane illum mortuos vitæ reddidisse persuasi essent, v. BARTH. *ad Statii Achill. v.* 445. *T.* III. *p.* 1763. NEAND. *de Med. nat. p.* 16. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 21. quod tamen rectius cum DIOD. SIC. *Bibl. L.* IV. *c.* 73. de depositis & in mortis articulo constitutis ad salutem reductis intelligetur, v. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. §. 2. *p.* 236. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 3. *p.* 59. quum ne ex Gentilium quidem mente præter Deum quisquam mortuum suscitare possit, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 433. *seq.* imo ex eorum principiis, qui inexorabile fatum, quod Diis ipsis imperitaret, venditabant, v. *Ill.* BYNKERSHOEKII *Observ. Jur. Rom. L.* IV. *c.* 15. *p.* 400. *seqq.* & GALE *ad Jamblich. de Myst. Æg. p.* 309. forsan ne his quidem id esset integrum. Est tamen in fabulis, illum a Plutone accusatum eam ob rem a Jove fulmine quidem deletum, in gratiam Apollinis vero astris insertum esse. v. PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. *p.* 1275. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. §. 2. *p.* 236. *seq. a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 3. *p.* 59. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 22. *seq.* NEAND. *de Med. nat. p.* 19. Sed, ex quo Jovis ira mortalis esse desierat, immortalitate illum donavit superstitio, &, quem Deus hominem esse nolebat, hunc homines Deum esse jusserunt. Non vana mihi videtur MEIBOMII *in Comm. ad Hipp. Jusj. c.* 5. *p.* 43.

p. 43. conjectura, illum post Trojanum demum bellum Coelitum a Graecis adscriptum esse conciliabulo; v. *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 102. licet aliter sentiat SCHACH. *in Diss. de hon. Med.* §. 9. *p.* 19. Romam vero, ubi templum in insula, quam Tiberis facit, extra urbem habuit, multis demum post Seculis, splendida Legatione Epidauro expetitus, advectus est. v. LIVIUS *Lib.* X. *c.* 47. PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 4. *p.* 1289. *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 105. *Ed. Herb. de* CHERBURY *de Rel. Gentil. p.* 105. PEISKER. *Ind. de vern. & rer. Germ. sign. p.* 11. *seq.* SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 6. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. §. 1. *p.* 236. & §. 10. *p.* 243. *seq.* Vix vero Deorum albo adscriptus erat, cum summa jam novi Numinis inciperet esse veneratio, quae adeo successu temporis crevit, ut non per illum solum juraretur, v. HIPPOCR. *Jusjur.* & NEAND. *de Med. nat. p.* 19. sed & DIO CASS. *Hist. L.* LI. *p.* 448. Æsculapium de P. Turullio, uno ex percussoribus Caesaris in insula Co Augusti jussu occiso, poenas sumsisse existimet, quod olim rei navalis caussa ex ejus luco arbores cecidisset. Audiamus Ipsum. Ait: Ἔλυχε γὰρ ἐκ τῆς ἐν Κῷ τȣ̃ Ἀσκληπιȣ̃ ὕλης ξύλα ἐς ναυτικὸν κεκοφώς. v. SPANHEM. *ad Callim. H. in Cerer. v.* 42. Quin ubique fere huic Deo templa excitabantur, nec Athenis solum, non Epidauri, sed Pergami, Triccae, Rhodi, Niceae, Ancyrae, Amastridis Ponticae, Romae, in insula Co, aliisque plurimis locis, quae vel nominare longum foret. v. PAUSAN. *in Corinth. p.* 69. JARCK. *ad* SCHEDII *de Diis Germ. Syngr.* 1. *c.* 3. *p.* 79. & *c.* 12. *p.* 320. NEAND. *de Med. nat. p.* 16. *Const.* LANDI *in Num. vet. Rom. Misc. Expl. in Gaud.* ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* 1. *p.* 343. REINES. *Synt. Inscr. Cl.* 1. *Inscr.* 115. *p.* 154. *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 103. & 105. Referta erant ista templa tum scriptis remediis, quae aliis profuerant, cujus generis rarum antiquitatis monumentum extulit GRUTER. *Inscr. T.* 1. *p.* LXXI. *Inscr.* 1. tum tabellis votivis, seu donariis, quae apud EUND. *Tom.* 1. *p.* LXVII.

Inscr. 9.

Inscr. 9. *p*. LXVIII. *Inscr*. 5. *p*. LXX. *Inscr*. 4. & 8. conspicere licet. Exempli caussa par eorum, eaque priora, adscribere non pœnitebit:

AESCULAPIO. ET. HYGIAE
CAETERISQUE. DIIS. DEABUSQUE
HUJUSQUE. LOCI. SALUTARIB
C. JUL. FRONTONIANUS. VET
EX. B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDI
TIS. SIBI. LUMINIBUS. GRAT
AG. EX. VISO. PRO. SE. ET. CAPSIA
MAXIMA. CONJUG. ET. JULIA
FRONTINA. FILIA. V. S. L. M

Alterum in hæc concepta est verba:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ
ΣΩΤΗΡΣΙΝ
ΠΟΛΙΟΥΧΟΙΣ.

De statua Æsculapii Epidauria, quam PAUSAN. *Corinth. p*. 69. depingit, non magis dicere fert instituti ratio, quam in reliqua, quæ Medicum hunc Deum attinent, puta, cur barbata ejus imago, cur baculum gerat, cur canis additus, cur Pythagoras gallum ipsi deberi præceperit, cur denique Draco, (qui alias tantum Divinitatis, vel Felicitatis aut Victoriæ censetur esse symbolum, v. SARTOR. *Sched. de hypocr. Gentil. circa cult. Deor. c*. 8. §. 3. *p*. 152. OISEL.. *Thes. select. Numism. T*. XV. *p*. 80.) ei quasi in peculium datus videatur, inquirere vacat. Cui ea rimari volupe est, adeat PAUSAN. *in Corinth. p*. 69. PLIN. *H. N. L*. XXIX. *c*. 4. *p*. 1289. *Ant*. AUGUSTINI *Antiq. Rom. Dial*. V. *p*. 75. & 76. PIGNOR. *Symb. Epist. Ep*. 13. *p*. 47. *seqq. Const*. LANDI *in Numism. vet. misc. Expl. in Gaud*. ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T*. I.

 p. 343.

p. 343. *seqq.* OISEL. *Thes. select. Numism. ant. Tab.* LXXIX. & LXXX. *p.* 419. *seqq.* FABRIC. *Biblioth. Græc. L.* I. *c.* 8. §. 5. *Vol.* I. *p.* 56. & *L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 40. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 20. 21. &. 74. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 3. & 5. SCHACH. *Diss. de hon. Med.* §. 9. *seq. p.* 18. *seqq.* HUNDERTM. *Diss. de princ. Diis art. Med. tut.* §. 16. *p.* 18. *seqq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 2. *fere toto*, *p.* 235. *seqq. du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 102. *seqq.* & præprimis illud bonarum literarum Decus *Cel.* SCHWARZ. *in Diss. de Æsculap. & Hyg. Diis* Φιλανθρώποις §. 12. *seqq. p.* 23. *seqq.*

§. XVI.

Junxerat vero Æsculapius sibi connubio Epionem, Herculis filiam, de qua §. XI. dixisse meminimus, & ex qua quinque procreavit filias, vz. Æglen, Jäsonem, Hygeiam, Acesonem & Panaceam, v. SUID. *voce:* Ἠπιόνη. *T.* II. *p.* 66. quibus sextam Romam SERVII *ad Virg. Ecl.* I. *v.* 20. auctoritate addit CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 3. §. 6. *p.* 247. *seq.* a qua Roma fertur condita. Medicam eas calluisse artem, vel nominum indigitat ratio; v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 331. videntur tamen Hygeia, Panacea, Jäso & Rome reliquas binas antecelluisse, quippe quas divis annumeravit Religio. v. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 3. §. 7. *p.* 248. Conf. præter CELLAR. *l. c.* §. 3-7. *p.* 246. *seqq. Const.* LANDI *in Numism. vet. Rom. misc. Expl. in Gaud.* ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* I. *p.* 346. REINES. *in Synt. Inscr. Cl.* I. *ad Inscr.* 114. *p.* 153. HUNDERTM. *Diss. de princ. Diis art. Med. tut.* §. 17. & 18. *p.* 26. *seqq.* FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 35. Sed inter has quoque præcipuam nominis famam consecuta est Hygiea, quam Æsculapio ut plurimum in antiquis tabulis junctam videmus. Luculenta ejus rei habes documenta apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* LXVII. *Inscr.* 9. & 10. *p.* LXVIII. *Inscr.* 3. *p.* LXIX. *Inscr.* 3. 4. & 5. REINES. *in Synt. Inscr. Cl.* I. *Inscr.* 116. & 117. Conf. *Const.* LANDI *in vett. Numism. Rom. misc. Expl. in Gaud.* RO-

BERTI

BERTI *Misc. Ital. Erud. T.* 1. *p.* 346. *seqq.* Quin singulare illud est monumentum apud GRUTER. *Inscr. T.* 1. *p.* XXXI. *Inscr.* 10. ubi tres præcipuos Medicinæ Deos, Solem, Æsculapium & Hygeam uno titulo cernere licet. Quamvis autem CELLARIO *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 3. §. 8. *p.* 248. *seq.* facile largiar, non Hygeam, sed Salutem Deam, indigitari, quotiens in prisci ævi reliquiis *Salutis Publicæ, Perpetuæ, Generis Humani, Provinciarum, Principis, Augustorum, Domus Augustæ, &c.* fit mentio, quales inscriptiones nummi, quos OISEL. *in Thes. select. Numism. antiq. Tab.* LXXVIII. & LXXIX. *p.* 413. *seqq.* profert, exhibent, non tamen illam, quando Salutem tanquam Æsculapii sociam legimus, adeoque nec in illa apud REINES. *in Synt. Inscr. Cl.* 1. *Inscr.* 114. *p.* 152. significari, me quidem judice vero non sit absimile. Sed manum de tabula. Deam hanc, pentagonon, quo Hygeam veteres denotabant, & poculum, quod dicebatur, Salutis, qui propius pernoscere cupit, consulat *V. Cel.* SCHWARZII *Diss. de Æscul. & Hyg. Diis* φιλανθρώποις §. 13. *p.* 27. *seqq.* FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 249. NEAND. *de Med. nat. p.* 12. JARCK. *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* I. *c.* 12. *p.* 319. *seq. & Syngr.* II. *c.* 9. *p.* 411. *seq. Gros de* BOZE *Diss. sur le culte, que les Anciens ont rendu à la Deesse de la Santé. a Paris.* 1705. *Const.* LANDI *in vet. Num. Rom. Misc. Explic. in Gaud.* ROBERT. *Misc. Ital. Erud. T.* 1. *p.* 342. *seqq.* OISEL. *Thes. select. Numism. ant. Tab.* LXXX. *seq. p.* 422. *seq.* DICKINSON. *dedic. Delph. Phœniz. præmissam, in* CRENII *Opusc. ad Hist. ac Philol. S. spectant. Fasc.* 1. *N.* 1. HENNIN. *Epist. qua* J. A. von Brands Reysen *Pot. Regi Borussiæ inscripsit, du* CHOUL *Relig. des anc. Rom. p.* 106. *seqq. Ed. Herb. de* CHERBURY *de Rel. Gentil. p.* 193. *seq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 7. *p.* 268. *seqq.* &, si modo prodiit, LOESCHERI *in lib. de causs. ling. Heb. p.* 487. promissam *de Dea salutari Dissertationem.* Inclaruit vero eadem circiter tempestate Melampus Argivus, & ipse tum medica, tum fatidica arte inclutus, quem Chironis eam ob rem

ſocium facit VIRGIL. *Georg. L.* III. *v.* 550. v. SUID. *voce:* Μελάμπυς *T.* II. *p.* 521. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 221. Hic tum aliis curis, tum illa præcipue, qua Prœti, Regis Argivorum, quatuor filias a furore liberaſſe fertur, laudibus efflorefcere cœpit. Quam ob rem ab Anaxagora, qui tum Argivis imperabat, tantus ei habitus eſt honor, ut regnum æquis cum illo, ejusque fratre Biante, partibus communicaret, ceu HIPPOCR. *in Epiſt. ad Crat. T.* II. *p.* 931. & PAUSAN. *in Corinth. c.* 18. traditum reliquerunt. Quin templum ei dedicatum eſſe IDEM *in Att. c.* 44. auctor eſt. v. CELLAR. *Diſſ. Acad. Diſſ.* XII. *c.* 3. §. XI. *p.* 250. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 328. NEAND. *de Med. nat. p.* 28. *&* 29.

§. XVII.

Non longe autem ab hoc ævo Heroum, quod vocare poſſes, cœpit Seculum. Hos, vix ullo excepto, Medicinæ ſtudium haud infra dignitatem ſuam conſtitutum exiſtimaſſe, paucis, & quaſi per indicem, demonſtrabimus. Illud tamen præmonendum eſſe video, artem, quam faciebant, majore ex parte fuiſſe tantum empiricam, v. NEAND. *de Med. nat. p.* 27. 28. & magis circa vulnera, quam morbos, occupatam; v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 201. *ſeq.* MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p* 226. *ſeq.* unde etiam illos, quos ſupra C. I. §. I. dedi HOMERI *ex Il.* λ. verſus, non, ceu vulgo fit, de imperito Medico, ſed de Chirurgo, qui propria vulnera obligare nequit, potius accipiendos eſſe exiſtimo. Atque hæc quidem vulneraria Medicina, quam Heroës in ſociis factitaſſe ex Homero docet FEITH. *Antiq. Hom. L.* IV. *c.* 15. *p.* 384. *ſeq.* eo magis iis erat neceſſaria, quo minus tum quidem adhuc temporis Medici caſtrenſes, quales, (qui Ἐπιμεληταί vocabantur, auctore SUID. *in voce:* Ἐπιμεληταί. *T.* I. *p.* 820. v. BOS *Anim. in Script. Gr. c.* 15. *p.* 66.) Cyrum in exercitu habuiſſe XENOPH. *in Cyrop. L.* VIII. teſtatur, erant cogniti. Iſto tamen eorum quoque, quod de Æſculapio

§. XV.

§. XV. probavimus, Medicina laborabat vitio, ut carminibus & incantationibus haud parum tribueret virium. Ita apud HOMER. *Od. T. v.* 455.

Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον.

Vulnus Ulyssis optimi divinis virtutibus præditi
Ligaverunt scienter, carmine autem sanguinem nigrum
Tenuerunt.

Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 211. *&* 299. *seqq.* Nec hoc cuiquam mirum videri poterit, qui intelliget, Æsculapium & Heroës fere omnes communi Magistro Chirone usos esse. Ita Jasonem a Chirone in Medicina eruditum, §. XIV. jam indicavimus, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 107. *&* 112. NEAND. *de Med. nat. p.* 28. quem & a doctore id nominis, quum antea Dolomedes vocaretur, accepisse refert NEAND. *de Med. nat. p.* 28. qui tam illo, quam Medeæ appellatione, medicam peritiam innui, contendit *ibid. p.* 319. Hæc etenim, æque ac sorores Circe & Anguitia, herbariam medicinam habebat cognitam. v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 327. *seqq.* Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 62. 120. *&* 252. Neque Heroës, ad Trojam oppugnandam proficiscentes, hanc artem facere erubuere. Inter hos Æsculapii ambo filios, Podalirium & Machaonem, commilitonibus suis non vulgarem opem attulisse narrat CELSUS *in princ. prooem.* quorum illi, tempestatis injuria ad Cariam ejecto, & a pastore caprarum hospitio recepto, a Cariæ Rege Damætho sanata ab eo filia Syrna (ex quo NEANDRI *de Med. nat. p.* 20. Smyrnam eam vocantis error redarguitur) elocata, & Chersonesus, in qua alteram de uxoris, alteram de pastoris nomine civitatem condidit, donata est: v. STEPH. BYZ. *de Urbib. voce:* Σύρνα. *p.* 686. *ibique* HOLSTEN. *p.* 308. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 30. Huic vero ob tarda, quod Propertius ait, sanata Philoctetæ crura omni-

um rerum concessa fertur esse immunitas. v. NEAND. *de Med. nat. p.* 19. *seq.* Utrique, quum diem suum obiissent, divinos assecuti sunt honores, & tanquam Heroës, ille quidem in Italia, ad cujus sepulchrum ægroti pellibus induti agninis incubabant, hic vero in Gerenia a Messeniis, culti esse narrantur, ceu de altero TZETZ. *ad Lycophr. Cassandr. v.* 1047. *seq.* de altero autem PAUSAN. *in Messen. & Lacon.* testatum reliquit. v. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 31. 312. & 374. *seq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 3. §. 1. & 2. *p.* 345. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 30. *seq.* Nec minor Machaonis filiis, Nicomacho, Gorgaso & Polemocrati, obtigit honos, quibus ipsis quoque, quum se eorum ope a morbis liberari Pharaitis & Corinthiis persuasum esset, ἀποθέωσις post mortem decreta est, quod PAUSANIÆ *in Messen. p.* 353. *seq. & in Corinth. in fine* auctoritate firmant TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 32. & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 172. 348. & 375. Sed redeundum est in viam, & ad Heroas nostros. In his præcipue illustris exstitit Achilles, qui, num ab ἄχη λύειν, quod ægris & sauciatis *dolorem solveret*, an vero ab α privativo & χιλὸς *pabulum*, quod *non cibo* nutriretur, sed medullis ferarum, nomen traxerit, non magis est animus post DRELINCOURT. *in Achill. Hom. N.* 8. *p.* 3. & *N.* 247. *p.* 106. atque TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 113. nec non SUID. *voce:* χιλή. *T.* III. *p.* 671. disquirere, quam PHOTIO *in Biblioth. p.* 487. assensum præbere possumus, dum contendit, omnes hoc nomine vocatos illustres exstitisse. Nostrum autem Achillem Chironis fuisse discipulum, ex Græcis PLUTARCH *Sympos. Probl. L.* V. *Probl.* 4. *Varior. Opp. T.* II. *p.* 1205. ex Latinis CLAUDIAN. III. *Cons. Hon. v.* 60. *seqq.* dubitare non sinunt. Ait hic:

Non ocyus hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes,
Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.

v. DRE-

v. DRELINCOURT. *in Ach. Hom. N.* 8. *p.* 3. *&* *N.* 247. *p.* 106. BARTH. *ad Stat. Achill. v.* 445. *T.* III. *p.* 1763. NEAND. *de Med. Nat. p.* 28. Illud vero ſingulare in eo animadverto, quod, cum illo temporis tractu fere tantum circa vulnera occupata eſſet Medicina, Achillem tamen, poſtquam eum Chirone magiſtro uſum eſſe dixiſſet, PLUTARCHUS *l. c.* ὀυκ ἄπειρον τῆς περὶ τὸ σῶμα διαίτης, *non etiam imperitum victu curandi corporis rationum* fuiſſe perhibeat. Nec tamen pertinaciter defendere auſim, ob hanc partem Medicinæ adjectam ei inter Divos, quod APOLLOD. *in Peripl. Pont. Eux.* memorat, locum tributum eſſe, licet quidem illud a vero non admodum videatur abludere. Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 27. *ſeqq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 113. *&* 182. Ab hoc noſtro alter Heros, cujus etiam non obſcura in illo, quod contra Trojam exarſit, bello fuit fama, Patroclus ſalutarem artem didicit, ceu id Eurypylus, ab eo ſanari cupiens, apud HOMER. *Il.* λ. *v.* 827. *ſeqq.* & ÆLIANUS *H. A. L.* II. *c.* 18. *p.* 96. diſertis teſtantur verbis, & maximum ob ejus obitum Achillis luctum atque ægritudinem narrat ÆLIAN. *V. H. L.* VII. *c.* 8. *p.* 448. *ſeq.* v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 114. & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 358. De cœteris Viris Principibus, Chironis diſcipulis, Theſeo, Ariſteo, Arcadum Rege, Telamone, Peleo, Teucro & Palamede, quos eodem temporis tractu Medicæ artis peritos fuiſſe obſervant TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 107. *ſeqq.* & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 355. 360. 430. 431. & 435. item Agameda, Augiæ Epiorum Regis uxore, quam HOM. *Il.* λ. *v.* 740. tot *oſtendiſſe* ſcribit *pharmaca*, *quot nutrit lata terra*, poſt TIRAQ. *l. c. N.* 339. & FABRIC. *d. l. p.* 40. plura addere ſuperſedeo, quum ex jam dictis ſatis fiat perſpicuum, Trojanæ obſidionis tempore Medicinam ab iis, qui primas Reipublicæ tenebant, tractatam, & hos etiam ob iſtam Salutarem ſcientiam honoribus accumulatos, ne dicam, obrutos eſſe.

§. XVIII.

§. XVIII.

Sed & ævo, quod dirutam Trojam insequutum est, Medici eo, quo oportebat, habiti fuere loco. Ne de Pythagora, aliisque Philosophis, quibus ars Medica simul cum studio sapientiæ curæ erat, qua de re §. IX. dictum, longius differam, de honoribus iis, qui isti studio se præprimis mancipa- runt, pauca, & per cumulum quasi, lubet adjicere. Democedi, Æginetæ talentum, Athenienses centum minas annui honorarii loco expendebant; quem Polycrates, Sami tyrannus, ob sui curam duobus auri talentis donavit. v. HERODOT. *L.* III. *c.* 124. *seq.* Dario, Histapis filio, vero illum valde acceptum fuisse legimus, a quo etiam, cum valetudini esset redditus, duo aurearum compedum paria, atque ab ejus uxoribus subfractas aureas phialarum thecas præmio accepit, quemadmodum Regis uxor Atossa, ab eodem sanata, illum voti de reditu, quod expetebat, in Græciam damnavit. v. SUID. *voce:* Ἄτοσσα. *T.* I. *p.* 373. Conf. NEAND. *de Med. nat. p.* 45. *seqq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 405. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 137. *seq.* Empedocles Agrigentinus duplici facinore magnam sibi conciliavit famam, altero, dum fœminam mortuam, cujus rei tamen fides penes auctorem sit, vitæ reddidit, altero vero, dum pestem a Selinunciis profligavit. Utrumque DIOG. LAERT. *L.* VIII. *Segm.* 67. & 70. memoriæ prodidit. Hoc, quod Selinunciis præstitit beneficium, in caussa fuit, ut ipsi a Siculis regnum offerretur, quod quidem recusasse fertur, nec alio tamen animo, quam, ut fastum majori fastu conculcaret. Oberrabat enim, ceu SUID. *voce:* Ἐμπεδοκλῆς. *T.* I. *p.* 724. testis est, eo habitu per urbes, ut Deus videri vellet: quum vero, etiamsi satis magna alioqui ejus apud Siculos esset auctoritas, v. PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. hac nihilominus spe excideret, in Ætnam se dedit præcipitem, ut vel hoc pacto apotheosin adfectaret; & post mortem quidem divinos, quos vivus anxie petierat, assecutus est honores. v. NE-

v. NEAND. *de Med. nat. p.* 23. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 34. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 149. Empedocli succedat Democritus Abderita, a quo Magnus Hippocrates, v. SUID. *voce:* Ἱπποκράτης. *T.* II. *p* 144. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 4. & NEAND. *de Med. nat. p.* 34. vel eodem SUIDA, *voce:* Δημόκριτος *T.* I. *p.* 542. auctore, Metrodorus Chius, Magni illius Medicorum Antistitis in Philosophia magister, eruditus est. Hunc præter Philosophiæ Medicinæ quoque studium coluisse, ex scriptis ejus, quæ FABRIC. *Bibl. Gr. L.* II. *c.* 22. §. 5. *Vol.* I. *p.* 802. *seqq.* percenset, atque Plinii testimoniis apud TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 262. satis evincitur. Tanti autem eum concives sui fecere, ut propter sapientiam Reipubl. juberent præesse, v. SUID. *l. c.* divinis honoribus plerique dignum judicarent, atque ob doctrinas, quas de magno Diacosmo tradidit, æreis imaginibus honorarent, & quinquaginta talentorum dono afficerent. v. NEAND. *de Med. nat. p.* 35. Democritum excipiat præceptore, in re saltim Medica, clarior discipulus Hippocrates vere Magnus, & ex Heraclida & Phanarete regii vir stemmatis. v. SUID. *voce:* Ἱπποκράτης. *T.* II. *p.* 144. *ibique* KUSTER. *in not.* Quum enim, quod PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. ait, *cuicunque Medicum se professo statim credi* in Græcia animadverteret, & seculum, quoniam nulla alia nisi ἀδοξίας, seu jacturæ existimationis, in imperitos statuta erat pœna, semper in pejus ruere observaret, mox progeniem adhuc laturum nequiorem; alter quasi exstitit Camillus, & eos quidem, qui in schola sua profecerant, jurisjurandi adstrinxit religione. v. CONRING. *Antiq. Acad. Diss.* II. *p.* 51. *seq. & Diss.* IV. *p.* 107. *seq.* MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur.* Ipse etiam, quibus poterat modis, artem promovit, eaque fini ex Æsculapii templo Coo remedia, quæ sanati in eo conscripserant, excerpsit, atque, quod Varro credidit, æde ista cremata Medicinam Clinicen instituit: v. PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 42. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 3. CELLAR. *Diss.*

Acad. Diss. XII. *c.* 4. §. 1. *p.* 250. *seq.* NEAND. *de Med. nat. p.* 7. *&* II. Erat enim mos, remedia, quæ profuerant, vel ipsis templorum parietibus, vel tabellis de iis suspensis, inscribere, qualem, quæ in templo Æsculapii in insula Tiberina stetisse creditur, profert GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* LXXI. *Inscr.* I. quod rarum & egregium antiquitatis monumentum, nisi paullo esset diffusius, adscribendum ducerem. Et hac quidem non solum, quam diximus, opera, sed & eo præcipue, quod ægrotantibus gratis adesset, ceu IPSE *in Epist. ad Abder.* testis est, hominum animos mirum quantum sibi conciliabat, atque in id intenso incumbebat studio, ut, quamvis *artem longam*, *vitam brevem* esse profiteretur, non, quod Petrarcha eum effecisse jocatus est, brevissimam, sed longissimam vitam præstaret, atque hinc Apulejus ne Æsculapium quidem Medicorum Principem, nisi Hippocrate excepto, pronunciat. Factum inde est, ut ejus famam Græci fines non possent continere, sed apud barbaros quoque percrebresceret, & ad Persarum Regem Artaxerxem perveniret. Hic itaque datis ad Hystanem, Hellesponti Præfectum, literis Hippocratem ad se mittere, atque ei tantum, quantum voluerit, auri, & cætera, quibus indigeret, abunde suppeditare jussit, illumque Persarum Principibus honore parem futurum promisit. v. SUID. *voce:* Ἱπποκράτης. *T.* II. *p.* 145. Sed hanc eum operam Regi barbaro denegandam censuisse, ex epistola, quæ in HIPPOCRAT. *Opp. T.* II. *p.* 900. reperitur, apparet; v. NEAND. *de Med. nat. p.* 32. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 44. quod factum ut recte defendat *a* REJES *in Elys. juc. quæst. camp. Q.* 14. eo minus mihi persuadere possum, quum ne BUSSIUS quidem, qui tamen omni nisu post Trillerum Hippocratem ab Atheismi crimine, ei a GUNDLING. *in Ot. Part.* II. *c.* 3. *& in Biblioth. nov.* (in der neuen Bibl.) *Part.* XXIX. *N.* 2. *alibique* impacto, vindicare studet, hanc repulsam Persarum Regi datam in *Diss. de Hippocr. barb. oper. neg.* §. 12. *seqq. p.* 19. *seqq.* excusare cupiat. Inhumani vero hujus facti mea quidem sententia non alia videtur caussa fuisse, quam

quam quod Græci venerationem, qua Persarum Reges adeundi erant, aversarentur. v. CORNEL. NEP. *in vit. Conon. c.* 3. Hos enim non capite tantum flexo submissisque genubus, sed prostrato humi corpore, salutare, & quasi *adulari*, quod Livius *canum* dicit esse, fas erat. v. CURT. *L.* VIII. *c.* 5. Conf. SCHEFFER. *ad Ælian. V. H. p.* 307. SAUBERT. *de Sacrif. c.* XII. *p.* 248. *seqq.* & *V. Cel.* SCHULZII *Observatt. Philol. de verbo:* Προσκυνεῖν. *Alt.* 1730. Sed, ne longius digrediar, in patria etiam minime vile ejus erat nomen. Perdiccæ, Regi Macedoniæ, tum ob artem, tum ob gentis Heraclideæ cognationem illum admodum carum fuisse, SORAN. *in ejus vita*, & SUID. *in voce:* Ἱπποκράτης. *T.* II. *p.* 144. testatum reliquerunt. Quin Senatus populusque Abderitanus, quum eum, ut Democritum animi morbo, quo vexabatur, liberaret, ad se evocassent, obviam procedentes Patriæ Patrem salutarunt, v. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 21. *p.* 207. uti Coos quotannis d. 26. mensis Agriani ad sua usque tempora ejus Manibus parentasse, SORAN. *in vit. Hipp.* auctor est. v. MEIBOM. *c. l.* & TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 50. Verum enim vero maximam exinde apud Græcos assecutus est gloriam, quod magnam illam Atheniensium pestem, cum vix trigesimum ætatis annum excessisset, sedaret: quam ob rem non solum a Thessalis, Doriensibus & Phocensibus Magnus Macedoniæ, Thessaliæ & Thraciæ Servator nuncupatus, & ipsi in Græcia iidem cum Hercule honores tributi sunt; v. PLIN. *H. N. L.* VII. *c.* 37. sed & Athenienses tanti beneficii non immemores, proximum illi ab Hercule in sacris Eleusiniis dedere locum, donatum jure civitatis & corona aurea mille pondo, posteris quoque ejus stipendiis & victu in prytaneo, quod apud eos summum erat, de publico decretis. Splendidum istud Areopagi de eo judicium in HIPPOCR. *Opp. T.* II. *p.* 936. est reperire; Conf. NEAND. *de Med. nat. p.* 33. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 43. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 4. *p.* 69. *seqq.* BUSSIUS *d. Diss.* §. 1. *p.* 4. *seq.* ut eos, qui ex instituto

in ejus laudes commentati sunt, FABRIC. *Bibl. Gr. L.* II. *c.* 24. *Vol.* I. *p.* 841. *seqq.* & *L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 191. *seqq.* TIRAQ. *l. c.* *N.* 42. *seqq.* aliosque haud paucos, silentio involvam.

§. XIX.

Tantum vero abest, ut ea, quam hactenus narravimus, Medicorum auctoritas post Hippocratem eviluerit, ut potius novæ indies illi factæ sint accessiones. Dexippum Coum pacis arbitrum fuisse, nec Carum Regis Hecatomni filios, Mausolum & Pixodarum, quorum de salute desperatum erat, alia lege sanasse, quam ut bello, quod contra Κᾶρας, *Caras*, (ita enim in textu, atque in ipsa prima editione, quæ Mediolani 1499. prodiit, legitur) parabat, abstineret, SUID. *in voce:* Δέξιππος Κῶος. *T.* I. *p.* 524. auctor est; quem tamen locum in mendo cubare, Kusteri fugit diligentiam, nec satis scio, num ibi (quod Portus in versione innuisse videtur) pro Κᾶρας, Κῶους, an vero Κύπρον legendum sit, siquidem ex DIOD. SIC. *Biblioth. L.* XV. constat, huic Regi, sive malis Dynastæ, (ceu ejus filium Idrieum SUID. *in voce:* Ἰδρiεύς. *T.* II. *p.* 96. vocat,) ab Artaxerxe summam imperii adversus Evagoram Cypri Regulum, cui tamen clam favit, & magnam pecuniæ vim suppeditavit, datam esse. Quicquid eorum sit, alii judicent. Herophilum Chalcedonium, quem omnes se anteriores scholas damnasse ait PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. quique sectionibus cadaverum præprimis clarus exstitit, v. PLIN. *H. N. L.* XI. *c.* 37. *in fine*, & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 187. & celeberrimæ Herophiliorum sectæ, de qua BARTH. *Adverss. L.* XLVIII. *c.* 19. *p.* 2274. conferre non pigebit, nomen dedit, a Phalaride Agrigentinorum Tyranno, quem ancipiti liberaverat morbo, amplissimis honoratum esse præmiis, ex hujus epistolis probare contendit NEAND. *de Medic. nat. p.* 22. Sed, quum istas Auctoris nomen mentiri BENTLEJ. *in Diss. de Phalaridis epistolis*, subscribente ei KUSTERO *ad Suid.*

Suid. T. III. *p.* 576. jam abunde evicerit, illud quidem nondum adeo videtur esse exploratum. Majore tamen fiducia, præeunte PLUTARCH. *in Alex.* id affirmare ausim, Aristotelis, quem Medicis etiam studiis impensius operam navasse NEAND. *de Med. nat. p.* 52. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 265. & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 83. *seq.* demonstrarunt, quemque Amyntæ, Regis Macedonum, corporis curam gessisse DIOG. LAERT. *de vit. Philos. L.* V. *Segm.* 25. tradit, favori tantum dedisse Philippum, quum patrium teneret regnum, ut Stagiram ejus patriam antea a se dirutam restauraret, & cives, vel fuga dilapsos, vel in servitutem actos, jure quasi postliminii restitueret: quamvis non nescius sim, esse, qui ÆLIAN. *V. H. L.* III. *c.* 17. & VALER. MAX. *L.* V. *c.* 6. auctoritatem sequuti, eam, quam narravimus, Alexandri M. in Aristotelem (ad quem illius humanissime perscriptas epistolas servavit GELL. *N. A. L.* XX. *c.* 4.) benevolentiam fuisse contendant. v. STANLEJI *Hist. Philos. T.* I. *Part.* III. *in Aristot. c.* 8. *p.* 421. Alterius vero Medici, Menecratis vz. Syracusani, qui nimio gloriæ trahebatur studio, atque sostri loco nihil aliud accipere solebat, nisi ut sanati se ejus servos profiterentur, arrogantiam idem Philippus, cum ad se epistolam, cujus hoc erat initium: Μενεκράτης Ζεὺς Φιλίππῳ χαίρειν κ. τ. λ. *Menecrates Jupiter Philippo salutem &c.* exarasset, tum rescriptis binis tantum verbis: Μενεκράτει ὑγιαίνειν, *Menecrati Sanitatem*, compescuit, tum in convivio, ubi huic Medico Deo suffitus, ciborum loco, ministrari curabat, lepide repressit; quemadmodum ex ÆLIAN. *V. H. L.* XII. *c.* 51. NEAND. *de Med. nat. p.* 42. *seqq.* ex ATHEN. *Deipnos. L.* VII. *p.* 289. vero FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 329. *seqq.* rem uberius narrant. Conf. SUID. *voce:* Μενεκράτης. *T.* II. *p.* 533. Regis, quem modo diximus, filium, patre longe majorem, Alexandrum Magnum, *cujus ut infinitam gloriam virtus*, (VALER. MAX. *L.* V. *c.* 1. verba mea facio) *ita præcipuum amorem clementia meruit*, studio Medico operam dedisse, tum

 inde,

inde, quod ægrotantibus amicis opem attulerit, & remedia quædam ac observationes ciborum instruxerit, ceu ex PLUTARCHO *in Alex.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 121. observat, tum ex eo, quod SUID. *voce:* Ἀλέξανδρος. *T.* I. *p.* 103. illum non in bello solum res majore admiratione, quam fide, dignas gessisse, sed &, si cum viris præstantissimis versaretur, non inferiorem eruditione doctissimis deprehensum esse affirmet, non invita Minerva colligi videtur. In Philippum autem Medicum tanta Alexandri exstitit fiducia, ut intrepide potionem, quam illum a Dario corruptum Olympias & Parmenio in ejus necem parasse scripserant, & acceperit, & hauserit; v. CURT. *L.* III. *c.* 6. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 365. NEAND. *de Med. nat. p.* 48. *seqq.* quin hunc adeo exploratæ Medicum fidei honorificentissimo *Alexandri amici* elogio ornat VALER. MAX. *L.* III. *c.* 8. Circa eadem fere tempora Tyrtami emicuit ingenium, cui a divino dicendi genere Aristoteles primum Euphrasti, mox vero Theophrasti, nomen fecit, v. SUID. *voce:* Θεόφραστος. *T.* II. *p.* 181. quemque Chalcidem migrans Scholæ Peripateticæ successorem (quam ob rem eum post mortem conviciis insectatus est Aristoxenus v. SUID. *voce:* Ἀριστόξενος. *T.* I. *p.* 327.) designavit. v. SUID. *voce:* Θεόφραστος. *T.* II. *p.* 181. NEAND. *de Med. nat. p.* 54. *seqq.* Scripta, quorum luculentissimum indicem exhibet *Vir*, quem merito luget literaria Respublica, *Cel.* FABRIC. *Bibl. Gr. L.* III. *c.* 9. *Vol.* II. *p.* 235. *seqq.* ejus Medicæ artis peritiam satis produnt. Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 266. Tanta vero in Græcia polluit auctoritate, ut ludum ejus ultra bis mille Auditorum adiisse narrent SUID. *voce:* Θεόφραστος *T.* II. *p.* 181. & DIOG. LAERT. *de vit. Philos. L.* V. *Segm.* 37. quamvis STANLEJ. *Hist. Philos. Tom.* I. *Part.* V. *in Theophr. c.* 2. *p.* 492. (nescio quo usus exemplo) Suidam, numerum eorum ad 4470. pertigisse, narrasse autumet. Ex his, præter Demetrium Phalareum, v. SUID. *voce:* Δημήτριος, Φανοστράτου. *T.* I. *p.* 539. præprimis inclaruit Erasistratus, Aristote-

lis

lis ex filia nepos. v. DIOG. LAERT. *de vit. Philos. L.* v. *Segm.* 39. STANLEJ. *Hist. Philos. T.* 1. *Part.* v. *in Theophr. c.* 2. *p.* 492. Memoratu dignam historiam, quomodo Antiochi Soteris, qui Stratonicen novercam deperibat, morbum exploraverit, atque ejus patri Seleuco indicaverit, VALER. *Max. L.* v. *c.* 7. & APPIAN. *de bello Syr. p.* 204. literis consignarunt. Num vero ob istud facinus, an, quod postea forsan iterum Antiochum Regem valetudini restituerit, a Ptolomæo Rege, Antiochi filio, centum talentis (quæ summam sexaginta aureorum millium conficient) in sacris Megalensibus, quod PLIN. *H. N. L.* xxix. *c.* 1. collato *L.* vii. *c.* 55. refert, donatus sit, haud facile dixerim. Vid. omnino eam in rem FABRIC. *Bibl. Gr. L.* vi. *c.* 9. *Vol.* xiii. *p.* 151. *seqq.* Conf. SUID. *voce:* Ἐρασίστρατος. *T.* 11 *p.* 849. *ibique* KUSTERUS. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 53. *seqq.* & *N.* 405. NEAND. *de Med. nat. p.* 57. *seqq.* Quo vero vel probabili modo argumento DRELINCURT. *in Apol. Med. p.* 72. Erasistratum hunc Catonis ævo Romæ floruisse perhibeat, me scire profiteor juxta cum ignarissimis. Agmen denique Græcorum Medicorum claudat Apollophanes, quem Erasistrati discipulum fuisse novimus. Hic, ejusdem Antiochi Soteris Medicus, non solum tanta apud Regem fuit auctoritate, ut ejus plerumque uteretur consilio, v. POLYB. *Hist. L.* v. *c.* 57. & 58. NAUDE *dans les Consid. polit sur les coups d' Et.* sed & Smyrnæi ejus memoriam nummis in illius honorem cusis posteritati commendarunt, quorum bigam exhibet *Rich.* MEAD *in Diss. de numm. quibusd a Smyrn. in Med. honor. cus. N.* 3. Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* vi. *c.* 9. *Vol.* xiii. *p.* 76. *seq.* & SCHACHER. *Diss. de hon. Med.* §. 17. *p.* 31. Esset hic de schola Medicorum Smyrnæa disserendi locus, sed, quum Apollophanis ætas in illa incidat tempora, quibus Medicæ arti aliquod Romæ pretium cœpit statui, non magis de illa, quam de iis, quæ in templo Laodiceam inter & Caruram, alibique locorum fuere, plura addere fert animus.

§. XX.

§. XX.

Romam autem dum me converto, periculosissimæ plenam rem aggredi me video aleæ, ita multas atque nodosas prius discutiendas esse existimo status quæstiones. Qua tamen in re ista mihi lex dicta esto: ut primum in caussas, cur sub Romanæ Reipubl. primordiis Medicorum non ea, quæ apud Græcos, fuerit existimatio, inquiram, mox, Romanos iis neutiquam ultra sexcentos annos caruisse, ostendam, tum fabulam de Medicis in exilium actis confutem, deinde, num Medicina inter artes liberales fuerit, discutiam, hinc, non omnes Medicos Romæ servos fuisse, confirmem, & denique conditionem servi Medici sexaginta solidis æstimati expendam. Quo dum defungor negotio, sicubi forsan durius quid ex historiarum fide dicendum esset, Medicorum filios rogandos esse intelligo, ut ne nihil rectum, nisi quod Romanorum moribus, conveniat, putent, sed non eadem omnibus honesta esse atque turpia, & cuncta majorum institutis judicari animadvertant. Ut rem exemplo declarem: quem latet, Romanos, quum caussarum patrocinium vehementer utile tum ad opes augendas, tum ad gratiam, esse censerent, eloquentiæ in toga dignitatis principatum dedisse? v. CICER. *de Off.* *L.* II. *c.* 19. An eadem majorum nostrorum mens fuit? Non, me hercle! Audiamus FLOR. *L.* IV. *c.* 17. *Nihil illa*, inquit, *cæde per paludes perque silvas cruentius: nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen in caussarum patronos: aliis oculos, aliis manus, amputabant, unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera, sibilare desiste.*

§. XXI.

Caussæ, cur Romæ Medicina caput initio non æque ac in Græcia potuerit extollere, plures eæque gravissimæ sunt. Atque inter istas quidem non postrema est, quod, cum Romana Respublica ex fæce hominum, & latronum, decoctorum

rum atque erronum colluvie magnam partem primitus coaluisset, hinc tota ejus forma ad bellum & excursiones fuerit composita. Hic enim Reipubl. habitus bellicus ad ipsa usque Ciceronis tempora integer perstitit, quibus prima adhuc ad gloriam commendatio juveni Romano erat peritia in rebus bellicis; v. CICER. *de Off. L.* II. *c.* 13. *ibique Commentatores*, & *V. Cel.* SCHULZ. *Diss de servi Medici apud Græc. & Rom. condit.* §. 8. *p.* 16. *seq.* adeo, ut non Medica solum, sed & reliquæ liberales artes fere omnes, tanquam pacis comites, otii sociæ, & jam bene constitutæ civitatis quasi alumnæ, ultra quadringentos ab Urbe condita annos neglectæ jacuerint. v. (BOEKELM.) *Medic. Rom. serv.* §. 18. *p.* 54. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* IV. *p.* 98. *seqq.* Accedebat altera, quam §. *præced.* jam allegavimus, causa, quod Romani dignitatis principatum eloquentiæ darent; v. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. §. 8. *p.* 268. quod quidem ea de re factum videtur, tum, quoniam illa eorum, quorum agebant caussam, gratiam atque popularem auram egregie captare poterant, tum, quoniam eam aptissimam deprehendebant ad populi animos huc illucve impellendos. Illud vero non est prætereundum, Romanos Medicis, prioribus Reipubl. temporibus, minus etiam damnose carere potuisse, quum agriculturam, aliarum gentium sequuti instituta, quæ eam inter nobilissima, & ne Regibus quidem, qui ipsi terram subigebant, incognita, exercitia reputabant, v. SCHEFFER. *ad Ælian. V. H. L.* VII. *c.* 5. tanquam artem probatam agnoscerent, v. SALMAS. *de Usur. c.* 18. & *ipsorum Imperatorum manibus agri colerentur, atque terra vomere laureato & triumphali aratore*, ceu PLIN. *H. N. L.* XVIII. *c.* 3. loqui amat, *gauderet.* Quum vero *magnitudo populi Romani perderet ritus, & vincendo vinceretur*, tum demum Curios simulantibus & Bacchanalia viventibus, atque sanitatis studium, quod est ἀκορίη τροφῆς, καὶ ἀοκνίη πόνων, *non repleri cibis, & impigrum esse ad laborem*, posthabentibus Medicis apprime opus esse animadvertebant. Dignus est, qui eam in rem expendatur PLIN.

L H. N.

H. N. L. XXIV. *c.* I. Conf. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* IV. *p.* 101. Et hæc quidem ex ipsa Reipubl. Romanæ constitutione arti, quo minus altius emergeret, oberant. Peculiares vero in ipsis quoque ejus ævi Medicis caussas fuisse, si id, quod verum, fateri necessum, dubitandi ratio prorsus nulla est. Illos enim attentiores, quam par, ad rem fuisse, non uno exemplo probat PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. atque præcipue, cum eorum pauci essent, honoraria quandoque justo majora exegisse, non sit improbabile. v. BUDÆUM *de Asse L.* II. *p.* 197. Neutiquam autem illud ferendum, quod (BOEKELM.) *in Med. Rom. serv.* §. 17. *p.* 50. ait: *Non mirandum, si patrata eo tempore a Medicis flagitia longa serie alios enarrare videamus. Quid enim servilis animi improbitas designare non auderet? Si peccandi occasio aliquando & alios illexit, id humanum, neque ab aliis hominibus alienum est. Sordidiores autem videntur Medici fuisse in exigendis salariis &c. id quod tum aliunde, tum etiam ex legibus & remediis huic malitiæ oppositis intelligi potest.* Dic, quæso, cur in aliis humanum, quod in Medico flagitium esse existimas? Dic, cur sordidiores Medicos fuisse colligis, quia illorum malitiæ, quod ais, leges & remedia opposita? Nescin itaque togatorum vulturum, aliorum evertendis fortunis quæstum facientium, improbitatem lege illa munerali Cincia, & pœna infamiæ, si de quota litis pacti, coërcitam esse? Sed illud quidem humanum, nec ab homine alienum putas. Lepide, sapienter dictum! Altera, quæ nonnullis Medicorum ordinis prostibulis imputanda venit, ratio illa erat, quod, quum forsan Hippocratem barbaris operam negasse percepissent, Romani sibi persuaderent, Græcos Medicos in omnium barbarorum (quo nomine in Græcia omnes, qui non Græci erant, comprehendebantur v. KEUCHEN. *ad Corn. Nep. Milt. c.* 2. THOMAS. *Cautel. circa præcogn. Jurispr. c.* 6. §. 31. *p.* 79. *not. q.* JARCK. *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* I. *c.* I. *p.* 36.) necem conjurasse, atque venenis tollere constituisse. Quo latius vero illa erronea plane opinio serperet, nonnulla, quæ diximus, artis

carcino-

carcinomata, quæ veneficiis ei ſtigma inurebant, in cauſſa erant. v. *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 1. *p.* 9. Non enim poterat non eorum gravitas,

qui ſcelerum ſemper ſprevere miniſtros,

arti minus favere, cujus quosdam alumnos ea plane perverſe uti obſervabant, quemadmodum Pyrrhi Regis Medicum, qui Nicias aliis, aliis Timochares, aliis Cineas audit, v. NEAND. *de Med. nat. p.* 41. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 437. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 346. Fabricio per epiſtolam promiſiſſe, ſe Regem ſuum veneno necaturum, ex PLUTARCHO *in Apophth. Varior. Opp. T.* I. *p.* 343. cognoſcere licet. Quin nonnullis propudiis id tum temporis non adeo infrequens fuiſſe, ex CICERON. *Orat. pro A. Cluent. c.* 16. *Oratt. T.* II. *P.* I. *p.* 128. ubi Fabricium quendam, ab eo tamen, quem modo diximus, plane alium, Diogenem Cleophanti Medici ſervum ad venenum Avito dandum ſpe & pretio ſollicitaſſe narratur, ſatis apparet, & inde etiam colligitur, quod Brutus in CICER. *Epiſt. ad Brut. Epiſt.* 6. Glycona Panſæ Medicum a ſuſpicione dati ei veneni liberet. Hanc Romanis ſediſſe mentem, ex Catoniano illo judicio apud PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. *Jurarunt inter ſe barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, & facile diſperdant*, in propatulo eſt. Imo ex PLUTARCH. *in ejus vita* ſatis eſt perſpicuum, difficilem hunc hominem in iſto verſatum errore, quaſi commune Medicorum eſſet jusjurandum, ut nunquam barbaris ſui facultatem facere vellent. *Non* enim, quod PLIN. *l. c.* ait, *rem damnabat*, *ſed artem*, quo, ni fallor, vocabulo dolos indigitat, quum alias vix *rem* inter & *artem* diſcrimen intelligi poſſit. Quin & ſenem factum ad ſaniorem rediiſſe mentem, tum exinde, quod in decrepita ætate adhuc Græcas didicerit literas, v. VOSS. *de Philol. c.* 2. §. 9. tum ex eo, quod, cum Græci Italia pellerentur, diu etiam poſt ipſe ille Cato Medicos exceperit, v. PLIN. *l. c.* a-

L 2 bunde

bunde liquet. De isto Catoniano in Græcos Medicos odio ejusque caussis disserunt DRELINCURT. *in Apol. Med. P.* I. *p.* 49. *seqq. P.* II. *p.* 54. 64. *seqq. P.* IV. *p.* 104. *seq.* (BOEKELM.) *in Med. Rom. serv. p.* 6. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 422. CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. §. 7. *p.* 267. PEISKER. *in ind. de vern. & rer. Germ. signif. p.* 12. aliique, quibus tamen peculiaris quædam ratio, quæ Catonis forsan adversus illos exacerbavit animum, non est observata, puta, quod Scipioni Africano parum amicus esset, adeo, ut & Tribunis Plebis Petiliis auctor fuisse narretur, ut eum accusarent; v. *P.* MANUT. *not. ad Ciceron. de Off. L.* III. *c.* I. *p.* 128. Ille vero, ut erat vir eleganti ingenio, & literarum amantissimus, adeo, ut & antiquitus Terentii scripta ab eo profecta crederentur, v. QUINTILIAN. *Inst. Orat. L.* X. *c.* I. ita Græcos, quos doctrina commendabat, omni studio fovebat; v. VELLEJ. PATERC. *Hist. L.* I. *c.* 13. ex quo haud difficilis nascitur conjectura, senem nostrum dissidiis privatis in hac causa haud parum indulsisse. Præter ea autem, quæ vel ex ipsa Reipubl. forma, vel Medicorum quorundam vitio, vel denique privatorum odio, Medicinæ dignitatem Romæ morabantur, novum superstitio injiciebat scrupulum. In Apollinis enim Medici, (de cujus cultu apud Romanos supra §. XIII. diximus) æde æque, ac in Æsculapii, (quem labente Seculo ab Urbe condita quinto Romam advectum esse, ex LIVII *Epitom. L.* XI. colligo, v. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* IV. *p.* 93.) fano, quod §. XV. memoravimus, nocturnæ actæ videntur esse excubiæ, in quibus dum per somnia Medicinam exspectabant, Medicos insuper habebant, ceu illud ex CICERON. *de Divin. L.* II. *c.* 59. hanc vesaniam ridentis, manifestum est. *Qui igitur*, inquit, *convenit, ægros a conjectore somniorum potius, quam a Medico petere Medicinam? An Æsculapius, an Serapis, potest nobis præscribere per somnium curationem valetudinis?* In his autem delubris, quæ profuisse credebant, consignabant, ceu in tabula illa apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* LXXI. *Inscr.* I. quam §. XVIII. lau-

davi-

davimus, videre licet; unde denuo magis ex templo, quam a Medicis, quos Græca fide agere suspicabantur, salutem quærebant. Quin non hos solum, sed & Minervam per somnia sanare Romanis persuasum fuisse, tum ex GRUTER. *Inscr. T.* I. *p* LXXXI. *Inscr.* 9. tum ex iis, quæ §. XI. eam in rem jam occupavimus, minime obscurum est. Quid quod eo commodius Medicis carere posse arbitrabantur, quo impensius de averruncandis morbis & morte essent solliciti. Atque illum quidem in finem Febri, ne noceret, in Palatio fanum, v. PLIN. *H. N. L.* II. *c.* 7. LACTANT. *Opp. p.* 124. (ELLISY) *Fortuit. Sacr. p.* 95. 96. & Orbonæ, ne liberis orbaret, ara dedicata sunt, v. PLIN. *l. c.* quemadmodum, ut vivis parcerent, Diis inferis tot pilos, quot capita liberorum, servorum, mulierum, circa compita habitabant, ponebant, & pilas compitales ad humanam effigiem factas suspendebant. v. FARNAB. *ad Martial. L.* II. *Ep.* 43. *v.* 6. & HOERII *Diss. de Sigillar. Diti sacris.* Conf. SCHACHER. *Diss. de hon. Med.* §. 19. *p.* 34. *seq.*

§. XXII.

Dandum itaque, bene multa fuisse, quæ Medicorum existimationi Romæ oberant: neque tamen est, ut largiamur PLINIO *H. N. L.* XXIX. *c.* I. &, quem in ejus verba jurasse miror, BESOLD. *in Thes. pract. p.* 49. aliisque, Romam ultra sexcentesimum annum Medicis caruisse. Certe Cassius Hemina apud eundem PLIN. *l. c.* auctor est, primum ex Medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum A. V. C. DXXXV. & Populum Romanum, Medicinæ avidum, ei Jus Quiritium dedisse, & tabernam in compito Acilio emisse ob id publice. Hunc vulnerarium, ejusque adventum mire gratum, fuisse tradit, mox autem a sævitia urendi & secandi transiisse nomen in carnificem; v. PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. RITTERSHUS. *ad Salvian. L.* VI. *p.* 251. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* I. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* I. *p.* 50. *seq. P.* II. *p.* 57. carnifices enim Medicorum

corum olim audiebant ſectores, quorum opera illi utebantur. v. BARTH. *Adverſ. L.* II. *c.* 14. *p.* 80. Ex his igitur Plinii verbis nonnulli, & in iis ALEX. *ab* ALEX. *Dier. Genial. L.* IV. *c.* 10. *p.* 973. quaſi hic primus Romæ Medicus fuiſſet, colligunt. Sed nullam certe video cauſſam, cur (BOEKELM.) *in Med. Rom. ſerv.* §. 17. *p.* 48. calculum denegandum eſſe putem, forſan ab ipſis Urbis natalitiis fuiſſe, contendenti, qui herbariam quandam ſcientiam, qua ſanguinis ſiſteretur fluxus, & vulnera paulatim coirent, ut cum SENEC. *Epiſt.* 95. loquar, habuerint cognitam. Nec uno inducor argumento, ut in *a* REJES *in Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* I. & DRELINCURT. *in Apol. Med. P.* IV. *p.* 92. *ſeq.* ſententiam transeam, Seculo ab V. C. ineunte quarto Medicorum jam Romæ non obſcuram fuiſſe famam. Ita enim de peſte, quæ ab V. C. anno CCCI. Romam invaſit, narrat DIONYS. HALIC. *L.* X. *p.* 677. λοιμικὴ νόσος εἰς τὴν Ῥώμην κατέσκηψε κ. τ. λ. ὅτε τῶν ἰατρῶν ἀρκούντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς καμάτοις κ. τ. λ. *Peſtilens morbus Romam invaſit &c. nec Medicis in tanta ægrotantium multitudine ſufficientibus &c.* Nec de peſte, quæ A. V. C. CCLXXXII. ibidem loci graſſata eſt, his valde diſſimilia narrat IDEM *L.* IX. *p.* 599. Conf. FRICKII *Diſſ. de init. erudit. ap. Rom. Sect.* I. §. 15. *p.* 13. *ſeq.* & DRELINCURT. *Apol. Med. P.* IV. *p.* 86. 91. *ſeq.* & 94. *ſeqq.* Quemadmodum autem ex dictis ſatis conſtare puto, Romam minime ſexcentis annis Medicis caruiſſe, ita plane inſipida eſt, quæ ex hoc errore manaſſe videtur, de exilio Medicorum per ejusmodi temporis ſpatium fabula. Quo minus illa ex perverſe intellecto Plinii, quem laudavimus, loco nata ſit, nullum videtur eſſe dubium, ex quo primus, quod ſciam, eam effinxit AGRIPPA *de vanit. Scient. c.* 83. v. SCHACHER. *Diſſ. de hon. Med.* §. 20. *p.* 36. cujus auctoritati bene multos, nec infimi ſubſellii Viros, quos DRIEHUS. *in præf. ad* DRELINCURT. *Apol. Med. p.* 17. percenſet, ſubſcripſiſſe, aut cum *a* REJES *in Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* I. ſatis meticuloſe negaſſe, merito eſt, quod mireris. Has vero gerras,

ras, ne unico quidem antiquitatis suffultas monumento, eo minus lubet confutare, quo magis data opera istud commentum jam exploserunt SPON *dans les Recherch. Cur. d'Antiq. Diss.* XXVII. *p.* 436-451. & *Car.* DRELINCURTIUS *in Apolog. Med. qua vetus illa depellitur calumnia, Medicos sexcentis annis Roma exulasse*, nec ipse BOEKELMANNUS, satis injurius alias Medicorum censor, *in Med. Rom. serv. p.* 2. *seqq.* in hac causa contra hiscere audet.

§. XXIII.

Proximum jam est, ut dispiciatur, num Medicina Romæ in artium liberalium fuerit numero? Ne vero verborum me quis vitilitigatorem arguat, conveniendum prius est, quænam Romanis artes liberales dictæ sint? Verum enim vero, nihil esse fateri oportet, quod movere possit, ut *Ald.* MANUTIO *in Quæsit. per Epist. L.* I. *Ep.* 9. accedam, qui earum numerum septenarium fuisse existimat, illasque in privatas & publicas dispescit, & ad istas agriculturam & domesticam frugalitatem, ad has autem Senatoris, Judicis, Magistratus officium, militis fortitudinem & peritiam Imperatoris refert. Vix enim quenquam esse censeo, qui non primo intuitu intelligat, Manutium nostrum nimio erga Romanorum studia favore in hæc avia delapsum esse. Sin enim æqua rem lance perpendamus, optime illi rationes suas collegisse videntur, qui omnes liberales Græcorum disciplinas primis Romanæ Reipubl. temporibus non adeo magni factas esse contendunt. v. CELLAR. *Diss. de studiis Rom. literar. in Urbe & Provinc. Diss. Acad. Diss* XV. *p.* 341. *seqq.* Postea vero quam

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio,

liberales etiam doctrinæ, nisi me omnia fallunt, Romæ eodem jure, quo ibi, ubi natæ, fuerant, censebantur. Apud Græcos autem ἐλευθέριοι, quas vocabant, τέχναι, seu *artes liberales*, duorum videntur fuisse generum, quarum aliæ κατ' ἐξοχὴν eo

gaude-

gaudebant titulo, quales illæ erant, quas hodie magnam partem propædeuticas vocamus, atque earum numero Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Musica, Arithmetica, Geometria & Astronomia comprehendebantur, aliæ liberales dicebantur, quod homine liberaliter educato, seu ingenuo, non indignæ censerentur, & in harum quidem classe Philosophia & Medicina, quemadmodum supra §. IX. diximus, a Græcis collocabatur. Ad hæc principia mores suos Romani efformabant, nec Medicinam inter illas quidem, quæ κατ' ἐξοχὴν liberales vocabantur, sed inter eas, quas libero homine non indignas censebant, reputabant. Nec quicquam contra ea, quæ diximus, faciunt leges, quas in eum sensum detorquere nititur BOEKELM. *in Med. Rom. serv.* §. 15. *seqq.* p. 43. *seqq.* & ob quas, *vulgo Medicorum*, ut ait, *in caveam ex postremis* rejecto, si minus triumphum, ovationem saltim sibi decernendam esse existimat. Quod autem *l. ult. ff. de jur. immun.* adtinet; certe in proclivi est, quod, cum Tarrunteno in *d. l.* omnia graviora munera in castris, quæ vacationem merebantur, recensere animus fuerit, fieri non potuerit, quin Medicos castrenses vilioribus nonnullis immiscere habuerit necessum. Quo, puto, argumento Medicinam illiberalibus artibus annumeratam esse non magis conficitur, quam ex *l.* 4. §. 2. *ff. de decret. ab ord. fac. l.* 1. *pr. ff. de extraord cognit.* & *l.* 1. *Cod. de decret. Decur.* illud vel aliqua veri specie probari potest. Quem enim fugit, particulam *vel* sæpe copulativa vi in Jure nostro gaudere? v. BRISSON. *de V. S. L.* XIX. *p.* 1024. Quin, si ita verba captare, nec, qua quid mente dicatur, attendere velimus, certe perquam erit facile, Legum Doctores in præsidatu docentes illiberalem artem profiteri, evincere. Sin enim *l.* 4. *Cod. de Prof. & Med.* evolvere lubuerit, intelliges Oratione Divi Pii liberalium studiorum Professores contineri: Si conferas *l.* 6. §. 8. *&* 12. *ff. de Excusat.* perspicies, Antoninum Pium immunitatem Philosophis, Rhetoribus, Grammaticis, Medicis & Doctoribus legum, si Romæ doceant, indulsisse. Quid inde? Illud nempe; Legum Doc-

tores

tores in præſidatu docentes illiberalem, Medicos contra liberalem artem profiteri. Sed ita argumentari leguleji ſane eſt, non cordati JCti. Conferantur, quæ ad iſtas leges jam monuit TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 406. 408. *ſeq. &* 522. *ſeq.* Quemadmodum autem, quas diximus, leges Medicinam magis artibus liberalibus accenſent, quam ab iis ſecernunt: ita non magis cuiquam foret præſidii in ſilentio *l. un. Cod. de ſtud. liber. Urb. Rom. & Conſtantinop.* ſin illud quis contrariæ hypotheſi aptare vellet. Sancitur enim in *d. l.* tantum de iis Profeſſoribus, qui in Capitolio docebant: Medici vero ex horum numero non erant, ſed proprias ſibi ſcholas per Urbem conſtitutas habebant. Hujusmodi, ut videtur, Collegii Æſculapii & Hygiæ LX. Virorum leges ex Romano marmore illuſtravit SPON. *in Miſcell. ant. Erud. Sect.* 11. *Art.* XI. & ſcholam, multis imaginibus atque marmoribus ornatiſſimam, iis ad Æſquilias fuiſſe, obſervat *de* ROA *Singular. L.* V. *c.* 2. *p.* 431. *ſeq.* Certe ſcholæ Medicorum, ſive hujus, ſive alterius, meminit vetus inſcriptio, quam poſt MERCURIAL. *Var. lect. L.* IV. *c.* 1. MENAG. *Am. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 223. & GRUTER. *Inſcr. T.* 1. *p.* DCXXXII. *Inſcr.* 4. adſcripſiſſe non pœnitebit:

M. LIVIO. CELSO. TABULARIO
SCHOLÆ. MEDICORUM
M. LIVIUS. EUTICHUS
ARCHIATROS. OLL. D. II
IN. FR. PED. IIII

Et hinc ſatis jam intelligitur, cur inter Profeſſores, qui in Capitolio docebant, Impp. Medicorum non injecerint mentionem. Quid quod, non adeo longe petitis opus eſt argumentis, ut Medicis locum inter artium liberalium Magiſtros Romæ adſeramus. Non leges tantum noſtræ hos cum illis, ubi ita fert occaſio, conjungunt, ſed & priſci ævi monumenta Medicos & Profeſſores eodem jure æſtimant. Ex

M unico,

unico, in Helvetiis reperto, apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* XXXVIII. *Inscr.* 14. *& p.* CXII. *Inscr.* 3. exemplum sumemus:

NUMINIBUS. AUG
ET. GENIO. COL. HEL.
APOLLINI. SACR
Q. POSTUM. HYGINUS
ET. POSTUM. HERMES. LIB
MEDICIS. ET. PROFESSORIB
D. S. D.

Quin, si forsean ne hæc quidem alicui facerent satis; luculentissimus præsto est testis SENECA *Epist.* XCV. *Adjice nunc, quod artes quoque pleraque, imo ex omnibus liberalissimæ, habent decreta sua, non tantum præcepta, sicut medicina.* Geminum addo THEODOS. *Imp. in l.* 1. *Cod. Theod. de Prof. & Med. Medicos, Grammaticos, & Professores alios literarum* conjungentem: ne dicam CICERON. *de Off. L.* II. *c.* 42. medendi artem honestis, quibus prudentia major est, aut non mediocris quæritur utilitas, cooptasse, & in *Orat. pro A. Cluent. c.* 21. *Oratt. T.* II. *P.* I. *p.* 138. Medicum *optimum & nobilissimum* appellare, quod sane elogium homini illiberali parum conveniret. Atque hæc quidem sunt, quæ vetant, quo minus BOEKELMANNI *l. supra c.* aut MANUTII *in Comm. ad Ciceron. Orat. pro A. Cluent. c.* 16. *Oratt. T.* II. *P.* I. *p.* 26. *& in Comm. ad Epist. ad Famil. L.* XIII. *Ep.* 20. *p.* 132. sententiæ subscribere possim, Medicinam Romæ in artium illiberalium numero computatam esse.

§. XXIV.

Neque illa minus magnis utrimque animorum motibus per aliquot Secula agitata est controversia: Num Medici Romæ olim servilis fuerint conditionis, nec ne? Nos, utpote extra partes positi, supremam legem veritatem esse jubebimus,

bebimus, & ex antiqui ævi monumentis Medicorum hac quoque parte conditionem paucis investigabimus. *Franc.* ROBORTELLUS, atque ejus sequaces LAURENT. *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 127. *& L.* V. *p.* 404. DEMPSTER. *Paral. ad Rosini Ant. Rom. L.* II. *c.* 17. *p.* 166. ZACCHIAS *Quæst. Med. leg. L.* VI. *Tit.* 3. *Q.* 2. *N.* 24. *p.* 502. MANUT. *in Comm. ad Cicer. Ep. ad Famil. L.* XIII. *Ep.* 20. *p.* 132. BOEKELM. *in Med. Rom. serv.* §. 7. *p.* 21. *seq.* §. 9. *p.* 26. *seqq.* §. 14. *p.* 41. *seqq.* §. 16. *&* 17. *p.* 46. *&* 50. *seqq.* aliique, omnes omnino Medicos Romæ servituti addicunt; & in eorum quoque partes proniorem esse animadverto *V. C.* HEINECCIUM,

Opponit unum quem viris prioribus
Ætas recentis temporis,

in Syntagm. Ant. Rom. L. I. *T.* 25. §. 19. *p.* 253. *seq.* Sunt alii, qui, non cunctos quidem, plerosque tamen Medicos ex servorum gente fuisse contendunt, ad quam sententiam inclinant CASAUB. & BERNEGG. *ad Sueton. in Cæs. c.* 4. PITISC. *ad l. c. p.* 9. *&* 10. *& ad Sueton. Aug. c.* 59. *p.* 287. KIPPING. *Antiqq. Rom. L.* I. *c.* I. *p.* 59. STRUV. *in Syntagm. Jurispr. Exerc.* XXIII. *Th.* 3. *p.* 818. *seq.* FREHER. *Parerg. L.* II. *c.* 16. BRISSON. *Select. ex Jur. Civ. Ant. L.* II. *c.* 3. *p.* 1084. MENAG. *Am. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 230. Alii denuo sunt, qui Medicos servos omnes Chirurgos, Ocularios, aliptas aut iatraliptas, similesve medicastros, fuisse perhibent, quem in censum veniunt *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 41. *seqq.* MUND. *de muner. & honor. c.* 6. *N.* 565. *p.* 340. *seq.* CELLAR. *Diss. Acad. Diss.* XII. *c.* 6. §. 3. *seqq. p.* 264. *seqq.* SCHACHER. *Diss. de hon. Med.* §. 19. *&* 21. *seq.* SCHULZ. *in Diss. de servi Med. ap. Græc. & Rom. condit.* ZORN. *Opusc. Sacr. T.* I. *p.* 337. Denique SPONIUS, tum *in Miscell. Erud. Antiq. p.* 144. tum *dans les Recherch. Cur. d'Antiq. Diss.* XXVII. *p.* 419-436. id non solum evincere satagit; non solos servos Romæ Medicinam fecisse,

 sed

ſed & amplius aſſerit, artem hanc ab ingenuis & libertis tantum tractatam eſſe. Qua tamen in re ut amore artis, quam profitebatur, hypotheſi non una vice illum haud parum indulſiſſe Viris Doctis pridem obſervatum eſt, ita ejus veſtigiis inſtitiſſe miror V. C. ZORNIUM *Opuſc. Sacr. T.* I. *p.* 336. Diu ſervos Medicinam feciſſe, ex SUETON. *in Calig. c.* 8. *& in Neron. c.* 2. QUINTIL. *Inſt. Or. L.* VII. *c.* 2. SENEC. *de Benef. L.* III. *c.* 24. ex *l.* 26. *ff. de oper. lib. l.* 41. *§.* 6. *ff. de fideic. libert.* atque aliis, quorum vix numerum inire licet, antiquitatis monumentis ſatis eſt perſpicuum: v. SATTL. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 19. & TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 410. Unde non accurate calculum poſuiſſe exiſtimo HERT. *in Diſſ. de herede occiſi vind. ad tit. ff. de SC. Silan. Sect.* I. *§.* 7. *Opuſc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 280. dum ex *l.* 5. *§.* 3. *ff. de SC. Silan.* in qua heres Medici inſidias ulciſci jubetur, colligit, de libero homine etiam heredem vindictam ſumere debere, quoniam ab Auguſti ævo jam omnes Medici liberi fuerint. Juſtiniani enim adhuc tempore in ſervorum familiis Medicos fuiſſe, ex *l.* I. *§.* 5. *Cod. de comm. ſerv. manum.* & *l.* 3. *Cod. commun. de legat.* luce meridiana eſt clarius. Neutiquam vero illud Medicorum dignitati quicquam derogabit, quum conſtet, ceteras quoque liberales artes Romæ a ſervis non alienas fuiſſe, v. *l. ult. §. ult. ff. de Ædilit. Edict.* Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 524. *ſeq.* & agriculturæ, qua ipſos Imperatores delectatos §. XXI. diximus, ſervos etiam adhibitos eſſe. Ita VARRO *de Re Ruſt. c.* 17. ait: *Omnes agri coluntur hominibus ſervis, aut liberis, aut utriſque.* Par Medicinæ Romæ erat conditio, quam ab utroque hominum genere promiſcue factam eſſe, neque ingenuos ſolam Clinicen, neque ſervos ſolam Chirurgicen exercuiſſe, haud improbabile eſt. Quamvis enim prima fronte vero non adeo videatur diſſimile, ingenuis Clinicen propriam fuiſſe, & fatear, bene multas Inſcriptiones, quarum aliquas apud PIGNOR. *de ſerv. p.* 71. *ſeq.* plures apud GRUTER. *in Synt. Inſcr. paſſim* reperire licet, huic ſententiæ admodum favere: ſunt tamen

argu-

argumenta non levia, quæ eidem haud parum adverſantur. Sic in illa apud GRUTER. *Inſcr. T.* 1. *p.* CCCC. *Inſcr.* 7. inſcriptione:

P. DECIMIUS. P. L. EROS
MERULA. MEDICUS
CLINICUS. CHIRURGUS
OCULARIUS. VI. VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H-S. Iↄↄↄ

ſervum quondam, Medicum Clinicum, deprehendimus, quam vix erit, ut elidas, niſi illum honeſto loco natum, & bello in ſervitutem redactum, mox vero a ſuis redemtum eſſe dicas; quod illud quidem juvare videtur, dum vix licet conjicere, eum tantum æris, quantum pro libertate dedit, genio & ventri defraudatum pro capite comparare potuiſſe; quamvis, ut hoc effugium acutioris naſi Viris ſatisfaciat, verear. Sed præterea, non ſolos ingenuos Clinicen factitaſſe, illud etiam demonſtrare videtur, quod DIO CASSIUS *L.* LIII. *p.* 517. teſtis ſit, Ant. Muſam, quem libertum fuiſſe (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) adſerit, Auguſtum lavacris frigidis & frigidis potionibus ſanitati reſtituiſſe. Licet enim CRELLIUS *in Diſſ. de Ant. Muſa §.* 5. iſtam parentheſin ſollicitare, nec Muſam libertum fuiſſe, evincere ſtuduerit, vix tamen eſt, ut ea quidem in re omne Doctorum tulerit punctum. v. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 69. Siquidem vero illa per gloſſema non irrepſit, nulla dubitandi ſupererit ratio, libertum hunc Medicum Clinicum fuiſſe, quum Romani lotionibus, quibus ille Auguſtum ſanavit, præprimis in febribus uterentur, v. MARTIAL. *L.* II. *Epigr.* 40. *ibique Farnab.* & Methodica ſecta, cui ideo illum quidam addictum fuiſſe cenſent, magnam partem per contraria curaret. v. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 68. Quemadmodum vero ſervos aliquando Clinicæ etiam Medicinæ ſe immiſcuiſſe diximus; ita nec ingenui Medici Chirurgica plane abſtinebant.

Ne ea, quæ C. 1. §. 2. hanc in rem jam dicta sunt, denuo urgeam, uberrimum testem provoco Ulpianum, qui in *l.* 7. *§.* 8. *ff. ad L. Aquil.* Medicum imperite secantem actione ex L. Aquilia conveniri posse indicat. Quomodo vero legem hanc cum analogia Juris componemus, nisi Medicum ingenuum hic intelligi dicamus, quum in servos nulla cadat obligatio, per *l.* 22. *ff. de R. J.* nec caput habere censeantur?

§. XXV.

Quamvis vero iis suffragandum non esse censuerim, qui ingenuos inter & servos Medicinam quasi æquis partibus divisam fuisse autumant, tantum tamen abest, ut a liberis hominibus illam factam non esse existimem, ut potius eorum Medicinam servili illa longe nobiliorem fuisse plane mihi persuadeam. Non enim solum complures ex Græcia advenæ Medici erant ingenui, sed & ipsos Romanos, quibus nulla natalium servilium erat macula, huic arti operam dedisse ex PLINIO *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. qui Medicinam *Romanam gravitatem nondum in* tanto *fructu exercere*, *&* paucissimos Quiritium *eam attigisse* narrat, satis apparet. Nec credo quisquam Celsum, Macrum, Scribonium Largum servos fuisse evincet, quemadmodum nec ea C. Virii Veri Oufidii apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* CCCCLXXXVIII. *Inscr.* XI. non magis ac in illa Ti. Claudii Anii Sabiniani Medici Aug. *T.* II. *p.* MCXI. *Inscr.* 5. ulla servitutis reperitur nota. Neque enim est, ut illum a quodam familiam ducente servo Sabino, sicuti Celadianum a Celado dictum vult PIGNOR. *de serv. p.* 72. vocatum esse arbitremur, tum, quia nihil in eo titulo observamus, quod vernam istum fuisse suadeat, tum, quoniam Sabinianorum nomen etiam in priscis monumentis non est infrequens, ceu ex GRUTERI *Inscr. T.* I. *p.* XXXVII. *Inscr.* 12. *&* *p.* CCCCXLVIII. *Inscr.* 8. in quarum altera Procuratoris Augustalis, in altera vero Equitis duplaris ita vocati fit mentio, liquet. Accedit, quod sæpius in antiquis tabulis, quales apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* DLXXXI. *Inscr.* 10. *p.* DCXXXIV. *In-*

scr. 3.

ser. 3. *&* *passim*, atque REINES. *Epist. ad Hoffmann. & Rupert. Epist.* XXXV. *p.* 270. inveniuntur, Medicorum, qui ipsi libertos libertasque habuere, fiat mentio, quibus, nisi eas de ingenue natis intelligas, vix commodus constabit sensus. Vid. eam in rem *Ill.* BYNKERSHOEK. *Observ. Jur. Rom.* *L.* III. *c.* 7. *p.* 245. Et hos quidem ingenuos Medicos artem secundum certa præcepta, sive malis δόγματα, fecisse, ex iis, quæ ad huc reliqua sunt, Celsi aliorumque scriptis intelligitur: cum contra servi Medici tantum Dominos adjuvando, eosque consectando, aliqualem empiricam sibi comparassent notitiam, de cujusmodi servilis conditionis Medicis, seu potius ὑπηρέταις τῶν ἰατρῶν, *ministris Medicorum*, in Græcia *§.* x. actum est. Et horum quidem turba eo magis Urbs cæpit abundare, quo majorem nonnulli Romanorum, iique non infimi ordinis, ex mancipiis emendis & vendundis faciebant quæstum. v. SALMAS. *de Usur. c.* 18. In horum vero numero ii, qui Medicam artem callebant, tanto majoris erant pretii, quanto hero utiliores. Licet enim servorum Jure Romano una esset conditio, per *§.* 5. *Inst. de jur. Pers.* & *l.* 5. *pr. ff. de Statu hom.* illud tamen ratione potestatis Dominicæ tantum accipiendum est, v. *Dan.* HEINSII *Epist. in* RUTGERSII *var. lect. L.* IV. *c.* 3. *p.* 330. *seq.* & 334. *seq.* non vero ratione officiorum, quorum alterum altero multo erat honoratius, ceu PIGNORIUS in eleganti *de servis* Commentario atque *Tit.* POPMA *in libro de operis servorum*, fusius demonstrarunt. v. VOET *in Comm. ad ff. tit. de Statu hom. §.* 3. *p.* 50. Inter hæc servorum & ancillarum diversa officia Medicis & obstetricibus fere primas dedit Justinianus binis constitutionibus, altera in *l.* 3. *Cod. Comm. de legat.* altera in *l.* 1. *§.* 5. *Cod. de comm. serv. manum.* quibus tum, si uni legatario cum reliquis de optione servi legati convenire non posset, tum, si de communi servo manumittendo lites orirentur, Medici servi pretium ad sexaginta usque solidos esse voluit. Sed has leges denuo & data opera in Medicorum detorquet odium Auctor, qui quidem latere voluit, quem tamen BOEKEL-

MAN-

MANNUM fuiſſe creditur, libelli, cui titulum fecit: *Medicus Romanus ſervus ſexaginta ſolidis æſtimatus. Lugd. Bat.* 1671. quæ cenſura eo iniquior, quo magis ex ipſa hac æſtimatione eſt manifeſtum, quanti Imp. artem hanc etiam in ſervo fecerit. Horum etenim ſervorum conditionem, ſi de manu dati eſſent, minime de vilioribus fuiſſe, non illud adeo argumento eſt, quod ipſos etiam libertos libertasque habuiſſe ex *l.* 26. *ff. de Oper. libert.* (niſi cui magis arrideat elegans & arguta *Ill.* BYNKERSHOEKII, *Obſervatt. Jur. Rom. L.* III. *c.* 7. *p.* 245. pro *Libertus*, *Liberius* legentis, conjectura) ſuſpicari liceat, nec illud modo, quod eos tunc reliquis quandoque præfectos eſſe ſciamus, quale illius T. FL. Pæderotis, Auguſti Liberti, Alcimiani, Superpoſiti Medicorum, cujus apud GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* DLXXXI. *Inſcr.* 7. meminit, officium fuiſſe puto, ſed vel eo potiſſimum evincitur, quod non unum eorum Seviratu Auguſtali decoratum eſſe ex *Ejusdem* GRUTERI *Inſcr. T.* I. *p.* CCCCLX. *Inſcr.* 8. *p.* CCCCLXIV. *Inſcr.* 6. & iis, quas SCHACHER. *in Diſſ. de hon. Med.* §. 22. *p.* 39. ex Mercuriale profert, exploratum ſit. Quæ cum ita ſint, hanc denique dictorum colligo ſummam, ingenuos Medicos quidem non ſolam Clinicen feciſſe, uti nec ſervos unicam Chirurgicen; feciſſe tamen & illos Medicinam, atque tanto præſtantiorem, quanto Medicus doctrina imbutus mere Empirico eſt anteponendus, neque ſervorum etiam Medicorum vilem, ſed reliquis ex vernili genere pleriſque meliorem, fuiſſe conditionem. *Imperare* Medicis cur ægri apud Romanos Scriptores dicantur; ea de re neque poſt MENAG. *Am. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 230. *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 8. BOEKELM. *in Med. Rom. ſerv.* §. 5. *p.* 16. *ſeq.* SCHACHER. *de hon. Med* §. 24. *p.* 43. VINK. *Amœn. Philol. Med. p.* 435. *ſeqq.* meſſem ſpicilegium inſtituere, neque de lectione *l.* 26. *ff. de oper. libert.* cum GOTHOFREDO *ad d. l.* & DUAREN. *Diſp. Anniv. L.* I. *c.* 54. contendere, neque ea cum PLINIO, qui *H. N. L.* XXIV. *c.* I. Medicinam *Imperatoribus* ait *imperare*, aut HORATIO, qui *L.* I. *Sat.* I.

v. 82.

v. 82. *Medicum rogandum* esse censet, allaborabo componere, quum plura, eaque forsan magis e re præsenti futura, dicenda superesse animadvertam.

§. XXVI.

Et hæc quidem de illis, quæ Medicis moveri solent, status quæstionibus censui esse prælibanda. Residuum est, ut, priusquam ipsum tractationis aggrediamur caput, originem & incrementa honorum & privilegiorum Medicis a Romanis tributorum paucis, & summo quasi pede, persequamur. Ex eo autem, quod §. XXI. narravimus, Archagathum urendi & secandi sævitia Populi Romani in se provocasse odium, facile redditur ratio, cur de Medicorum proxime insequenti ævo existimatione vix aliqua literis consignata reperiamus. Seculo vero ab V. C. VII. ab Optimatibus Romanis huic arti pretium cœpit statui, utpote quorum prudentiores recte censebant, magis a Medico, quam somniorum conjectore, aut Æsculapio, vel Serapide, salutem esse petendam. v. CICER. *de Divin. L.* II. *c.* 59. Hinc est, quod CICERO *in Orat. pro A. Cluent. c.* 16. *Oratt. T.* II. *P.* I. *p.* 128. Cleophantum Medicum tanquam hominem spectatum laudet, & Lysoni honorem haberi jubeat *in Epist. ad Famil. L.* XVI. *Ep.* 9. *p.* 438. quin, quam inter illos fuisse oportet, amicitiam mirum in modum deprædicet *in Epist. ad Famil. L.* XIII. *Ep.* 19. *p.* 291. *seq.* Nec minus CICERONIS elogiis commendatos reperias Craterum, Persii & Horatii carminibus celebratum, & Asclaponem, cujus tum artem extollit, tum se eo valde familiariter uti *in Epist. ad Fam. L.* XIII. E*p.* 20. *p.* 292. *&* *L.* XVI. *Ep.* 6. *p.* 434. significat. Conf. NEAND. *de Med. nat. p.* 73. & DRELINCURT. *Apol. Med. P.* III. *p.* 75. *seq.* FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 87. 122. & 130. Num vero ipse Cicero in hac arte fuerit versatus, id quidem haud æque facile, ac BERGER. *binis Diss. de Cicerone Medico* illud sustinuit, ausim affirmare. Communis ei cum Pompejo amicus & familiaris erat Asclepiades, v. CICER. *de Orat.*

L. I. *p.* 71. Conf. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* III. *p.* 74. *seq.* cujus ob mortuum creditum & jam rogo impositum vitæ restitutum maxima Romæ cœperat esse nominis celebritas. v. PLIN. *H. N. L.* VII. *c.* 37. NEAND. *de Med. nat. p.* 69. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 34. 59. *&* 60. KUSTER. *ad Suid. T.* I. *p.* 351. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 87. *seqq.* REINES. *Epist. ad Hoffmann. & Rupert. Ep.* XLIV. *p.* 394. *seq.* Nec tamen hoc solo argumento Pompejus M. quanti salutarem artem faceret, declaravit, sed & eo præcipue, ejus amplificationem sibi curæ cordique esse, fecit testatum, quod, devicto Mithridate, Leneo Pompejo, liberto suo, id daret negotii, ut libros Regis hujus medicos Latinitate donaret, ceu post PLIN. *H. N. L.* XXV. *c.* 2. *&* GELL. *N. A. L.* XVII. *c.* 16. rem narrant *a* REJES *in Elys. juc. quæst. camp. Q.* I. *p.* 13. NEAND. *de Med. nat. p.* 68. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 131. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 131. *seq.* Apud æmulum ejus M. Antonium Medici itidem gratia haud parum pollebant, ceu tum Philothæ vel Philothei Amphissensis, Medici inter ejus clientes, mensa argenteis poculis grandibus onusta ab eo, narrante PLUTARCH. *in Anton. p.* 928. *edit. Xyland.* donati, tum Pedacii Dioscoridis Anazarbæi, quem, negantibus tamen aliis, Cleopatræ ejus uxori familiarem fuisse SUID. *in voce:* Διοσκουρίδης. *T.* I. *p.* 604. tradit, exemplis comprobatur. v. NEAND. *de Med. nat. p.* 66. *&* 74. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 62.

§. XXVII.

Quamvis autem ita splendida Optimatum & Principum in Republ. Romana Virorum de Medicis essent judicia: ex LL. tamen XII. Tabularum, quarum huc spectans caput C. I. §. XIV. attulimus, privilegia hactenus in eorum favorem condi non poterant. At, postquam illa incidissent tempora, de quibus ex re JUVENAL. *Sat.* X. *v.* 78. *seqq.* canit:

Qui

Qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses,

& vix vestigia morientis adhuc superessent libertatis, sed, quod PLUTARCH. *in Flamin. Vitar. T.* II. *p.* 699. ait, Principes *e bono publico legibus nossent imperare, nec exspectarent, dum a popularibus imperium acciperent, sed eo uterentur, sicubi locus esset*, tum certatim Medici honoribus non solum, sed & juribus singularibus atque privilegiis ornati sunt. Si rem ab ovo ordiri velimus; J. Cæsar sane primus ejus dignitatis, quæ postea Medicinæ Romæ accessit, auctor exstitit. Videntur enim Medici apud eum primæ fuisse admissionis, ceu vel inde haud obscure colligitur, quod a prædonibus circa Pharmacusam captus cum uno Medico fere quadraginta dies apud eos commoratus sit. v. SUETON. *in J. Cæs. c.* 4. Conf. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* III. *p.* 74. Quin, quam propenso in eos fuerit animo, vel isto argumento satis fit perspicuum, quod, cum sub ejus Principatu, vel paullo ante, Medici frequentes (quod tamen non ideo, quasi Athenis ejecti essent, factum, v. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 22. *seq.*) Romam itarent, ille primus omnes hanc artem professos, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cœteri appeterent, civitate donaverit. v. SUETON. *in J. Cæs. c.* 42. *a* REJES *l. c. Q.* 2. & 4. LAURENT. *var. ant. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 127. & *L* v. *p.* 404. KIPPING. *Antiqq. Rom. L.* I. *c.* I. *p.* 59. GOTHOFR. *ad l.* 5. *Cod. de Prof. & Med.* ALEX. *ab* ALEX. *Gen. Dier. L.* IV. *c.* 10. *T.* I. *p.* 973. Apud Augustum autem Medicorum conditio minime erat inferior. Etiamsi enim non illa sim mente, ac si ipse Cæsar, quod TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 157. opinatur, Medicinam egregie calluerit, inficias tamen iri non potest, eum Medicis familiarissime usum esse. Arctæ cum iis consuetudinis certissi-

mum documentum eſt, quod Artorium Marcum, cujus ſomnio monebatur, ne in caſtris Philippenſi prœlio maneret, PLUTARCH. *in Bruto, Vitar. T.* III. *p.* 1834. φίλον, SUETON. *in Aug. c.* 91. vero ejus *amicum* vocitent, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 63. & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 86. *&* 88. *ſeq.* ſive, quod Cæſari propter artis peritiam maxime carus fuerit, (qua ratione in Græcia Philoſophorum diſcipuli plerumque modeſtiæ cauſſa ἑταῖροι appellabantur, v. BOS *Anim. in Script. Gr. c.* 24. *p.* 99.) quæ fere BORREMANSIO *var. lect. c.* 15. ſuffragantis PITISCI *in not. ad Sueton. Cæſ. c.* 4. *p.* 9. *&* 10. eſt ſententia, ſive, quod ejus forſan quandoque uſus ſit conſiliis, quum & Principum atque Regum conſiliarii eorum *amici* olim dicerentur. v. ZORN. *Opuſc. Sacr. T.* I. *p.* 336. Ne vero iſtum ſingularem in unum hunc hominem affectum fuiſſe exiſtimemus, vetant SUETON. *in Aug. c.* 42. *p.* 253. & *P.* OROS. *Hiſtor. adv. pagan. L.* VII. *c.* 2. dum Illum, utpote annonæ curandæ ſtudioſiſſimum, v. SUETON. *Aug. c.* 40. *&* 41. OISEL. *in Theſ. Sel. Numiſm. Tab.* LXXIV. *p.* 399. in magna ſterilitate & difficili remedio venalitias & laniſtarum familias, partem ſervitiorum, peregrinosque omnes, exceptis Medicis & præceptoribus, Urbe expuliſſe teſtantur. Conf. DRELINCURT. *Apol. Med. P.* II. *p.* 58. *ſeq.* Sed longe ampliſſimum benignæ ejus in Medicos voluntatis in Ant. Muſa, quem Liviæ amicum fuiſſe perhibet BULENGER. *de Imperat. Rom. L.* II. *c.* 21. *p.* 146. exſtat teſtimonium. Quum enim Cæſar ejus opera ancipiti morbo convaluiſſet, S. P. Q. R. Muſæ non ſolum ſtatuam ex ære collatitio juxta ſignum Æſculapii poſuit, v. SUETON. *in Aug. c.* 59. *p.* 287. ſed & Patres Conſcripti non minus ac Auguſtus, eum, licet, quod tamen ſola fide NEAND. *de Med. ñat. p.* 75. narro, ille (æque ac frater Euphorbus a Juba Mauritaniæ Rege, cujus Medicus erat, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 63. *&* 132.) hujus Principis indulgentia annua mercede 6250. aureorum frueretur, immenſa vi auri donarunt. v. DIO CASS. *L.* LIII.

p. 517.

p. 517. &, qui hic instar reliquorum sunt, BRISSON. *Select. ex Jur. Civ. Ant. L.* II. *c.* 3. *p.* 1084. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 63. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 66. *seqq.* NEAND. *de Med. nat. p.* 74. *seq.* Ob eadem vero merita Augustus ei quoque usum annuli aurei dedit, & ἀτέλειαν *immunitatem* non ipsi solum, sed omnibus tunc & in posterum eam artem exercentibus, concessit. v. DIO CASS. *L.* LIII. *p.* 517. Quid autem hic ἀτέλειας appellatione veniat, non adeo liquet. Videtur non sola immunitas a vectigalibus, quæ origine sua vocis vis est, ea comprehendi, sed ab omnibus forsan muneribus civilibus, iis tantum, a quibus ne immunes quidem olim excusabantur, quas *l. ult.* §. *pen. ff. de muner.* recenset, exceptis. Inter hæc enim est necessitas hospitis recipiendi, & ab hac demum Medici Vespasiani & Hadriani Rescriptis immunes pronunciati sunt. Vid. *l. ult.* §. *ult. ff. de muner.* Non minus erat splendidum alterum, quo Musam ornabat, beneficium, usus, puta, annuli aurei. Hic enim servis, qui ferreis tantum utebantur, erat interdictus, v. LONG. *de Annul. c.* 5. *p.* 32. *seq* JARCK. *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* II. *c.* 7. *p.* 401. & proprium ordinis equestris, Senatorum & Prætoriorum insigne. v. SUETON. *in Cæs. c.* 39. *& in Galb. c.* 10. *& c.* 14. *in Vitell. c.* 12. HORAT. *L.* II. *Sat.* 7. *v.* 53. *seqq.* STATII *L.* III. *Silv.* 3. *v.* 143. *seqq. ibique* BARTH. *in Animadv. T.* I. *p.* 320. TACIT. *Hist. L.* I. *c.* 12. *p.* 61. *seq. ibique* LUPAN. *&* SAVIL. *in not.* & iterum *Hist. L.* II. *c.* 57. *& L.* IV. *c.* I. LIV. *L.* XXIII. *c.* 12. *p.* 200. MARTIAL. *L.* XI. *Ep.* 38. *p.* 626. BULENGER. *de Imperio Rom. L.* VII. *c.* 14. *p.* 643. BUDÆI *Annotatt. in ff. ad l. ult. de Senator. p.* 53. *&* 55. PITISC. *in Sueton. Cæs. c.* 33. *p.* 63. AUGUSTIN. *de LL. & SCtis p.* 85. RHODII *Diss. de Acia c.* 5. *p.* 30. *&* 50. CAROLI *Animadv. in Agell. N. A. L.* IV. *c.* 4. *p.* 250. RHODIG. *Ant. Lect. L.* VI. *c.* 12. *p.* 290. HOTOM. *not. ad Cicer. Orat. pro Rosc. Am. c.* 49. *Oratt. T.* I. *P.* I. *p.* 205. *P.* MANUT. *Comm. in Ejusd. Act.* 3. *in Verr. c.* 80. *Oratt. T.* I. *P.* 2. *p.* 22. *Fort.* LICETI *Resp. de Quæsit.*

per Epist. in Gaud. ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* II. *p.* 191. *seq.* In reliquis, qui non erant hujus ordinis, annulus aureus ut plurimum virtutis, aut rei fortiter gestæ, censebatur præmium. Ita, quum Tribuni tantum essent χρυσοφορῦντες, gregarii vero milites σιδηροφορῦντες, v. APPIAN. *de Bell. Pun. p.* 63. BARTH. *Animadv. in Stat. L.* III. *Silv.* 3. *v.* 144. *T.* I. *p.* 320. ALEX. *ab* ALEX. *Dier. Genial. L.* II. *c.* 29. *T.* I. *p.* 521. his tamen etiam nonnunquam, re strenue peracta, istud annuli jus indultum esse, ex CICERON. *Orat.* 3. *in Verr. c.* 80. *Oratt. T.* I. *P.* 2. *p.* 153. *seq.* colligit BRISSON. *de form. Pop. Rom. L.* IV. *c.* 31. *p.* 329. Conf. *Al.* SARD. *de rit. ac mor. gent. L.* I. *c.* 19. *in Gaud.* ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* II. *p.* 285. Quin adeo annulorum aureorum jus apud Romanos erat dignitatis indicium, ut & ob legationem quosdam id accepisse memoret PLIN. *H. N.* L. XXXIII. *c.* I. & hi ne quidem istis nisi in publico, domi autem ferreis, uterentur. Conf. MACROB. *Saturn. L.* VII. *c.* 13. *p.* 625. Libertis vero non omnibus, quod PICINELL. *lum. reflex. Part.* I. *N.* 195. *p.* 43. quidem innuere videtur, sed lautioribus tantum illud jus indulgebatur, v. ALEX. *ab* ALEX. *Dier. Genial. L.* II. *c.* 19. *T.* I. *p.* 436. *ibique* TIRAQUELL. & COLER. *&* *c.* 29. *p.* 516. nec hi ipsi eo gaudebant, nisi a Principe id impetrassent, quo vero facto ingenui fiebant, v. *Ant.* AUGUSTIN. *de LL. & SCtis p.* 85. STRUVII *Syntagm. Jurispr. Exerc.* XL. *Th.* 59. *p.* 521. ASCON. *ad Cicer. Orat.* 2. *in Verr. c.* XI. *Oratt. T.* I. *P.* I. *p.* 591. JARCK. *ad Schedii de Diis Germ. Syngr.* II. *c.* 7. *p.* 401. quamvis Justinianus postea per *Nov.* LXXVIII. illud cum omnibus libertis communicaverit. v. JARCK *l. c. p.* 403. HEINECC. *Synt. Ant. Rom. L.* I. *T.* 5. §. 17. *p.* 109. Plura hanc in rem habent KIRCHMANN. *de Ann. c.* 15. *&* 16. *p.* 120. *seqq.* BONIFAC. *Hist. lud. L.* V. *c.* 18. PIGNOR. *Symb. Epist. Ep.* I. *p.* I. *seqq. & Auctor Anonymus libelli de annulor. aur. orig. & usu. Lips.* 1614. Ut vero ex hac Augusti, quam diximus, liberalitate illud manserit, quod hodieque

Docto-

Doctores Medicinæ annulo aureo induantur, ceu *a* REJES *in Elyſ. juc. quæſt. camp. Q. 6.* arbitratur, mihi certe non fit credibile. Quamvis autem, ut in viam redeamus, Medicos Augusti ætate honorificentiſſime habitos eſſe, ex iis, quæ hactenus narravimus, abunde perſpiciatur; ſunt tamen, qui VIRGILIUM (Poëtam illum huic Principi adeo adamatum, v. PLIN. *H. N. L.* VII. *c.* 30.) Medicis *Æneid. L.* XII. *v.* 396. *ſeq.*

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi,
Maluit, & mutas agitare inglorius artes,

convicium ſcripſiſſe exiſtimant. v. BOEKELM. *in Med. Rom. ſerv.* §. 14. *p.* 42. At, quum id, tum, quoniam Antonio Muſa nihil doctius, nihil ſibi carius aut jucundius fuiſſe in catalectis teſtatur, v. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 68. tum, quoniam ipſe, ſi non Medicinæ, naturalis tamen ſcientiæ haud rudis fuiſſe videtur, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 214. *ſeqq.* parum fiat probabile; eapropter mire in exponendo iſto loco ſe torſerunt Interpretes. Sunt, qui per *mutas artes* Medicinam aulicorum agyrtarum & verſipellium medicaſtrorum intelligunt, v. REINHARDI *Theatr. prudent. eleg. ad Lipſii Polit. L.* III. *c.* 5. §. 2. *not.* 1. *Part.* 1. *p.* 1397. Sunt, qui, illud ex *Anthol. Epigr. Græc. L.* II.

Ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος,

Medicus garrulus ægrotanti iterum morbus,

huc referentes, Poëtæ verba ita capiunt, ac ſi Medicis ſilentium, & ne garrulitate ægrotis aures obtunderent, commendare voluerit, v. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 19. *p.* 192. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 415. *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 7. Sunt, qui τὸ ἀπέχειν Medicorum iis innui cenſent, v. *a* REJES *l. c.* alii Chirurgiam deſignari putant,

v. SERV.

v. SERV. *ad h. l.* alii denique ad Medicinam empiricam ea trahunt, v. CERDA *ad h. l.* KIPPING. *Antiq. Rom. L.* 1. *c.* 1. *p.* 59. quæ tamen interpretatio, non magis ac priores, vero est similis, quum empiria, seu peritia, inter præcipuas Medici olim esset laudes. Exemplo sit illud apud MANUT. *in Orthogr. p.* 465. *N.* 6. & GRUTER. *Inscr. T.* 1. *p.* DCXXXIV. *Inscr.* 4. *Consummatæ peritiæ Medici* elogium. Ipsa quoque *Cel.* SCHULZII *in Progr. de artibus mutis* sententia, Virgilium ad incubationes in fanis Æsculapii respexisse, nisi Maronem prolepsi Poëtis familiari usum esse dicas, quædam adjuncta videtur habere incommoda, quandoquidem supra §. XV. præeunte Meibomio, suspicati sumus, illi post Trojanum demum bellum inter Cœlites locum datum esse. Ego quidem, modo recte judico, Poëtam *mutas artes* vocasse credo Medicinam Magicam per carmina, quam & Æsculapio & Heroibus Trojanis usitatam fuisse §. XV. & XVII. observatum est, quæque Virgilii ævo minime ab usu recesserat. Testis HORAT. *L.* 1. *Epist.* 1. *v.* 34. *seq.*

Sunt verba & voces, *quibus hunc lenire dolorem*
Possis, & magnam morbi depellere partem,

ubi recte TORRENT. *in Comm.* per *voces* ἐπῳδὰς intelligit, quum Latinis *carmina* & *voces* æque synonyma sint, ac Græcis ᾄδειν & λέγειν. v. FABR. *not. ad Anacr. Od.* 1. BOS *Anim. in Script. Gr. c.* 18. *p.* 75. *Mutas* autem artes has Poëtam vocare puto, quod carmina ista Medica non clara voce, sed per susurros, recitarentur. Japis denique ei *inglorius* audit, quia Romani castra primam ad gloriam viam esse existimabant, ceu §. XXI. monuisse memini. Ut finem faciam, addo locum plane parallelum *Ejusdem* VIRGIL. *Æneid. L.* VII. *v.* 757.

Neque eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsita in montibus herba,

ubi

ubi Idem Medicinam magicam per herbas & carmina conjungit, ut adeo non Medicinam, sed magicam illam curandi rationem ob oculos habuerit. Neque enim Poëta in artem, quam Augustus faciebat maximi, invectus esse recte existimabitur.

§. XXVIII.

Sub Tiberii Principatu, seu potius Dominatu, asperiora Medicorum fata fuisse, facile sibi persuadebit, qui illum istorum artes, atque eos, qui post tricesimum annum ad cognoscenda valetudini suæ utilia aut noxia alieno egerent consilio, eludere solitum esse, ex TACITI *Annal. L.* VI. *c.* 46. intelliget. Sed, ut erat hic in omni vita varius, atque aliud ore promtum, aliud pectore habebat reconditum, v. SUID. *voce:* Τιβέριος *T.* III. *p.* 465. & post Germanici mortem totam mutabat indolem, v. DIO CASS. *L.* LIII. OISEL. *Thes. select. Numism. Tab.* LXIII. *p.* 360. ita vix mirum, PLUTARCHUM *in Opusc. Num seni gerenda sit Respubl. Varior. Opp. T.* III. *p.* 1422. his plane dissimilia narrare, dum ait, Cæsari huic in ore fuisse; *sexagenario non turpe esse Medico manum porrigere.* Ne dicam, TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 158. ex Galeno perhibere, ab illo ipso Medicinam quandam inventam esse; illud tamen auctoritate TACITI *Ann. L.* VI. *c.* 50. certius est, Chariclem, qui non quidem ejus regebat valetudinem, consilii tamen præbebat copiam, ipsi amicum & familiarem fuisse. v. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 107. *seq.* Quin Eudemum *Idem* TACIT. *Ann. L.* IV. *c.* 3. amicum & Medicum Liviæ, (vz. Germanici sororis, Drusi uxoris,) & frequentem secretis fuisse narrat, cui vero adulterii cum illa commissi crimen objicit PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. Quam utilis autem ars illa hoc & proxime sequente ævo rei familiari fuerit, PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. memorat. En ipsius verba: *Multos*, inquit, *prætereo Medicos, celeberrimosque ex iis Cassios, Calpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios. CCL. H-S. annua mercede iis fuere apud Principes. Q. vero Stertinius imputavit Principibus, quod H-S. quingenis annuis conten-*

tus esset: sexcena enim sibi quæstu urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Calculum horum insignium honorariorum ex BUDÆI *de Asse libris* ponit TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.*405. aliter FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 47. qui *ibid. p.* 107. & 109. de Cassiis & Calpitano differit. Claudio rerum potito, eo magis Medicis suus constitit honos, quo magis ille cum adversa haud raro conflictabatur valetudine, quæ ipsa forsan ei incitamento fuit, ut, laudando in illaudato cetera Principe exemplo, sanciret, servos ægrotantes domo ejectos, si convaluissent, liberos futuros. v. SUID. *voce:* Κλαύδι@. *T.* II. *p.* 321. *seq.* Xenophontis autem Coi, Medici, tantum dedit precibus, ut hujus patriæ tributorum largiretur immunitatem: v. TACIT. *Annal. L.* XII. *c.* 61. at, inter ejus uxorem Messalinam, & Vectium Valentem, Medicum, adeo arctam intercessisse oportet consuetudinem, ut violati tori suspecti fuerint. v. PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. & TACIT. *Annal. L.* XI. *c.* 30. *seq.* & *c.* 35. Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 64. & 437. Nec libertos, quos habebat hanc artem facientes, vili apud eum loco fuisse, ex illo in GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* DLXXXIV. *Inscr.* 4. Ti. Claudii Hymenæi, Aug. Lib. Medici a Bibliothecis elogio colligo. Quum vero ejus Principatu incognita fœda lues irrueret, v. PLIN. *H. N. L.* XXVI. *c.* 1. haud dubia est conjectura, Medicorum ejus ævi Romæ non exiguum fuisse quæstum. Iterum PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. testem advoco. Ita ille: *Par fratri ejus* (vz. Q. Stertinii) *merces a Claudio Cæsare infusa est: censusque, quanquam exhausti operibus Neapoli exornata, heredi H-S. CCC. reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius* (is, puta, cui Athenæ fuit cognomen, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 405.) *solus.* Nonnullis interjectis pergit: *Alcondi, sive malis Archontio, vulnerum Medico H-S. C. damnato ademit Claudius Princeps. Eidemque in Gallia exulanti, & deinde restituto, acquisitum non minus intra paucos annos.* Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 405. Quid vero de illo, ipso patre Domitio apud SUETON. *in Ner. c.* 6. teste, malo publico nato Cæsare dicendum erit? Certe, quam-

quamvis, illum Medicis ſæpius carnificum inſtar uſum eſſe, ſupra C. I. §. IV. jam dictum ſit, quum tamen eum poſt reditum e Græcia omnibus fere Græcis ſtudiis delectatum eſſe conſtet, v. SUID. *voce:* Νέρων. *T.* II. *p.* 612. & SUETON. *in Ner. c.* 25. parum abeſt, quin TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 159. alias non una vice hypotheſi verniliter famulanti, aſſenſum præbeam, medicinas ab Ægineta & Plinio Valeriano Neroni cuidam adſcriptas, quum vix alterius hujus nominis meminerint antiqui Scriptores, Claudium noſtrum auctorem agnoſcere. Firmat conjecturam, quod haud raro in nummis Apollinis habitu conſpiciatur, & in ipſo ſigillo Marſyam ab Apolline victum & vinctum expreſſerit, v. *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 196. quo non ſolum, quod OISEL. *in Theſ. ſelect. Num. Tab.* XXXVIII. *p.* 180. *ſeq.* placet, ſtudium, quo delectabatur, citharæ, ſed & affectum in Medicinam declaraſſe videtur. Suadent illud bina ejus Numismata, quæ *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 105. *& p.* 187. exhibet, in quorum altero ſacrificium Æſculapii, in altero vero Neronis, & in averſa parte Apollinis, caput cum Inſcr. ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ, *Apollo Conſervator*, videre licet. Novum huic ſententiæ inde etiam accedere exiſtimo momentum, quod PLIN. *H. N. L.* XXV. *c.* 2. Evacem, Arabum Regem, de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſiſſe perhibeat: niſi hanc clauſulam ſpuriam eſſe cum SALMAS. *in Proleg. ad Exerc. de homon. hyl. iatr. p.* 15. & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 154. *ſeq.* aſſerere malis. Quicquid etiam placuerit, vel Andromachi Cretenſis, ejus Archiatri, tamen exemplo, quanta apud illum Medici fuerint gratia, manifeſtum eſt. Hujus librorum de Theriaca, quos Græcis verſibus ad Cæſarem ſcripſit, initium, a TZETZ. *Chil.* XII. *Hiſt.* 397. ſervatum, ejus rei luculentum præbet teſtimonium. Incipit:

Κλῦθι πολυθρονίου βελαρὸν σθένος ἀντιδότοιο
Καῖσαρ ἀδειμάντου δῶτορ ἐλευθερίης.

Antidotum multis insignem viribus audi
Cæsar, qui nobis otia tuta facis.

quæ nitida magis, ac sincera, Jul. Mart. Rotæ in FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 60. quam, si vacat, conferas, ejus est interpretatio. Conf. MENAG. *Am. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 225. Sed & aliorum ista tempestate conspicua fuit auctoritas. De Thessalo, Trallibus oriundo, qui cuncta majorum delebat placita, & in monumento suo in Appia via se ἰατρονίκην, seu Medicorum victorem, inscripserat, PLINIUS *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. auctor est, nullius histrionum equarumque trigarii comitatiorem egressum in publico fuisse. Statium præterea Annæum L. A. Senecæ Philosopho, equestris ordinis Viro, quique non infimos gessit magistratus, perquam amicum & charum fuisse ex TACIT. *Annal. L.* XV. *c.* 64. discimus. Quam splendida vero hoc ævo Medicis largita sint honoraria, denuo PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. loquatur. Postquam de Thessalo, quem diximus, Tralliano disseruisset, addit: *Crinas Massiliensis arte geminata &c. auctoritate eum præcessit. Nuperque centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnibus quoque aliis pene non minori summa exstructis. Hi regebant fata, cum repente civitatem Charmis ex eadem Massilia invasit.* De eo mox adjicit: *Notum est ab eodem Charmide unum ægrum ex provincialibus H-S. ducentis conductum.* Conf. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 405.

§. XXIX.

Sed satis de Medicorum conditione, istis humani generis portentis rerum summam tenentibus, dictum: proximum est, ut, quæ sub illo optimis comparando Cæsare, Vespasiano, & amore isto atque deliciis Orbis, Tito, quorum clementiam SUID. *voce.* Βεσπασιανός. *T.* I. *p.* 430. *& voce:* Τῖτος. *T.* III. *p.* 480. tantopere extollit, fuerit, dispiciatur. His Romanam Rempublicam regentibus quantum Medicis constiterit pretium, vel ex eo cognoscitur, quod Plinius Secundus Senior, cujus in hac arte scientiam de historia naturali libri

libri ſatis produnt, (quem HIERON. *in Chron. Euſeb. N.* 2125. & NEAND. *de Med. nat. p.* 80. cum Juniore ſtrenue, ſed perperam, commiſcent) non ſolum equeſtribus militiis, quod SUETON. *in ejus vita* ait, induſtrie functus ſit, & procurationes obierit ampliſſimas, ſed & ipſi claſſi Romanæ fuerit præfectus: quacum ut Veſuvium, ad indagandam incendii ejus cauſam, accedebat, miſera periit morte. v. PLINII *Jun. Epiſt. L.* III. *Ep.* 5. *& L.* VI. *Ep.* 16. Quin Veſpaſiani circa ſalutarem artem cura non minus exinde elucеſcit, quod eum primum, ni fallor, Medicis familiaribus quendam præfeciſſe legamus. Huc enim illum, qui apud GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* DLXXXI. *Inſcr.* 7. exſtat T. Fl. Pæderotis Aug. Lib. Alcimiani Superpoſiti Medicorum, titulum refero. Quid quod univerſo Medicorum & Philoſophorum ordini, ne hoſpitem reciperent, immunitatem indulſit. v. *l. ult.* §. *ult. ff. de mun. & hon.* Unde, quod aliud agendo indicaſſe ſufficiat, memoria lapſum eſſe puto PETAV. *in Rat. Temp. P.* I. *L.* V. *c.* 4. *p.* 191. dum Philoſophos ab hoc Cæſare urbe ejectos eſſe perhibet, quod tamen Domitiani, teſte SUETON. *in Domit. c.* 10. & SUIDA, *voce:* Δομετιανός. *T.* I. *p.* 616. fuit flagitium. Sub Trajano porro, qui *Optimi Principis*, injuria tamen, ceu BARTELS *in Diſſ. de Trajano non Optimo*, contra, quam SUID. *voce:* Τραϊανός *T.* IV. *p.* 496. cenſet, a Senatu meruit encomium, v. OISEL. *Theſ. ſelect. Num. Tab.* XXIII. *p.* 103. lauta itidem ſalutaris artis fuere fata. Ne in Galeni, Scaligeri judicio Medicorum Pontificis Maximi, qui hoc circiter ævo cœpit inclareſcere, & ſub Marco, Commodo & Pertinace Romæ vixit, v. SUID. *voce:* Γαληνός. *T.* I. *p.* 465. laudes (cui enim non dictus Hylas?) longius excurram: illud tamen ſiluiſſe nefas foret, ei ob prædictionum eventu firmatam veritatem παραδοξολόγου, quemadmodum ob feliciſſimos in medendo ſucceſſus παραδοξοποιοῦ nomen factum eſſe. Taceo, tantam cum præcipuis & magnæ auctoritatis, tum e Senatorio Ordine, tum militaribus, Viris moviſſe admirationem, ut Boëthius & Severus

(qui postea ad Imperium evectus ei pristinam reddidit dignitatem) illum reluctantem & invitum licet Antonino, qui istum solum γνήσιον ἰατρὸν καὶ φιλόσοφον, *genuinum Medicum & Philosophum*, repetitis elogiis nuncupavit, indicare & commendare decreverint: illud tantum adjecisse contentus, sub Commodo Galenum nostrum summos honores & statuam consecutum, a quibusdam etiam pro Deo cultum esse, teste EUSEB. *H. E. L.* v. *c. ult.* Conf. GOTHOFR. *ad l.* 5. *Cod. de Prof. & Med.* NEAND. *de Med. nat. p.*85. *seqq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 69. *seqq.* FABRIC. *Bibl. Gr. L.* IV. *c.* 17. *Vol.* III. *p.* 510. *L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 163. *seqq.* Prius vero, quam ad alia secedam tempora, non possum, quin egregio Trajani in Medicos affectus testimonio, quod SPON *dans les Rech. Cur. d'Antiq. Diss.* XXVII. *p.* 431. & REINES. *Epist. ad Hoffm. & Rupert. Ep.* XLI. *p.* 328. exhibent, *Hic* vero *Ep.* XLIV. *p.* 394. *seqq.* Commentario illustrat, adscribam. Ita autem in illo monumento legitur:

C. CALPURNIUS. ASCLEPIADES.
PRUSA. AD. OLYMPUM. MEDICUS.
PARENTIBUS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAJANO.
IMPETRAVIT.
NATUS. III. NONAS. MARTIAS.
DOMITIANO. XIII. COS.
EODEM. DIE. QUO. ET. UXOR. EJUS.
VERONIA. CHELIDON.
CUM. QUA. VIXIT. AN. LI.
STUDIORUM. ET. MORUM. CAUSA.
PROBATUS. A. VIRIS. CLARISS.
ADSEDIT. MAGISTRATIBUS. POP. R.
ITA. UT. IN. ALIIS. ET. PROV. ASIA.
CUSTODIAR. IN. URNA.
JUDICUM.
VIXIT. AN. LXX.

En!

En! quantus Optimi Imperatoris in Medicum affectus! Nec tamen per *Civitates* VII. quod SPONIUS *l. c.* censet, *sept Villes*, sed jus civitatis septem urbium cum SCHACHER. *in Diss. de hon. Med.* §. 22. *p.* 40. intelligo. Nec magis, quæ denuo Sponii est liberalitas, beneficium hoc ad parentes & fratres etiam pertinuisse ex lapide isto colligi potest: quum dubio procul, ellipsi in monumentis familiari, H. M. F. vel H. M. P. *hoc monumentum fecit*, vel *posuit*, supplendum sit.

§. XXX.

Trajani vero Imperium excepit Adrianus, quem Medicis parum æquum fuisse justa suspicio est, ubi eum in extremo adhuc vitæ articulo, paullo mutatis Græcis senariis, quos habet TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 426. multos Medicos Regem sustulisse, ingeminasse, apud DION. CASS. *L.* LXIX. *p.* 797. legimus. Sed nec dum Medicorum caussam conclamatam putes. Nullum quippe erat studium, vel ad pacem, vel ad bellum, vel ad Regem, vel ad privatum spectans, quod non scire se Cæsar hic profiteretur, teste SUIDA, *voce:* Ἀδριανός. *T.* I. *p.* 57. & tantus Doctorum penes illum erat favor, ut eos quoque, *qui professioni suæ videbantur inhabiles, ditatos honoratosque dimiserit*, quæ SPARTIAN. *in Adr. c.* 16. verba sunt. At in Alexandriam, illam Medicinæ quasi Metropolim & patriam, plane singulari propendebat studio, ceu tum ex ejus nummis, in quibus toties Urbis hujus fit mentio, tum ex epistola, quæ apud VOPISC. *in Saturn.* legitur, qua se illi vetera privilegia reddidisse & nova addidisse Severiano Consuli significat, tum denique SPARTIAN. *in Adr. c.* 19. testimonio, qui eum apud Alexandriam in Museo multas quæstiones proposuisse, & propositas solvisse, narrat, perspicuum est. v. OISEL. *Thes. sel. Numism. Tab.* XXXIV. *p.* 150. *seq.* Nec minori Athenas complectebatur benevolentia, in quas adeo effusa ejus erat gratia, ut dubitandum videretur, num Thesei magis an Adriani Urbs esset. v. PAUSAN. *in Att. p.* 32. Et id quidem innuit Græca illa

illa inſcriptio, quam ex arcu marmoreo, qui Athenis fuit, exhibet GRUTER. *Inſcr. T.* II. *p.* MLXXVIII. *Inſcr.* I. Legitur ab una facie:

ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΙ ΘΗΣΕΩΣ Η ΠΡΙΝ ΠΟΛΙΣ

Ab altera vero:

ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ⲔΟΥΧΙ ΘΗΣΕΩΣ ΠΟΛΙΣ

Quin Cæſarem hunc Athenienſium ſtudia moresque hauſiſſe non ſermone tantum, ſed & cœteris diſciplinis, in iisque medendi ſcientia AUR. VICTOR *in Hiſt. Aug. Epit. c.* 14. luculentiſſimus auctor eſt, ut adeo magis TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 160. ejus in arte ſalutari peritiam laudanti, quam CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* XVII. *p.* 236. illius curioſam eruditionem ultra Philologica & Grammatica non porrexiſſe contendenti, ſuffragandum eſſe cenſeam. Quæ cum ita ſe habeant, nemo mirabitur, Cæſarem artium, quas adamabat, peritos, Grammaticos puta, Oratores, Medicos & Philoſophos ab inhoſpitatione aut immunes pronunciaſſe, aut potius Veſpaſiani beneficium confirmaſſe. v. *l. ult. §. ult. ff. de muner. & hon.* Sed videtur Adrianus ſtudiorum Medicorum amorem in Antoninum, qui illum ſequutus eſt, Pium, propagaſſe. Suadere id cenſeo Græcæ, quam ſupra circa finem §. XV. ex GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* LXVIII. *Inſcr.* 5. exhibuimus, Æſculapio & Hygiæ ſacræ inſcriptionis averſum latus, quod, ut eam integram habeas, jam lubet adjicere. Ita autem in illo eſt:

ΑΙΛΙΩΙ ΑΔΡΙΑΝΩΙ

ΑΝΤΩΝΕΙΝΩΙ

ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΕΥΣΕΒΕΙ

Π Π

Juvat

Juvat conjecturam, quod in tabula illa, cujus plus ſimplici vice jam feci mentionem, quamque in Tiberino Æſculapii templo ſtetiſſe credit GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* LXXI. *Inſcr.* I. narretur, Populum cœco cuidam Cajo, redditis ei in iſto fano luminibus, congratulatum eſſe ΟΤΙ ΖΩΣΑΙ ΑΡΕΤΑΙ ΕΓΕΝΟΝΤΟ ΕΠΙ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΗΜΩΝ ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΥ, *quod grandia miracula fierent ſub Imperatore noſtro Antonino;* ut taceam, illum in nummis Apollinis habitum præ ſe ferentem conſpici. v. *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 188. Quid quod, non improbabile eſt, ab hujus quoque Cæſaris ævo illam Sec. IV. celeberrimam ἰατροσοφιςῶν ſcholam Alexandrinam cœpiſſe efflorеſcere. v. CONRING. *de Hermet. Med. c.* 9. *&* *Antiqq. Acad. Diſſ.* I. *p.* 26. Nonne enim Alexandrinos excitatos putes, quum viderent, eum Athenis dediſſe πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλȣς, ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας μισθὸν ἐτήσιον φέροντας, *cunctis hominibus Doctores, ob doctrinam* omnium diſciplinarum *annuam mercedem ferentes*, ceu Xiphilinus ex Dione apud CONRING. *Ant. Acad. Diſſ.* I. *p.* 19. teſtis eſt. Conf. KRIEGK *Diatr. de peregrinat. Rom. Acad.* §. 31. *p.* 29. *ſeq.* Et iſtud quidem beneficium, atque ea, quæ modo dicta, me reddunt incertum; num recte Cluverus & eum ſequutus KRIEGK *d. Diſſ.* §. 69. *p.* 69. *novas Athenas*, in quibus Antoninus noſter apud GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* CLXXVII. *Inſcr.* 4. aquæductum ab Hadriano cœptum conſummaſſe dicitur, de Mediolano interpretati ſint. Non tamen ad ſolos Athenienſes diſciplinarum Magiſtros Pii noſtri pertigit cura, ſed toti Orbi Romano proſpexit, dum immunitatem a muneribus, a tutela & cura, Medicis, iis vz. qui intra numerum a Se (quippe αἱρέσεις quaſdam, id eſt, conditiones; v. GOTHOFRED. *ad l.* I. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 24. appoſuit) præfinitum forent, ſi non primus indulſit, tamen confirmavit. v. *l.* 6. §. I. 2. *& ſeqq. ff. de Excuſat. l.* I. *Cod. de Prof. & Med.* Judicium autem, quinam in numerum recipiendi eſſent, ut certi de probitate morum & artis peritia ipſi eligerent, quibus ſe liberosque ſuos committerent,

rent, Ordini & possessoribus cujusque civitatis, quibus & eosdem (modo vulgatæ *l. 6. §. 6. ff. de Excus.* lectioni fides est) reprobandi indulsit licentiam, concessit. v. *l.* 6. §. 4. *&* 6. *ff. de Excusat.* & *l.* 1. *ff. de decr. ab ord. fac.* An vero ipse Medicinam fecerit, & hic ille Titus Imperator sit, cujus malagma Galenus memorat, meum non erit judicare. v. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 161.

§. XXXI.

Antoninum vero Philosophum, (adeo bonum Principem, ut Severus omnes Cæsares, quemadmodum Augusti dicebantur, ab hoc & ejus antecessore Antoninos vocare in animo habuerit. v. SPARTIAN. *in Ant. Get. c.* 2. *& in Opil. Macr. c.* 3.) non magis aversa in Medicos mente fuisse, haud uno colligo argumento. Præter enim Philosophiæ, quæ impubes jam sequebatur, studia, v. CAPITOLIN. *in ej. vit. c.* 2. magnam morum illum inter & Adrianum oportet fuisse similitudinem, quum hunc sæpe de Imperii hæreditate in eum conferenda cogitasse scribat SUIDAS, *voce:* Μάρκ@. *T.* 11. *p.* 501. Accedit, quod ipsum æque ac Commodum Æsculapio sacrificantem in nummis cernere liceat. v. *du* CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 106. *&* 107. Hic enim, licet AURELIO VICT. *in Hist. Rom. c.* 17. Deorum atque hominum hostis vocatus, a VOPISCO vero *in Tacit. c.* 6. prodigia illa Nerones, Heliogabali & Commodi conjuncti sint; quin, quamvis Philisco Sophistæ immunitatem roganti responderit, neque ipsi neque ulli alii docentium eam indultam iri, teste PHILOSTR. *de vit. Sophist. L.* II. *c.* 30. *p.* 621. *seqq.* quemadmodum tamen hoc privato forsan in illum factum est odio, v. GOTHOFR. *ad l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 24. ita Medicis a patre Antonino Pio concessa privilegia nequissimus filius sarta tectaque esse jussit. v. *l.* 6. §. 8. *ff. de Excusat.* Septimium Severum & Antoninum Caracallam Medicorum non adeo curam habuisse, tum ex Annalium de eorum laudibus silentio, tum exinde, quod HERODIAN. *L.* IV. *c.* 8. hunc, ut

Æscu-

Æſculapii curationibus uteretur, Pergamum profectum eſſe, ibique ſomnia, quamdiu voluerit, captaſſe narret, vero valde eſt ſimile. Unica tamen illorum circa Medicos videtur exſtare ſanctio in *l. 6. §. 6. ff. de Excuſat.* Ita enim in Florentino ſeſe habet: *Reprobari poſſe Medicum a Republica, quamvis ſemel probatus ſit, Divus Magnus Antoninus cum patre reſcripſit.* Divum autem hunc Magnum Antoninum cum patre Caracallam & Severum indicare, oſtendit AUGUSTIN. *ad Modeſtin. p.* 197. *&* 205. *ſeq.* Excipiebat hos illa Reipubl. peſtis Heliogabalus; quo e vivis ſublato ſalvam omnes credebant rem eſſe, quia ſalvus Alexander. Hunc enim congiariis Populi animos ſibi conciliaſſe, ex numiſmatibus, in quibus *Liberalitas Auguſti* III. laudatur, apparet, v. du CHOUL *de la Relig. des anc. Rom. p.* 140. Quum vero ejus mater Mammæa omnium diſciplinarum Magiſtros clam accerſeret, v. SUID. *voce:* Ἀλέξανδρος ὁ Μαμμαίας. *T.* 1. *p.* 104. hi quoque ejus beneficentiæ fiebant participes, & ita illorum capiebatur amore, ut iis auditoria & ſalaria decerneret. v. CONRING. *Antiqq. Acad. Diſſ.* 1. *p.* 30. *Medicus* autem *ſub eo unus Palatinus ſalarium accepit; ceteri omnes, qui usque ad ſex fuerunt; annonas binas, aut ternas, accipiebant*, teſte LAMPRID. *in ej. vit. c.* 42. Quæ Maximino & ſeniori Gordiano in eos, quorum cauſſa hæc ſcribimus, mens fuerit, non liquet. Juniori vero Gordiano Præceptorem Q. Serenum Sammonicum, æque ac Alexandro Severo jam fuerat, longe acceptiſſimum fuiſſe, atque hunc diſcipulo quondam ſuo Bibliothecam, cujus libri ad ſexaginta duo millia cenſebantur, reliquiſſe, conſtat. v. CAPITOLIN. *in Gord. c.* 18. SPARTIAN. *in Get. c.* 5. *& in Carac. c.* 4. Mitto cæteros, quos per turbulenta illa tempora militaris auræ favor fluctuanti Imperio admovit, ut ad illum ab Ethnicis inter laudatiſſimos Principes numeratum, ab aliis ob crudelitatem taxatum, Aurelianum deveniam. Hunc, quum ægrotaret, nunquam advocaſſe Medicum, ſed ſe ipſum inedia præcipue curaſſe, VOPISC. *in ej. vit. c.* 50. auctor

est. Medicis tamen illum stipendia largitum esse, recte ex *Eod.* VOPISC. *ibid. c.* 7. mihi colligere videor. Ita enim illibi Tribuno scribit: *A Medicis* (milites) *gratis curentur.* Quo vero pacto curam gratuitam potuisset exigere, nisi salarium habuissent ex publico? Nec minus, ut huic ordini prospicerent, Diocletianus & Maximianus Impp. erant solliciti. Neque enim ille Medicinæ odio, sed non alia mente, Ægyptiorum de Chemia auri & argenti libros, quam ne ex illa arte opes, & ex opibus fiducia ad excutiendum jugum Romanum iis suppeterent, igne delevit. v. SUID. *voce:* Διοκλητιανός. *T.* I. *p.* 595. Manifestum favoris eorum in Aurelium Archiatrum documentum reperimus in *l.* 2. *Cod. quib. non obj. long. temp. præscr.* sancientes, contra eum, utpote ob medendi curam in illorum Comitatu absentem, præscriptioni locum non esse. Deinde vero, publicæ utilitatis, quæ suprema boni Principis lex est, rationem habentes, Antonini Pii constitutionem ita circumscripsere, ne Medici, etiamsi intra numerum præstitutum essent, ordine invito immunitatem haberent. v. *l.* 5. *Cod. de Prof. & Med.* Quis autem ille *ordo*, atque num *invitos* an *invito* in *d. l.* legendum sit, infra disputabitur.

§. XXXII.

Constantinus M. inter Christianos Imperatores ille quasi Apostolus, (quem Christiani tantum schema simulasse Scaligeri nunquam mihi persuadebunt fortuita somnia) uti bonas artes & literarum præcipue studia indulgentissime nutribat, v. GOTHOFR. *ad l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 23. *seq.* & ex Medicis quoque Aëtium Amydenum, quod pauperum curam gratis susciperet, singulari complectebatur affectu, v. NEAND. *de Med. nat. p.* 97. ita in universum horum ordinem eximia ejus erat benevolentia. Luculentum hujus favoris præbet testimonium triga legum, quarum prior, quæ est *l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Profess.* ita sancit: *Medicos &c. immunes esse, cum rebus quas in Civitatibus suis possident, præcipimus: & honoribus fungi: In jus etiam*

vocari

vocari eos, vel pati injuriam prohibemus: ita, ut si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a Magistratibus, vel Quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc pœnam sustineant. Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debeat a suo domino verberari, coram eo cui fecerit injuriam: vel si dominus consensit, viginti millia nummorum Fisco inferat, servo pro pignore, donec summa hæc exsolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & salaria reddi præcipimus. Quoniam gravissimis dignitatibus vel parentes, vel domini, vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus. Altera, quæ habetur in *l.* 2. *Cod. Theod. eod.* in hanc concepta est sententiam: *Archiatri omnes, & ex Archiatris, ab universis muneribus Curialium, Senatorum, & Comitum, Perfectissimorumque muneribus, & obsequiis, quæ administratione perfunctis sæpe mandantur: a præstationibus quoque publicis liberi immunesque permaneant: nec ad ullam auri & argenti, & equorum præstationem vocentur, quæ forte prædictis Ordinibus, aut Dignitatibus adscribuntur. Hujus autem indulgentiam Sanctionis, ad filios quoque eorum statuimus pervenire.* Ultima denique eas, quas anteriores Principes in Medicorum favorem condiderant leges, denuo in *l.* 3. *Cod. Theod. eod.* confirmat, cujus hæc verba sunt: *Beneficia Divorum retro Principum confirmantes, Medicos, & Professores litterarum ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare præcipimus, nec ad militiam comprehendi, neque hospites recipere, nec ullo fungi munere, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant.* Atque ex his quidem tribus Constantini M. legibus, emblematibus Triboniani interpolatis & conflatis, unica, quæ *l.* 6. *Cod. Justin. de Prof. & Med.* est, emersit. Quamvis vero ita satis prolixa hujus Imp. in Medicorum ordinem appareat voluntas, non tamen esse puto, cur TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 162. denuo hypothesi egregie obnoxio, subscribendum, & ipsum Imp. artem hanc calluisse asserendum esse censeam: præcipue, quum Geoponica illa, seu Lib. xx. de Agricultura, quibus id probare contendit, ne ejus quidem esse, sed Constantini Porphyrogennetæ jussu

collecta videri, solide, ut mos ipsi erat, evicerit FABRIC. *Bibl. Gr. L.* v. *c.* 5. §. 12. *Vol.* VI. *p.* 500. *seqq.* Non minore autem, ac hic, quem modo diximus, Religionis Christianæ vindex, alter, infensissimus ejusdem hostis, Julianus Parabates, Medicis addictus erat studio. Quemadmodum propensum hunc in eos animum non uno declaravit argumento, ita eo quoque illum facit testatum, dum Æsculapii, quæ in se credebat esse, merita magnifice apud CYRILL. ALEX. *contra Julian. L.* VII. *p.* 235. extollit, inquiens: Ἰᾶται ἡμῶν Ἀσκληπιὸς τὰ σώματα κ. τ. λ. Τέχνη ἰατρικὴ ἐξ Ἀσκληπιοῦ, οὗ πανταχοῦ γῆς ἐστὶ χρηστήρια, ἃ δίδωσιν ἡμῖν ὁ Θεὸς μεταλαγχάνειν διηνεκῶς. ἐμὲ γοῦν ἰάσατο πολλάκις Ἀσκληπιὸς κάμνοντα, ὑπαγορεύσας φάρμακα. καὶ τούτων μάρτυς ἐστὶν ὁ Ζεύς. *Sanat corpora nostra Æsculapius &c. Ars medica ab Æsculapio profecta est, cujus ubique terrarum sunt commoda, quæ nobis perpetuo fruenda largitur ille Deus. Quippe me sæpius ægrum sanavit Æsculapius, indicatis remediis. Atque testis horum est Jupiter.* Quin eandem, ni forsan majorem, Imperatoris hujus erga Serapidem fuisse venerationem, tum binæ ad Alexandrinos indicant Epistolæ, quibus Deastri hujus Religionem commendat, & Georgium, qui ejus templum devastaverat, exagitat, atque, ne Christianæ fidei nomen dent, iis auctor est, v. JULIANI *Epist.* X. & LI. *Opp. p.* 378. *seq.* & 432. *seq.* tum mandatum, quo munimenta vetera & avita ad Serapidem pertinentia restitui jussit, v. SOZOM. *H. E. L.* v. *c.* 3. tum denique illud, quod nummi, si non omnes, plerique certe, in quibus Serapidis fit mentio, Apostatæ nostri præ se ferant vultum, satis persuadent. v. SPON *Recherch. Cur. d'Antiq. Diss.* VI. *p.* 113. OISEL. *Thes. select. Numism. Tab.* XLIII. *p.* 220. Verum enim vero non Deos solum Medicæ artis præsides gnaviter colebat, sed ipsi quoque Medici apud Eum maxima erant in laude & gratia. Zenonem sane Cyprium a Georgio, & iis, qui hujus favebant partibus, urbe ejectum ob artis istius peritiam Alexandriam, datis ad eum literis, ita revocavit, ut merito dubitetur, num illum restituere

tuere voluerit, an laudare. v. JULIANI *Ep.* XLV. *Opp. p.* 426. Hujus vero discipulo, Oribasio Sardiano, cujus consiliis ad Imperium erat evectus, v. EUNAP. *de vit. Sophistar. p.* 180. quam familiariter sit usus, itidem epistola ad istum perscripta luculente testatur. v. JULIANI *Ep.* XVII. *Opp. p.* 384. *seqq.* Quin Imperatorem amicum hunc suum Constantinopolitanum Quæstorem constituisse, SUIDÆ, *in voce:* Ὀρειβάσιος. *T.* II. *p.* 711. scimus auctoritate: quemadmodum ex Eunapio discimus, illum, succedentium Principum invidia bonis exutum, atque ad barbaros in exilium pulsum, ab his pene Dei instar cultum esse. Neque hanc ejus in singulos homines, sed in universam artem, benignam esse voluntatem, splendida ea significavit Epistola, quæ in *l.* 4. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* Latine legitur, qua, postea quam nonnulla in artis Medicæ laudem dixisset, privilegia, quæ forsan Constantius imminutum iverat, ceu GOTHOFR. *ad d. l.* 4. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 30. suspicatur, denuo stabilivit. Ait vero: Καὶ γὰρ κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λογισμὸν, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν, τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοιποὺς χρόνους διάγειν. *Quamobrem sicut æquitatis ratio postulat, nos superiorum Regum auctoritatem & vocem sequuti, pro nostra humanitate jubemus vos Senatoriis muneribus liberos in posterum vivere.* v. JULIANI *Ep.* XXV. *Opp. p.* 398. Quid quod & alteram hujus Imp. sanctionem, in *l.* 5. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* qua vetat, ut nemo ad docendum prosiliret, nisi judicio Ordinis probatus decretum Curialium, Optimorum conspirante consensu, meritus esset, atque ut hoc decretum ad se tractandum referretur, jubet, ad Medicos etiam pertinuisse, haud improbabile est. Videtur enim nulla alia istius fuisse ratio, quam ut ita, dum docentium approbationem a suo pendere volebat nutu, atque illi ejus stabant cadebantque judicio, Christianis addictos sacris a docendi munere posset removere, & Religionem, quam ejurarat, per cuniculos quasi subvertere: Illud vero institutum eum æque contra Medicos, ac Rhetores & Sophistas, Christia-

Christianos ursisse, testis est CHRYSOSTOM. *in Homil.* XL. *in Juventin. & Maximin.* Conf. omnino de his Apostatæ nostri technis pererudite differens GOTHOFR. *ad d. l.* 5. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 31. *seq.* cui jungatur, quæ sub *Ill. Cancell. de* LUDEWIG præsidio prodiit, HOIERMANN. *Diss. de Edicto Juliani contra Philos. Christ.* Quin nihil aliud, quam id, quod modo indicavimus, Imperatorem hunc ea lege allaborasse perficere, tum inde patescit, quod in *l.* 6. *Cod. Theod. h. t.* quam Valentinianus cum Valente & Gratiano haud longe post tulit, *erudiendis adolescentibus, vita pariter & facundia, idonei vel ad novum instituendum Auditorium, vel ad repetendum intermissum* cohortentur, v. GOTHOFR. *ad. d. l. T.* v. *p.* 32. *seq.* tum eo confirmatur argumento, quod in *l.* 7. *Cod. Justin. de Prof. & Med.* quæ ex *d. l.* 5. *Cod. Theod.* nata est, sola probatio Ordinis judicio & decreto Curialium, non autem Imperatorius exigatur assensus.

§. XXXIII.

Apud Valentinianum, Valentem & Gratianum minime etiam extremo Medicos fuisse loco, eo minus subit mirari, quo disertius ex THEMIST. *Orat.* XV. *p.* 346. *seq.* constat, ipsum Valentinianum Philosophiæ delectatum esse studiis. Conf. GOTHOFR. *ad l.* 7. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 33. Vindicianus certe, Comes Archiatrorum, (cujus carmen illud de Medicina ad Valentinianum fertur esse, & exstat ad Eundem de nonnullis artis suæ experimentis epistola, qua in Ejus & posterorum suorum usum de observatione Medicinæ librum adornasse narrat, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 247. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 445. GOTHOFR. *ad l.* 12. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 44.) quantum gratia apud Principes polluerit, facile exinde est ad intelligendum, quod eum Vicarium alicujus diœceseos, & forsan per præfecturam Galliarum, fuisse, ex Inscriptione *l.* 9. *Cod. Theod. de Metall.* cognoscere liceat.

Conf.

Conf. GOTHOFR. *ad d. l. 9. T. III. p. 498.* Non tamen circa unum hunc hominem Augustorum occupata erat cura, sed universo Medicorum Ordini, & publicæ saluti, variis prospexere Constitutionibus, quarum priore, quæ in *l. 8. Cod. Theod. de Med. & Prof.* & inde derivata *l. 9. Cod. Justin. de Prof. & Med.* exstat, de Archiatrorum Urbis Romæ numero, commodis, mercedibus & subrogatione ita sancivere: *Exceptis Portus Syxti, Virginumque Vestalium, quot Regiones Urbis sunt, totidem constituantur Archiatri. Qui scientes annonaria sibi commoda a populi commodis,* (*ministrari* addit Tribonianus) *honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. Quod si huic Archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis, aut aliqua fortuna decerpserit, in ejus locum, non patrocinio Præpotentium, non gratia Judicantis, alius subrogetur, sed horum omnium fideli circumspectoque dilectu, qui & ipsorum consortio & Archiatriæ ipsius dignitate, & Nostro Judicio dignus habeatur: De cujus nomine referri ad nos protinus oportebit.* Sed & porro Iidem Augusti altera, quæ biennio post emanasse videtur, Epistola, & in *l. 9. Cod. Theod. de Med. & Prof.* & *l. 10. Cod. Justin. eod.* reperitur, amplius de Archiatrorum subrogatione, subrogatorum gradu & commodis edixere, Præfecto Urbi Olybrio rescribentes: *Si qui in Archiatri defuncti est locum promotionis meritis adgregandus, non ante eorum particeps fiat, quam primis qui in Ordine reperientur, septem, vel eo amplius, judicantibus idoneus adprobetur. Ita ut quicumque fuerit admissus, non ad priorum numerum statim veniat, sed eum ordinem consequatur, qui cœteris ad priora subvectis, ultimus poterit inveniri: Hisque annonarum compendia, quæ eorum sunt meritis dignitatique præstanda, Tua Sinceritas juxta dispositionem prius habitam faciat ministrari.* Haud diu vero post ab iisdem Principibus Medicis immunitates confirmatas legimus in *l. 10. Cod. Theod. de Med. & Prof.* cujus hæc est sententia: *Medicis, & Magistris Urbis Romæ sciant omnes immunitatem esse concessam; ita, ut*

etiam uxores eorum ab omni inquietudine, & a cæteris oneribus publicis vacent: eosdemque ad militiam minime comprehendi placeat; Sed nec hospites militares recipiant. His denique illud adjecere beneficium, ut Archiatri Palatini inter Adlectos censerentur, sive, ut, licet Senatoria dignitate ornarentur, a Senatoriis tamen muneribus, ut Comites Archiatrorum a sordidis, essent immunes. Ita enim eam in rem *l.* 12. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* pronunciat: *Archiatrorum, qui intra penetralia Regalis aulæ totius vitæ probitate, floruerunt, nulla dignitate sequatur expensa, neque eorum fatiget hæredes. Ab his etiam qui Comitivæ honore donati sunt, (ut consuetudo poscebat,) sordidi muneris interpellatio conquiescat. Nam dilecta a Patribus adque suscepti honoris ac muneris incrementa servamus.*

§. XXXIV.

Quemadmodum vero apud Theodosium Magnum tantum Marcellus Burdigalensis, Archiater, de quo & ejus filiis v. LIBAN. *Epist. ad Anatol.* 393. auctoritate valuisse fertur, ut ille non solum hujus usus esse narretur consiliis, v. NEAND. *de Med. nat. p.* 100. & FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 315. sed hic Magistri Officiorum etiam dignitate tam in ejus, quam Arcadii, aula fuerit conspicuus, v. GOTHOFR. *ad l.* 8. *Cod. Theod. de Curios. T.* II. *p.* 202. *& ad l.* 29. *Cod. Theod. de Hæret. T.* VI. *p.* 149. *nec non in Prosopogr. Cod. Theod. T.* VI. *p.* 371. ita non uno beneficio Valentinianus junior, Theodosius M. & Arcadius Medicorum ordini consultum voluerunt. Et primo quidem in *l.* 13. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* jubent, ut, rescissis subreptitiis Rescriptis; ea, quæ a Valentiniano Seniore super Archiatris ordinandis constituta sunt, omnifariam custodiantur: Deinde vero per *l.* 14. *eod. Ea quæ Principes veteres Archiatris sacri Palatii, salutaris ac necessariæ artis professoribus, sacro & mansuro in æternum judicio detulerunt, & antiquorum contemplatione jussorum, & laborum præsentium intuitu, roborata in perpetuum manere præcipiunt, nec ulla cujuspiam improbitate convelli.* Denique Eorundem, ut legis

legis fert Inſcriptio, vel magis Theodoſii M. & filiorum Arcadii atque Honorii (quum Valentinianus jam anno ante hanc latam in Galliis ſuffocatus ſit) Conſtitutione, quæ in *l.* 15. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* eſt reſidua, declaratum; Se *Archiatrorum privilegia, quæ his vetuſtis ſanctionibus adtributa eſſent, inlibata velle permanere, ac tenere perpetem firmitatem. Hoc quoque addendum eſſe cenſuerunt, ut qui egerunt Adminiſtrationes, aut earum honore fungentur, vel dimiſſi e Palatio Teſtimonialium ſuffragio munientur, ad deſcriptiones Senatorias non vocentur, ſed ab omnibus muniis abſoluti, liberi atque ſecuri dignitatis præmiis perfruantur;* quamvis hoc, quod adjiciendum putarunt, nihil novi, ſed a Conſtantino & Gratiano Archiatris jam pridem indultum eſſe, recte obſervaverit GOTHOFR. *ad d. l. T.* v. *p.* 46. Poſtea quam autem Theodoſius M. & Arcadius ad plures abiiſſent, atque Imperium Romanum Honorio & Theodoſio Juniori pareret, Principes hi & Medicorum augere dignitatem, & eorum promovere commoda, non una allaborarunt Sanctione. Ita ſane Comites Archiatrorum, dum adminiſtrant, vel qui adminiſtraverunt, non tamen honorarios, per *l. un. Cod. Theod. qui a præbit. tiron. & eq. excuſ.* a tironum, equorum & auri collatione immunes pronunciarunt; atque in *l. un. Cod. Theod. & Juſtin. de Comit. & Archiatr. S. Palat. Archiatros intra Palatium militantes, ſi Comitivæ primi Ordinis nobilitaverit gradus, inter Vicarios taxari præceperunt, ſive jam pridem depoſuerint militiam, ſive poſtea depoſuerint: Ita, ut inter Vicarios & Duces qui adminiſtraverint, & hos qui Comitivam primi Ordinis meruerint, nihil interſit, niſi tempus quod quis adminiſtraverit, vel Comitivæ eſt indeptus inſignia*, & cætera. Præterea & denuo immunitates retro jam Medicis conceſſas in *l.* 16. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* ex qua *l. ult. eod.* in Codicem Juſtinianeum fluxit, inculcarunt, in hæc verba Præfecto Prætorio reſcribentes: *Grammaticos &c. nec non etiam Medicos, præter hæc quæ retro latarum ſanctionum auctoritate conſecuti ſunt privilegia immunitatesque, frui hac prærogativa præcipimus, ut univerſi qui in Sacro Palatio inter*

Archiatros militarunt, cum Comitivam primi Ordinis vel secundi adepti fuerint, aut majoris gradum dignitatis ascenderint, nulla Municipali, nulla Curialium Conlatione, nulla Senatoria, vel Glebali descriptione vexentur: seu indepta Administratione, seu accepta Testimoniali meruerint missionem, sint ab omni functione omnibusque muneribus publicis immunes, nec eorum domus, ubicumque posita, militem, seu Judicem suscipiant hospitandum. Quæ omnia filiis etiam eorum & conjugibus inlibata præcipimus custodiri; ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti &c. Addunt in *l.* 17. *Cod. Th. eod.* die & Consulibus iisdem exarata: *Artium liberalium Professoribus, ac præcipue Medicis, qui cum Comitivæ primi ordinis ac secundi militant dignitate, privilegia & beneficia a retro Principibus præstita, nec non etiam nova ipsis eorumque filiis Clementia Nostra detulit, ut cohærens sanctio protestatur: quæ tenaciter observari oportet.* Et hæc quidem ea sunt beneficia, quibus Honorius & Theodosius Junior Medicos ornarunt. Non longe vero ab illius obitu, quum hic (cujus singularis in eruditos & studia erat amor, v. GOTHOFR. *ad l.* 19. *Cod. Theod. de Prof. & Med. T.* V. *p.* 47.) cum Valentiniano III. Constantii, ab Honorio in Imperii consortium assumti, sed septimo post mense mortui, & Placidiæ filio, rerum præesset summæ: uterque per *l.* 14. *Cod. Theod. de Metatis* quidem edicebant, ut, si ipsi Constantinopoli præsentes essent, nullius specialiter domus, Inlustrium quoque, etiamsi ad summa conscenderent fastigia dignitatum, præter singulas tantum, in quibus eosdem manere constiterit, cessante omni beneficio Principali, excusentur ab hospitibus; Mox tamen Archiatros, altera desuper lata lege, quæ *l.* 18. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* est, & ad quam Tribonianus *l.* 8. *Cod. Justin. de Metat.* effinxit, ab hac necessitate hospitali liberos pronunciabant. Ita enim in ista est: *Habente propriam firmitatem secundo nostræ majestatis Oraculo, quod De excusandis, sive præbendis his, quæ militantibus debentur, hospitiis promulgatum est, illa quæ dudum circa Archiatros, & Magistros sanximus litterarum, observentur: Hos enim pro ne-*

cessa-

cessariis artibus & liberalibus disciplinis hospitali molestia, quoad viverent, liberari præcipimus. Inlibata ergo permaneant illa quæ quondam circa Archiatros, quos in Palatio nostro primi vel secundi Ordinis Comites militasse constiterit, & circa liberalium litterarum Magistros, videntur a nobis justissime constituta. Quum vero iidem etiam Principes per *l. ult. Cod. Theod. de Senat. & gleb. collat.* sancivissent, ut nemini, ne adnotatione quidem Imperatoris immunitas a glebali collatione, exceptis iis, qui in dicta Constitutione expressis nominibus recensentur, concederetur, Archiatrorum Palatinorum autem in isto indice nulla facta esset mentio, hinc, ne circa eos Præfecto Urbi dubitandi nasceretur occasio, denuo in *l. ult. Cod. Theod. de Med. & Prof.* lauta Constitutione iis consulere voluere. Ipsos Impp. audiamus: *Archiatrorum sacri Palatii obsequia cogitantes, id præsenti sanctione decernimus, ut si qui ex his, aut Primi ordinis adepti fuerint Comitivam, aut majoris gradum dignitatis ascenderint, secundum id quod eis dudum per sacras Constitutiones indultum est, a Glebali Conlatione specialiter immunes sint: non præjudicante eis Novella lege, per quam jussimus, exceptis quibusdam dignitatibus (quæ illic nominatæ sunt) Senatoria munera omnes agnoscere.* Atque ita quidem leges circa Medicos conditas, quas in Romani Juris voluminibus licet reperire, fere recensuisse putamus. Ab his enim Impp. ad Justiniani usque tempora vix iis novas accessisse, prope est, ut adserere non dubitemus.

§. XXXV.

Non tamen ea hæc scribimus mente, ac si sequente mox ævo parum honoris Medicis constitisse censeremus. Probe quippe novimus, Zenone, corpore æque ac animo, ex Zonaræ judicio, fœdo Principe, Imperio admoto, Gesium Petris oriundum tam morborum curandorum peritia, quam de arte medica accurate disserendi ratione omnes ejus temporis Medicos & Jatrosophistas superantem, maximam brevi assecutum esse famam, ingentes sibi comparasse divitias, &

 ad

ad honores non ex multis in Republ. Romana pervenisse. v. SUID. *voce:* Γέσι☉. *T.* 1. *p.* 478. Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 170. Neque vero necessum est, ut Justinum Imp. cum TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 163. &, qui ejus fidem incautius videtur esse secutus, FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 9. *Vol.* XIII. *p.* 306. Medicorum ordini inseramus, quum ejus in hac arte peritiam, si modo quæ illa fuit, admodum curtam fuisse a vero eo minus sit absonum, quo magis ex PROCOP. *Hist. Anecd. p.* 28. *seq.* constat, illum plane literarum rudem esse creditum. Unde non perspicio, cur PETAV. *Rat. Temp. P.* I. *L.* VII. *c.* I. de eo amplius cogitandum censeat, num mendosa SUIDÆ loca *in vocibus:* Ἀμάθητ☉, Ἀναλφάβητ☉, Ἰȣςινιανός. *T.* I. *p.* 130. *&* 170. *& T.* II. *p.* 128. ad Justinum magis, quam Justinianum, quem ibi nonnulli Codices ἀναλφάβητον mentiuntur, referenda sint. Certe concinnam illam emendationem merito defendunt ALEMANN. *in not. ad Procop. l. c. p.* 17. *seq. &* 86. KUSTER. *ad Suid. in voce:* Ἰȣςινιανός. *T.* II. *p.* 128. HEINECC. *in Elem. J. Civ. sec. ord. Inst. in procem.* §. 3. *p.* 3. *seq.* GUNDLING. *in Gundlingian. P.* I. *N.* 5. §. 3. aliique. Sin itaque Justinus fuit ἀναλφάβητ☉, ejus scientiam Medicam non adeo magni fuisse, facilis est conjectura. Sed & sub nostro Justiniano M. non exigua Medicorum fuit existimatio. Stephano Edesseno, qui jam, Cabade Persarum Rege a morbo curato, multas opes retulerat, v. PROCOP. *de bell. Pers. L.* II. *c.* 27. legato ad Cosroëm, itidem Persidis Regem, usus est. Quamvis enim Medici & liberalium artium Professores inviti ad honores & legationes obeundos cogi non possent, volentes tamen illos suscipere poterant. Ita sane Sophistas Marcum pro Byzantinis, Polemonem pro Smyrnæis, Scopelianum sive pro Smyrnæis, sive pro Communi totius Asiæ ad Adrianum Imp. missos memorat PHILOSTR. *de vit. Soph. L.* I. *c.* 21. §. 6. *p.* 520. *c.* 24. §. 3. *p.* 529. & *c.* 25. §. 3. *p.* 532. *seq.* Phavorinum contra sub eodem Imperatore, ad Sacerdotium in patria electum, ad leges super immunitate Philosophorum latas provocasse tradit *Idem* PHILOSTR.

LOSTR. *de vit. Sophist. L.* 1. *c.* 8. *§.* 2. *p.* 489. *seq.* v. GOTHOFR. *ad l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 25. Quanta vero circa eadem Sacratissimi nostri Imp. tempora Tribuni fuerit fama, ex PROCOP. *de bell. Goth. L.* IV. *c.* 10. & SUIDA, *voce:* Τριβοῦνος. *T.* III. *p.* 500. *seq.* est intelligere. Non enim solum a Cosroë splendidis donis auctus est, sed & ille, pactis cum Imp. Justiniano induciis, ab hoc petiit, ut Medicum hunc secum per annum morari fineret: Eo autem elapso, Tribunum, quicquid vellet, petere jussit: qui cum Romanorum aliquot captivorum rogaret libertatem; Rex non eos solum, quos nominatim petierat Viros claros, sed & alios ter mille captivos dimisit. Longa foret fabula, si de reliquis, qui ea circiter tempestate inclaruerunt, Medicis narrare instituerem: memorandus foret Alexander Trallianus, Justiniani Archiater, de quo v. FABRIC. *Bibl. Gr. L.* VI. *c.* 7. *§.* 5. *Vol.* XII. *p.* 593. *seqq.* memorandi forent alii, nec ipsi minorum Dii Gentium. Quum autem sic nimis amplum me ingressurum perspiciam campum, sufficiet monuisse; Justiniani nostri in Medicos affectum valde quidem prima fronte dubium videri, dum illum Medicos & liberalium disciplinarum Magistros necessariis ad vitam exclusisse, &, quam priores Romani Principes his ab Ærario largiti sunt, sportulam ademisse, nullaque iis honoraria fuisse, ex PROCOP. *Hist. Anecd. p.* 113. *seq.* quod ALEMANN. *in not. p.* 106. Zonaræ confirmat testimonio, intelligimus: Sed Imp. nostrum postea mutasse sententiam, id quidem puto vel inde satis apparere, quod Principum, qui ante illum Imperio præfuerant, de Medicis Constitutiones, quas modo enarravimus, Juris Systemati magna ex parte inserendas putaverit. Quin Ipse denuo Medicis annonas olim tributas aut confirmavit, aut, a se prius ademtas, restituit *Const.* 1. *c.* 22. ubi ita eam in rem sancit: *Annonam etiam quam & Theodoricus dare solitus erat, & nos etiam Romanis indulsimus, in posterum etiam dari præcipimus: sicut etiam annonas, quæ Grammaticis, Oratoribus, vel etiam Medicis, vel Jurisperitis*

antea

antea dari solitum erat, & in posterum suam professionem scilicet exercentibus erogari præcipimus, quatenus juvenes liberalibus studiis eruditi per nostram Rempublicam floreant.

§. XXXVI.

De proximi ab Imp. hoc nostro ævi Medicis, eorumque conditione, dicere non fert instituti ratio; eoque magis isto labore supersedere licet, quo magis universum illud sequioris Seculi genus ita videtur esse comparatum, ut omnes idem tinniant. v. BARTH. *Adverſ. L.* XI. *c.* 16. *p.* 542. *seq.* Neque est, ut in caussas, cur ante pauca Secula in Russia nulli fuerint Medici, aut cur Rex Sueciæ duos tantum, & unum Pharmacopœum, aluerit, ceu GOTHOFR. *in Archontol. Cosm.* refert, inquiramus: uti nec discutere animus est, quare Medicina vix ultra II. Secula in Dania, cujus incolis, BARTHOLINO *in Diſſ. de Medic. Danor. domeſt.* auctore, suo adhuc ævo frustum pernæ (aridas enim pernæ nates Septentrionalibus olim populis in deliciis fuisse testatur Starcatherus apud SAXON. *L.* VI. v. KEYSLER. *Antiqq. Septentr. & Celt. Sect.* II. *c.* 2. §. 15. *p.* 156. *seq.*) inter antifebrilia numerabatur, sedem fixerit? Illud enim neutiquam Medicorum aliquid detrahet honori; quum, sin exemplis pugnandum foret, ad Scotos contra provocari posset, quorum Reges Josinam & Rhentam ipsos Medicinam fecisse Balæi TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 150. *seq.* Buchanani autem fide MENAG. *Am. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 230. *seq.* narrant. Apud Anglos præterea minime infimo olim Medicos fuisse loco, vel illa Oxoniensis Academiæ Constitutio, A. C. 1384. lata, quam ex Statutis Universitatis illius Spelmannus exhibet, & qua Doctores Medicæ scientiæ Juris Doctoribus præferuntur, satis confirmat. Quin apud majores nostros ipsos Druidas, quorum immunitates & honorem JUL. CÆS. *de B. G. L.* VI. *c.* 14. & STRABO *Geogr. L.* IV. percensent, v. SCHEDII *de Diis Germ. Syngr.* II. *c.* I. *p.* 371. *& c.* 12. *p.* 423. *seq.* Medicinam fecisse, vero, si quid aliud, admodum est propinquum.

quum. Neque enim solum illos naturalium caussarum studia tractasse, & Physiologiæ peritos fuisse, ex STRAB. *&* JUL. CÆS. *ll. cc.* atque POMP. MEL. *L.* II. *c.* 3. *&* CICER. *de Divinat. L.* I. constat; Conf. CLUVER. *Germ. antiq. L.* I. *c.* 33. sed VOPISC. *in Numer.* luculentissimus testis est, Diocletianum, dum in Gallia moraretur, *a Druiade quadam muliere curationem convictus sui quotidiani facere solitum.* v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 356. Et hæc quidem satis puto evincere, in ipsa Germania honoratissimo ordini salutaris artis concreditum esse exercitium.

§. XXXVII.

In prima vero Christi Ecclesia maximum Medicis habitum esse honorem, tanto minus mirum cuiquam videri poterit, quanto magis ex ipsis Sacris paginis constat, plerasque ejus ævi curationes per miraculum factas esse. Hujus sane generis erant Dæmonum expulsio, donum illud primis Christianis adeo familiare, v. *le* MOYNE *Var. S. T.* II. *p.* 1043. BARTHOLIN. *Miscell. Med. de morb. Bibl. c.* 19. *p.* 82. sanatio per χειροθεσίαν, seu manuum impositionem, v. BRAUNII *Orat. in Select. Sacr. p.* 757. DEPENBROEK *Diss. binæ de* χειροθεσίᾳ *&* χειροτονίᾳ, nec non curatio per oleum sanctum. v. BARTHOLIN. *Misc. Med. de morb. Bibl. c.* 27. *p.* 122. *seq.* & *J. A.* SCHMIDII *Diss. de curat. morb. per oleum sanctum.* Quum autem illæ medicinæ præter naturæ legem magnam partem fierent; & ab iis ut plurimum, quibus Deus largiora Spiritus concesserat dona, perficerentur; hinc evenit, ut multi Medici & Medicæ pietatis laudem tulerint, & in Sanctorum ordinem cooptati sint. Inclaruere hoc nomine a Patribus, quos vocant, ob vitæ integritatem laudati: Æmilianus, Alexander, Anthiocus, Antiochus, Antonius, Cyrus, Cæsarius, Codratus Corinthius, Cosmus & Damianus, Diomedes, Dionysius, Eusebius, Gennadius, Hildegardis, Joachimus Japonensis, Joh. Damascenus, Juvenalis, Leontius & Carpophorus, Lucas Evangelista, Nicetera,

Oreſtes, Pantaleon, Papilius, Philippus, Samſon, Sanctus, Theodotus, Theodoſia, Urticinus & Zenobius, quorum omnium merita data opera expendit *Chr. Ben.* CARPZOV. *in Diſſ. de Medicis ab Eccleſia pro Sanctis habitis*, nonnullorum quoque luſtravit TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 86. *ſeqq.* Quin multis etiam a Chriſto nato Seculis id inde in Eccleſia manſit, ut vix alii, præter Clericos & Nobiliores quosdam, in Chriſtianorum cœtibus Medicinam profiterentur, v. BERNHARD. *Ep.* 67. *&* 68. & BOUSSAC. *Noct. Theol. Diſſ.* XII. *p.* 188. *ſeq.* quum & Medici non ad Clericatum ſolum, ſed & ad Sacerdotium, pervenire poſſent, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 406. donec Innocentius III. Sec. XIII. ineunte, ex illo Juris Canonici forſan principio, quod Eccleſiam non vult effundere ſanguinem, Diaconis, Subdiaconis & Sacerdotibus Chirurgia interdiceret, per *c.* 9. *X. Ne Cler. vel Monach.* Conf. BOOT *Diſſ. de privil. Med. c.* 1. §. 12. & Honorius III. ne religioſæ perſonæ clauſtris ad audiendum leges vel Phyſicam (eo enim vocabulo medio ævo Medicinam Clinicen ſignificatam eſſe Cap. I. §. VIII. jam indicavimus) exirent, per *c.* 10. *X. Ne Cler. vel Monach.* ſanciret. v. BOUSSAC *Noct. Theol. Diſſ.* XII. *p.* 190. *ſeq.* GONZAL. *de* TELLEZ *ad c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 9. *Opp. T.* 1. *p.* 484. *ſeq.* Sed hæc Canonum placita, non magis ac reliqua, v. g. de non ſuadendis pro corporali ſalute, quæ in periculum animæ convertantur, de non advocando Medico Judæo, de ægroto ad implorationem auxilii Chriſti, ad confeſſionem & pœnitentiam, ad accerſendum Clericum a Medico invitando, quorum ultimum nuper cum cura excuſſit *V. Cel.* BOEHMER. *in Diſſ. de Medicorum animæ & corporis in ſanandis ægris conjunctione*, & quæ ejus generis ſunt alia, nunc quidem, ex Conciliorum fontibus & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis licet expendere, quum ad ea, quæ præcipuum hujus argumenti conſtituunt caput, jam deveniendum eſſe intelligam.

CAP. III.

QUO PRIVILEGIA ET JURA SINGULARIA MEDICORUM JURIDICE EXPONUNTUR.

§. I.

REſtat itaque, ut, quænam Jura ſingularia circa Medicos in legibus prodita ſint, atque num, & quæ eorum hodieque in ipſis rerum obtineant argumentis, diſpiciatur. Qua quidem in re ita verſabimur, ut primo odioſa, (de quibus C. I. §. XIV. dictum eſt) ſeu quæ ex delictis Medicorum, a Legislatoribus coërcitis, proficiſcuntur, luſtremus, mox favorabilia, (quæ itidem Privilegii appellatione venire C. I. §. XV. monuimus) ob bene merita iis indulta, indagemus.

SECT. I.

DE PRIVILEGIIS ET JURIBUS SINGULARIBUS ODIOSIS MEDICORUM.

§. II.

DIximus odioſa jura ſingularia Medicorum delictis irrogata eſſe. Quum autem delictum, definiente HEINECC. *in Elem. ff. Part.* VII. §. 77. *p.* 26. ſit factum illicitum, ſponte admiſſum, quo quis & ad reſtitutionem, ſi fieri poſſit, & ad pœnam obligatur; facile patet, illud vel ex dolo malo,

vel ex culpa originem ducere, quorum iſtud verum, hoc quaſi delictum nuncupari ſolet. Apprime in rem præſentem CICERO *in Orat. pro A. Cluent. c.* 18. *Oratt. T.* 11. *P.* 1. *p.* 131. *ſeq. Semper equidem*, inquit, *magno cum metu incipio dicere, quotiescumque dico, toties mihi videor in judicium venire non ingenii ſolum, ſed etiam virtutis atque officii, ne aut id profiteri videar, quod non poſſum implere, quod eſt impudentiæ, aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut perfidiæ, aut negligentiæ.* Hunc igitur ſummum non ſolum Oratorem, ſed &, auctore GELL. *N. A. L.* 1. *c.* 22. JCtum ducem ſequentes, hanc denuo nobis ſcribemus legem, ut prius de quaſi delictis Medicorum, quæ culpa, ſive illa ex eorum imperitia, ſive ex negligentia naſcatur, admittunt, diſſeramus; deinde autem de veris, quibus perfidia ineſt; vel contrariis Medicinis ægrotum necando, vel eum metu ad paciſcendum inducendo, diſputemus.

§. III.

Culpam quod adtinet, notiſſimum Juris Romani axioma eſt; ut plurimum leviſſimam neminem præſtare, niſi quem omne commodum ſequitur, quum penes alterum ſit incommodum, atque ab hoc latam tantum exigi poſſe. In Medicis autem ab eo jure communi divortium factum eſt. Quum enim illi, ſi imperite ſecuerint, vel perperam medicamentum dederint, vel curationem dereliquerint, aut ſimile quid admiſerint, L. Aquilia teneantur, per §. 6. & 7. *Inſt. de L. Aquil. l.* 7. §. 8. *l.* 8. *pr. l.* 9. §. 1. *ff. eod.* in L. Aquilia vero etiam leviſſima culpa veniat, per *l.* 44. *pr. ff. eod.* facile patet, Medicos etiam ad culpam leviſſimam præſtandam obligatos eſſe. v. PUFENDORFF. *Introd. in Proceſſ. Crim. Luneb. c.* 25. §. 21. *p* 212. SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Medic. Th.* 33. Et id quidem manifeſto ſuadet *l.* 11. *pr. ff. ad L. Aquil.* ubi Ulpianus ex Mela refert, quod ſi, cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percuſſa in tonſoris manus eam dejecerit, & ſic ſervi, quem tonſor radebat, gula ſit præciſa.

adjecto cultello, in quocumque eorum culpa sit, is L. Aquilia teneatur. Proculus in tonsore culpam putabat esse; cui subscribens Ulpianus, si ibi tonderet, ubi ex consuetudine ludebatur, vel ubi transitus frequens erat, esse censet, quod ei imputetur; quamvis nec illud male dici existimet, si in loco periculoso sellam habenti tonsori se quis commiserit, ipsum de se queri debere. Quam vero culpam levissimam vocabis, si hanc non dices; inprimis, quum Romæ, & præcipue quidem nundinarum tempore, non infrequens esset, ut in viis publicis homines tonderentur, teste MARTIAL. *L.* VII. *Epigr.* 60:

Stringitur in densa nec cæca novacula turba:
Occupat haud totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant,
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Neque etiam illud, quod Medici exactissimam præstare debeant diligentiam, a Juris nostri analogia est absonum: siquidem imperitia culpæ adnumeratur, per *l.* 132. *ff. de R. J.* & præcipue artis, in eo, qui illam profitetur, per *l.* 27. *§* 29. *ff. ad L. Aquil.* *§*. 8. *Inst. eod.* *l.* 9. *§*. 5. *&* *l.* 13. §. 5. *ff. Locati*, quum nemo affectare debeat id, in quo intelligit, vel intelligere oportet, infirmitatem suam alii periculosam futuram, per *l.* 8. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* & *l.* 1. *§* 5. *ff. Si quadrup. paup. fec. dic.* Apposite CICER. *in Orat. pro Planc. c.* 25. *Oratt. T.* II. *P.* 2. *p.* 600. *Omnes istiusmodi artes*, inquit, *in iis reprehenduntur*, *qui*, *cum professi fuerint*, *satisfacere non possunt: non in iis*, *qui se abfuisse ab istis studiis confitentur*, quem locum jam observavit *Ger.* NOODT *in libr. singul. ad L. Aquil. c.* 8. *Opp. T.* 1. *p.* 149. Paucis interjectis CICERO rem egregie exemplis illustrat, addens: *Ut nos in mancipiis parandis*, *quamvis frugi hominem si pro fabro*, *aut pro textore emimus*, *ferre moleste solemus*, *si eas artes*, *quas in emendo secuti sumus*, *forte nesciverit*, *sin autem emimus*, *quem villicum imponeremus*, *quem*

pecori præficeremus, nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam esse curamus. Conf. VOET. *in Comm. ad tit. ff. ad L. Aquil. N.* 23. BALDUIN. *in Comm. ad LL. de Jur. Civ. Vocon. &c. p.* 164. HEIG. *Quæst. L.* 11. *Q.* 26. Et hæc quidem Juris dispositio multo magis in Medico, quam in artifice, obtinere debet. Certe Ulpianus in *l.* 6. *§.* 7. *ff. de Off. Præs.* quod per imperitiam commisit, Medico imputari, nec prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse oportere, sed eum culpæ reum intelligi cum Gajo in *l.* 8. *pr. ff. ad L. Aquil.* sancit. Add. §. 7. *Inst. de L. Aquil.* Quin, quandoquidem ratio anomaliæ de præstanda culpa levissima in artificibus in eo sita est, quod artem professi sint, & id ipsum jam culpa sit, immiscere se rei ad se non pertinenti, per *l.* 36. *ff. de R. J.* in Medicina autem fere sola artium evenit, ut, quod PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. ait, cuicunque eam professo statim credatur, in hac amplius adhuc, quam in reliquis, culpam levissimam præstandam esse, & Medicum μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν παρορῶντα, nihil temere, nihilque obiter quasi videntem facere debere in propatulo est. v. HUBERI *Prælect. ad tit. Inst. de L. Aquil. §.* 3. *& in Eunom. Rom. ad Lib.* IX. *ff. §.* 2. *seq. p.* 403. SATTLER. *in Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 30. TIRAQUELL. *de Nob. c.* 31. *N.* 424. GONZALEZ *a* TELLEZ *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 6. *Opp. T.* I. *p.* 483. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *Tit.* I. *Q.* I. *N.* 9. *seqq. & Q.* 9. *N.* 13. *seq.* Non possum, quin egregie in ea, quæ hactenus dicta sunt, convenientem locum PERSII *Sat. V. v.* 96. *seqq.* adscribam. Ita autem ille:

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compescere puncto
Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator

Luci-

Luciferi rudis, exclamat Melicerta periſſe
Frontem de rebus.

Jungo geminum, & quo vix ovum ovo eſt ſimilius, HORATII *L. II. Epiſt. I. v. 114. ſeqq.*

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. Quod Medicorum eſt
Promittunt Medici: tractant fabrilia fabri.

Atque in his æque locis, ac in *§. 7. Inſt. de L. Aquil.* culpa Medici, medicamentum perperam dantis, redarguitur; unde perſpicuum eſt, BALDUINUM *in Comm. ad LL. de Jure Civ. Vocon. &c. p.* 164. minus recte rationem præſtandæ culpæ leviſſimæ in eo quæſiviſſe; quaſi id tantum ad Chirurgos pertineret, quum tamen illud pariter ad Medicum imperite Medicinam propinantem, quam ad indocte ſecantem, ſpectare, ex dictis pateſcat.

§. IV.

Quoniam itaque, Medicum ex imperitia peccantem etiam leviſſimam culpam præſtare debere, dictum; ſequitur, ut videatur, quis Medicus peritus dicendus ſit? Non abſonam eſſe cenſeo SUIDÆ *voce:* Ἰατρός. *T. II. p.* 92. hanc in rem definitionem. Eſt autem ipſi Ἰατρὸς ὁ ἐπιστήμων, οὐχ ὁ ἰώμενος μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν αἰτίαν, καθ' ἣν ἰᾶται, γνωρίζων, *Medicus, rei medicæ peritus, qui non morbis ſolum medetur, ſed etiam cauſſam, ſecundum quam eos ſanat, cognoſcit.* Sin enim cauſſam ſanandi intelligit, tria illa, quæ Hippocrates, teſte MACROB. *Saturn. L. I. c.* 20. Medicum ſcire jubet, puta:

Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura ſequentur,

habebit perſpecta. Et ex hac Hippocratis lege dubio procul DD. ternarium numerum eorum, quæ a perito Medico poſtulant,

ſtulant, derivarunt. Ajunt enim Medicum intelligere oportere, tum præterita, vz. unde morbus traxerit originem, tum præſentia, ſive, quo morbo ægrotus laboret, tum denique etiam futura, puta, num nondum de eo conclamatum ſed ſpes convaleſcendi ſit, & quæ ejus corpori commoda aut incommoda impendeant, ut de his cavendis, de illis promovendis opportune poſſit eſſe ſollicitus, quæque ejus generis ſunt plura. v. NOODT. *lib. ſing. ad L. Aquil. c.*8. *Opp. T.* I. *p.* 149. SPECKHAN. *Quæſt. Cent.* I. *Q.* 13. *N.* 2. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *Tit.* I. *Q.* 7. *N.* 4. *ſeq. & Q.* 8. *N.* 20. Alii exigunt alia, v. g. ut Medicus ſit provectioris ætatis, (forſan illi Germanorum parœmiæ, Ein neuer Medicus, ein neuer Kirchhoff/ v. HERTII *Epidipn. Parœm. Jur. Germ. Par.* 6. *in Opuſc. Vol.* II. *T.* III. *p.* 436. fidem habentes) ut novis morbis novis occurrat remediis, ut ſciat opportuno tempore, (quum immatura medicina, quod SENEC. *Conſol. ad Helv. c.* I. ait, nihil magis periculoſum ſit,) ægrotantibus pharmaca præbere, ex trito illo Poëtæ:

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

v. SPECKHAN. *Quæſt. Cent.* I. *Q.* 13. *N.* I. & 3. Iterum alii ad peritiam medicam referunt, ne incertas, novas & dubias opiniones ſequatur, aut nova & non experta remedia in uſum trahat, aut, poſthabita ratione, conſuetudini locorum in curandi methodo inſerviat. v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 7. *N.* I. 7. & 12. Quid quod, ſunt ſane, qui Medicum peritiæ laudem adfectantem ad aſtrorum motus quoque adtendere debere conſtanter perhibent, v. SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 36. *ſeqq.* quos tamen vitæ humanæ Deaſtros tutelares merito ridet *a* REJES *in Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 17. quosque non magis, ac Amuleta, characteres magicos, & exorcismos, hisque ſimilia, *Conſt. Crim. Car. Art.* 109. damnata, de quibus BESOLD. *in Theſ. Pract.*

Pract. p. 50. *& seqq.* differit, ad Medici scientiam spectare, saniora dudum agnovere Secula. Ne longus sim, mitto cætera, quorum vix numerum inire licet, periti Medici criteria, quum & ipsa Jura nostra nonnulla tantum in exemplum proferant. Ita in *§. 7. Inst. de L. Aquil. l.* 7. *§.* 8. *& l.* 8. *pr. ff. eod.* imperitus dicitur, male secans aut perperam medicamentum dans, in *l.* 9. §. 1. *ff. eod.* qui per vim vel suasum medicamentum alicui infudit vel ore, vel clystere, vel eum unxit malo veneno: ex quibus denuo ea, quæ supra *C.* 1. §. 11. *& seqq.* prolixius observata sunt, olim tum Clinicos, tum Chirurgos, tum etiam Pharmacopœos, omnes Medicorum nomine comprehensos, nec inter illos finium regundorum judicium fuisse, confirmantur; uti ex istis contra *dd. ll.* lux aliqua affunditur. Fateor tamen, quæ hactenus dicta sunt, non nimis rigide a Medico exigenda esse. Quum enim Medicina, non PLATON. *in Soph. T.* 1. *p.* 219. solum auctore, sed ipso fatente HIPPOCR. *de arte Sect.* 1. *& de locis in hom. Sect.* 4. ars sit, non scientia, conf. SPANHEM. *in not. ad Julian. Orat.* 1. *p.* 181. & inde CICERO *in Orat. pro A. Cluent. c.* 21. *Oratt. T.* 11. *P.* 1. *p.* 139. Medicos nihil præter artificium præstare dicat; consequens hinc est, illud, quod diximus, imperitiæ crimen non cadere in eos, qui σμικρὰ ἁμαρτάνειν dicuntur, vel sub initium morbi leviter errarunt, quale quid sibi ipsi aliquoties contigisse testatur GALEN. *de meth. med. L.* VIII. *c.* 3. quemadmodum Hippocrates etiam errores a se commissos profiteri non erubuit. v. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 20. Conf. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 17. *p.* 169.

§. V.

Cadit ergo imperitiæ crimen (der aus Unkunst und doch unfürsetzlich mit seiner Artzeney tödtet/ uti est in *Const. Crim. Car. Art.* 134.) præcipue in illos, quos vel contra artis regulas aliquid admisisse probari potest, v. STRYK. *ad Lauterbach. ad tit. ff. de L. Aquil. not.* 17. FARINAC. *Crimin. L.* V.

Q. 120. *N.* 77. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *Tit.* I. *Q.* 7. *N.* 14. *seq.* vel artis hujus ignaros ei se immiscuisse constat. Et illud quidem inprimis intendit CAROLUS V. *Imp. in Const. Crim. Art.* 134. verbis: Daß er die Artzney leichtfertiglich und unverwegentlich mißbraucht / oder sich ungegründeter / unzuläßiger Artzney / die ihm nicht geziemet / hat unterstanden / und damit einem zum Tod Ursach geben / hoc vero sequentibus ita exprimit: Und soll in diesem Fall allermeist Achtung gehabt werden auf leichtfertige Leut / die sich Artzney unterstehen / und die mit keinem Grund gelernet haben. Conf. KRESS. *in not. ad C. C. C. d. Art.* §. 1. *not.* 2. *p.* 379. Quemadmodum itaque, perito nec negligenti Medico eventum mortalitatis non nocere, mox §. XI. dicturi sumus, ita postremos contra neutiquam culpa liberat, etiamsi se omnia κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν, pro nosse & posse, quantumque viribus & animo valuerint, quod Germani efferunt, es seye gut gemeynet gewesen / perfecisse jactitent, quum illud solos artis peritos, non vero eos, in quibus id jam culpa est, quod se immisceant rei ad se non pertinenti, per *l.* 236. *ff. de R. J.* excuset. v. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 13. *p.* 116. Et in hunc quidem censum præsertim venit illud agyrtarum genus, a BAPT. MANTUAN. *Ecl.* 6. lepide ita carmine expressum:

Sunt & equestre genus medici, qui tangere venas
Nonnunquam illicitas audent, & ponere quadam
Non intellectis temeraria nomina morbis,
His, & si tenebras palpant, est facta potestas
Excruciandi ægros, hominesque impune necandi.

quod, ut non ignobilis post renatas literas Poëta PALINGEN. *in Zodiac. vit. in Leon.* loqui amat,

Dum lotium infelix spectans inde omnia captat,
Dum tentat pulsum venæ, dum stercora versat,
Fallitur & fallit,

quod-

quodque nullo doctore excultum carnificinam ampla mercede exercet, & frustra remedio blanditur, cujus tormenta & cruciatus ægrotans patitur, quæ QUINTIL. *Declam.* XIV. *p.* 250. verba sunt. Et hi quidem versipelles Medicastri sicuti merito a *Seb.* BRAND. *in navi stultifera p.* 63. *Vir. Cel.* MENCKEN. *in Oratt. de Charlat. Erud. Orationum* 7. & 8. *p.* 165. *seqq.* & 251. *seqq. in* MENAGIANIS *p.* 204. *a* REINHARD. *in Theatr. prudent. elegant. ad Lipsii Polit. L.* IV. *c.* 12. *§.* 38. *not.* 3. *P.* II. *p.* 1396. *seq.* SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 22. *seq.* TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 423. & 477. aliisque exagitantur, & falso, nec injuria, ab HOFMANS-WALDAU *in Epigr. N.* 52. mortis vicarii salutantur, ita præcipua animadversione, si medicinis damnum dederint, digni judicandi sunt, tum, quoniam artem profitentur, quam alteri damnosam futuram sciunt, tum quia & reluctantibus atque invitis medicinas obtrudere iis admodum familiare est. v. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 23. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 12. *§.* 73. *p.* 200. *seqq.* Nec aniculas, & ipsas Medica consilia haud raro decumbentibus oggannientes, melioris, ac agyrtas illos, quum nec hæ artem didicerint, & præterea sæpe superstitiosas & nugatorias curationes suadeant, conditionis esse debere, exploratum est. v. AMMANN. *Iren. Num. Pompil. & Hippocr. p.* 92. *seqq. Arn. de* REYGER *in Thes. Jur. voce: Doctor. Addit.* I. *N.* 20. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 12. *§.* 80. *p.* 227. *seq.* Eodem quoque jure censentur Clerici & Monachi, quibus apud nos quidem non eo argumento, quod iis per *c. ult. X. Ne Cler. vel Monach.* Medicina interdicta sit, v. GONZALEZ *a* TELLEZ *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 9. *Opp. T.* I. *p.* 484. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VIII. *T.* I. *Q.* 2. *tota p.* 623. *seqq.* quemque ibi citat, *Gasp.* TRISTAN *de Clerico Medico*, artem hanc exercere non est integrum, sed ea potissimum de caussa, quod hi ipsi etiam tunc artem ad se non pertinentem facere videantur. v. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 12.

§. 74. *p.* 208. *seqq.* De Judæis idem esto judicium. Neque enim hi magis ob Canonum placita 13. *caus.* 28. *q.* 1. a curationibus arcentur; sed quoniam eorum & fides & peritia plerumque admodum vacillat, v. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 12. §. 74. *p.* 206. *seq.* TABOR. *anal. ad Barbos. Axiom. L.* XI. *c.* 17. *Ax.* 3. *p.* 49. LATHER. *de Censu L.* III. *c.* 21. *N.* 45. *seq.* SPECKHAN. *Quæst. Cent.* 1. *Q.* 14. *p.* 20. *seq.* BOEHMER. *Diss. de caut. Judæor. tolerant.* & præterea levis notæ quadam macula laborare videntur; v. WILDVOGEL. *Diss. de Judæor. recept. ac tolerant. Th.* 7. *p.* 20. *seqq.* quamvis non inficiatum iverim, illos iis in locis, ubi Doctoralibus ornantur insignibus, quod in Fridericiana contigisse memini, & in Duisburgensi quoque plus una vice indultum, pari, hac saltim in caussa, cum reliquis Medicis ambulare passu. Sed & Chirurgi denique imperitis accensentur, puta, si limites artis suæ excesserint, &, præter vulnerum, viscerum curam susceperint. Unde hi arti Medicæ, vz. morborum, sese ingerentes providentissime levissimam culpam præstare jubentur in *Rescr. Regim. Cell. d.* 8. *Dec.* 1688. *in Vol.* der Gerichts-Ordn. *p.* 988. quam sanctionem Potentiss. M. Britanniæ Rex in *Rescr. Gener. Regim. Reg. d.* 10. *Sept.* 1727. iteravit. v. PUFENDORFF. *Introd. in Process. Crim. Luneb. c.* 25. §. 21. STRYKII *V. M. ff. ad tit. ad L. Aquil.* §. 19. AMMANN. *Medic. Crit. Disc.* XXXIV. *p.* 243. *seqq.* De tonsoribus, & bene multis aliis non initiatis, in sacra Medica involantibus differere non fert animus. Verbo dicam: Ut Medicus peritus censeatur, postulatur, tum ne limites artis suæ excedat, tum, ut eam, quam profitetur, probe calleat, nec contra ejus regulas imperitia peccet. Sin enim omnino ejus rudis sit, etiamsi exactissimam adhibeat diligentiam, semper tamen vitio proximus est, v. GONZAL. *a* TELL. *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 4. *Opp. T.* 1. *p.* 482. quum, ceu SENECA *de Benef. L.* VI. *c.* 8. recte censet, *multos fortuita sanent, nec tamen ideo sint remedia.* Atque illa quidem sunt bina ista criteria, quæ JCti exigunt, ne Medico,

dico, quantum ad ejus peritiam adtinet, ægroti mors vitio verti queat. v. STRYKII *U. M. ff. ad tit. ad L. Aquil.* §. 19. *ibique Respons. Facult. Francof. & in not. ad Lauterbach. eod. not.* 18. *p.* 370. LAUTERBACH. *de consil. Part.* II. *c.* I. §. 6. HERT. *in Epidipn. parœm. Jur. Germ. Par.* 6. *Opusc. Vol.* II. *T.* III. *p.* 436 KRESS. *in not. ad C. C. C. Art.* 134. §. 4. *p.* 381. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* 20. OLDEKOP. *in Obs. Crim. p.* 408.

§. VI.

Altera, quam a Medico Jura postulant virtutem, est diligentia, ut nempe nihil eorum, quæ ægrotantis conducunt saluti, prætermittat, quod CAROLUS V. *Imp. in Const. Crim. Art.* 134. verbis: So ein Artzt aus Unfleiß tödtet/ indigitat, & die Ernewerte Apotheken Ordtnung der Stadt Bremen *d. a.* 1665. *C.* 1. §. 2. ita effert: Soll derselbe Unser *Physicus &c.* allen und jeden/ die in dieser Stadt seiner Chur/ Rath und Hülffe begehren werden/ u. s. w. mit der Kunst der Artzeney/ nach all seinem Vermügen zu Hülff kommen/ u. s. f. und zu Wiederbringung der Gesundheit/ mit gebührender Sorgfallt und Fürsichtigkeit/ heilsame *Medicamenta* verordtnen. Conf. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 31. WALTHER. *de Stat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 139. *p.* 393. Sin enim debitam non adhibeat sollertiam, Medicum culpæ reum esse, nemo dubitabit, quum quævis negligentia culpa sit. Ita enim in *l.* 226. *ff. de V. S.* magna negligentia culpa esse dicitur, quum in *l.* 213. §. 2. *ff. eod.* nimia negligentia lata culpa audiat. v. WISSENBACH. *ad tit. ff. de V. S. Disp.* XLI. *Th.* 12. *p.* 654. Conf. ZACCH. *Quæst. Med. Leg. T.* III. *Conf.* 24. *N.* 1. GONZAL. *a* TELL. *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 7. *Opp. T.* I. *p.* 483. *seqq.* Quando vero Medicus culpa vacet, nec negligentiæ argui possit, ea quidem de re mira sunt inter DD. sententiarum divortia. Plerique tamen inter præcipua diligentiæ testimonia connumerant, ut ipse recte paret remedia; ea intelligo, quæ ut arcana tegit, & in Medicinis venalia

non proſtant, quum reliquorum, ne pluribus diſtrictus curis ſingulis eo minus vacaret, compoſitiones merito uſus Seculi a Medici officio divulſerit, & Pharmacopœis reliquerit, quod & diſertiſſime olim Senatus Patriæ Ampliſſimus cavit in der Ernewerten Apotheken Ordtnung der Stadt Bremen *d. a.* 1665. *C.* 1. *§.* 2. verbis: Es soll Unser *Physicus* jedoch keine *Medicamenta*, so uff den Apotheken zu bekommen/ in seinem Hause/ weder Frembden/ noch Einheimischen/ *præpariren*, oder einige *Medicamenta* so uff den Apotheken *præpariret*, im Hause verkauffen/ sondern alles uff Unserer Apotheken zurichten/ und durch die Patienten/ oder durch die ihrige/ abfodern und bezahlen lassen. Neque minus ejus incumbit curæ, ut attendat, ne Pharmocopœus circa medicamentorum confectionem peccet, aut corrupta miſceat, qua de re denuo prudentiſſime quondam Patriæ Patres proſpexere, *ibidem* ſancientes: Es soll auch Unser *Physicus* benebenst unsern verordtneten Apotheker Herren/ darauff achtung geben/ daß gemeldte Apotheken/ nicht allein mit bequehmen und getrewen Bedienten/ sondern auch mit guten tauglichen *Materialien*, nach Notthurfft versorget/ und in gutem Wesen unterhalten werden. Derentwegen dan auch dieselbige zum wenigsten alle Jahr einmahl visitiren/ und allen Mangel an den Wahren und Persohnen/ denen Apotheker Herren/ alsobald richtig anmelden. Eodem etiam redit, ne a latere ægroti facile diſcedat, ſi morbum animadvertat ingraveſcere; ut ægrotum de noxiis ipſi vitandis moneat, & quæ hujusmodi ſunt plura. v. TABOR. *Anal. ad Barboſ. Axiom. L.* XI. *c.* 17. *Ax.* 1. *p.* 48. *ſeq.* SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 42. & 43. SPECKHAN. *Quæſt. Cent.* 1. *Q.* 13. *N.* 4. & 5. Jus contra noſtrum in §. 6. *Inſt. de L. Aquil.* & *l.* 8. *pr. ff. eod.* unicam tantum proponit ſpeciem negligentiæ, ſcilicet, ſi curationem bene quidem cœperit, ſed deſeruerit. Quum autem hæc minime adæquata diligentiæ ſint criteria, atque innumera alia ſuperſint, quibus Medicus omittendo peccare poſſit; potiora enarrabimus.

§. VII.

§. VII.

Quandoquidem vero Medicum omnibus opera ſua præſto eſſe oportet, quum Medicina & ſceleratis opem miniſtret, SENECA *de Benef. L.* IV. *c.*28. auctore, eoque contendere debet, ut cum Auſonio patre, in AUSONII filii *Idyll.* 30. gloriari queat:

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemtæ,
Officiumque meum cum pietate fuit;

v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 6. *N.* 7. *ſeqq.* hinc graviſſime peccare, & ſupinæ negligentiæ reus cenſendus eſt, ſin ad ægrum vocatus venire detrectet. Nec tum demum in culpa eſt, ſi alii illibi loci non adſint Medici, ſed ne tunc quidem vitio caret, etiamſi aliorum ſit copia, quum, (ut denuo SENECAM *Controv. L.* IV. *c.* 5. provocem) nihil magis ægris proſit, quam ab eo curari, a quo volunt. Suffragantur ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 6. *N.* 7. *ſeq. a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 14. QUESTEL. *Diſſ. de pulvin. morient. non ſubtrah. c.* 2. *§.* 2. *ſeq. p.* 21. *&* §. 7. *p.* 26. BOOT *Diſſ. de privil. Med. c.* I. *§.* 8. Quin tantum hujus obligationis exiſtimatur eſſe vinculum, ut Medicus tergiverſando interficere videatur, v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. T.* III. *Conſ.* 71. *N.* 6. & alicubi locorum non alio cenſeatur jure, quam qui ægrotum quoad cibaria exhibenda deſerit. v. *Conſt. Elect. Saxon. Part.* IV. *Conſt.* 5. *p.* 189. Atque hinc recte colligunt JCti, Medicum a publico conductum ſemper & ubicumque, non conductum, ſi unicus tantum ſit, qui commode ab ægroto haberi queat, officio Judicis ad medendum compelli, in reluctantem vero animadverti poſſe; v. SPECKHAN. *Quæſt. Cent.* I. *Q.* 32. *tota*, ZACCH. *Quæſt. Med. leg. T.* III. *Conſ.* 71. *N.* I. 3. 21. 36. 46. *&* 47. quamvis haud difficile *Hujus* ſententiæ *N.* 49. accedam, ſatius eſſe, ut blande ad ſanandum alliciatur, quam

ut vitæ

ut vitæ necisque Imperator ad ægrotum trudatur. Neque illi officio suo satis existimandi sunt fecisse, qui alios spectatum mittunt, & sic per internuncios morbum explorare cupiunt. Egregie iterum SENECA *Ep.* 22. *Quædam non nisi a præsente monstrantur. Non potest Medicus per Epistolas cibi aut balnei tempus eligere. Vena tangenda est.* Ut sileam, morbos, præterquam forsan chronicos quosdam, per absentes commode sanari non posse; v. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 10. Certe per internuncios vel epistolas ægroto subveniens, vix ei subvenire dici potest, siquidem ipsa sæpius Medici præsentia decumbenti est solatio, &, secundum illud PLUTARCH. *de Consolat. ad Apollon. Varior. Opp. T.* 1. *p.* 177. Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, *ægrotanti animo Medicus est oratio.* Accedit, quod vel ea quoque ex caussa hujus generis Medici satis inique rationes suas videantur comparare, dum, sicubi verentur ne ipsi simili contagione inficiantur, non hærent, alios periculis objicere, quæ ipsi defugiunt. At id denique præprimis eos in hac caussa negligentiæ arguit, dum nunquam satis possunt esse persuasi, an illi, quos spectatum miserunt, tanta præditi sint peritia, ut cuncta ægrotantium symptomata ad amussim observaverint & expenderint; adeoque, si ignorantia quid admiserunt, nunquam culpæ aut negligentiæ effugiunt notam. v. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 13. *N.* 5. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 5. *N.* 1. *&* *Q.* 6. *N.* 13. QUESTEL. *Diss. de pulvin. morient. non subtrah. c.* 2. *§.* 3. *p.* 21. *seq.* Illud tamen scrupulum videtur injicere, num idem Medici sit officium, si pestis, quo nomine omnes, quorum virus latius serpit, morbos (quemadmodum omne, quod noxium est, ista appellatione venire, eleganter observavit, illud cultiorum Litterarum Ornamentum, DRAKENBORCH. *in Animadv. ad Sil. Ital. p.* 128.) complectimur, Urbem aut regionem aliquam depopuletur? Mihi quidem adfirmantium potior videtur esse sententia. Præterquam enim, quod morti nulla invia sit via, ceu vel memoratu digno Jodoci Willichii, haud ignobilis Sec. XVI.

Medici

Medici, suasu Joh. ab Honenberg, Episcopi Libusiani, pestem, quæ per id tempus Francofurti ad Viadrum grassabatur, fugientis, sed in arce Libusiana inter obambulandum apoplexia correpti, paucisque post horis exstincti, exemplo, v. NEAND. *de Med. nat. p.* 278. Lud. Septalio contra ægrotantibus in triplici Mediolanensium peste succurrente, & salvo evadente, doceri posset: accedit; quod ipsum medendi officium sit munus publicum, arg. *l.* 18. §. 1. *ff. de mun. & hon.* & *l.* 239. §. 3. *ff. de V. S.* (ad quam conf. WISSENBACH. *in Manual. ad h. t. Disp.* XLIV. *Th.* 4. *p.* 708. *seq.* & ea, quæ infra §. XII. contra Huberum disputavimus) illud vero quivis, etiam invitus, obire teneatur, per *l.* 13. §. 2. *ff. de vac. & excus. mun.* v. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 14. ZACCH. *Quæst. Med. leg. T.* III. *Cons.* 71. *N.* 1. & 50. QUESTEL. *Diss. de pulvin. morient. non subtrah.* §. 3. *p.* 21. *seq.* & §. 5. *p.* 24. Conf. GOETZ. *Diss. An Theol. temp. pest. fugere liceat*? Et hæc quidem rigidius a Medico videntur esse exigenda, sin unius tantum, aut paucorum hujus ordinis in ampla Urbe, sit copia, neque tunc rationem habendam esse puto, num a publico conductus, nec ne? Secus rem sese habere existimo, sin numerus Medicorum, qui hujusmodi morbis sanandis Reipubl. auctoritate præfici solent, (Pest-Medici) sufficiat, quandoquidem ita comparatis rebus æquissimum est, illorum conscientiæ relinquere, quid justum atque decens sit, arbitrari. v. QUESTEL. *Diss. de pulvin. morient. non subtrah. c.* 2. §. 3. *p.* 21. *seq.* ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 6. *N.* 4. & *seqq.* & *Tom.* III. *Cons.* 71. *N.* 26. *seqq.* & 31. *seqq.*

§. VIII.

Et hæc quidem de Medicis ad ægrotum venire recusantibus, aliosve ad eum ablegantibus, aut, ob contagionis metum, mederi detrectantibus, dicenda erant. Hos excipiant illi, qui se curationi quidem non subtrahunt, & opem postulanti adsunt, sed non commode. Quum enim plane non adesse,

aut non commode & rite adesse, ex Romani Juris principiis, arg. *l.* 14. *§.* 2. *ff. de Leg.* 3. *l.* 8. *§.* 2. *ff. de bonor. poss. contra tab. l.* 4. *§.* 6. *ff. de Re Jud.* paria sint, consequens est, hos eodem cum illis, de quibus *§. anteced.* diximus, jure æstimandos esse. Accensendi his sunt, qui ægrotos ita e longinquo tantum spectant, ut vix ipsos, ne dicam morbi vim, dignoscere valeant, v. QUESTEL. *Diss. de pulvin. morient. non subtrah. c.* 2. §. 4. *p.* 23. aut qui adeo multis operam suam addicunt, ut singulorum curæ justum tempus impendere nequeant. *Quid horum* enim, e re inquit SENECA *Epist.* 40. *raptim fieri potest? Quis Medicus ægrotos in transitu curat?* v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 7. *N.* 9. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* I. *Q.* 13. *N.* 6. Nec culpa vacat, si ægroto loquacitate aures obtundant, atque molesti sint, quod denuo apprime SENECA *Epist.* 75. exagitat. *Non quærit æger*, ait, *Medicum eloquentem, sed sanantem. Sed si ita competit, ut idem ille, qui sanare potest, compte de his, quæ facienda sunt, disserat; boni consulet: non tamen erit, quare gratuletur sibi, quod inciderit in Medicum etiam disertum: hoc enim tale est, quale si peritus gubernator etiam formosus est. Quid aures meas scalpis? quid oblectas? Aliud agitur. Urendus, secandus, abstinendus sum. Ad hæc adhibitus es, curare debes morbum veterem, gravem, publicum.* Longe tamen magis damnanda est illorum animi pervicacia, & sententiarum obstinatio, qui, si forte in morbo dubio aut difficili alius advocatus sit Medicus, ut in unum de salute depositi consulant, ægrum posthabentes, solum judicare jubent affectum, & se ambitu mutuæ contentionis excruciant. Tragice ea de re jam conqueruntur PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. *Hinc illæ*, inquiens, *miseræ circa ægros sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius;* & CASSIODOR. *Variar L.* VI. *Form.* 19. *p.* 207. *Deponite*, scribens, *medendi artifices noxias ægrotantium contentiones, ut, cum verbis non vultis cedere, inventa vestra invicem videamini dissipare;* eædemque ipsius Medici CARDANI *de utilit. ex advers. cap. L.* II. *c.* 2. *& L.* III. *c.* XI. que-

querelæ ſunt. Quam enim comprobat experientia, haud raro uſu venire, id quod Hippol. a Collibus, quum Heidelbergæ anno ſuperioris Seculi undecimo decumberet, atque Medici, ſe præſente, num aliquid Galeni aut Hippocratis regulis conveniret, diſceptarent, non illepide ingemiſcebat: Inter ipſorum altercationem ſibi moriendum eſſe ſecundum Regulas Naturæ. v. WURFFBAIN *in Hiſtor. Relat. Induciar. & Pac. p.* 27. Sin enim ita deſtinato animi conſilio, ſepoſita ſuprema lege, ægri ſalute, inter ſe digladientur, quod OWENUS canit,

Nunquam, crede mihi, a morbo curabitur æger;
Si multis Medicis creditur una Febris.

Add. QUESTEL. *de pulvin. morient. non ſubtrah. c.* 2. §. 8. *p.* 26. *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 16. BESOLD. *Theſ. Pract. p.* 52. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 426. Et hoc quidem optime animadvertens denuo huic malo obviam ivit Ampliſſimus Reipubl. Bremenſis Senatus, in der Erneuerten Apothecken Ordnung *d. a.* 1665. *C.* 1. §. 5. pie in hæc verba ſanciens: Wann auch in beſchwerlichen und gefährlichen Kranckheiten/ zween oder mehr *Medici*, zu Bedienung des Patienten gefodert werden ſolten (welches dann jedweder *Medicus* in des Patienten Belieben und *affection* ſtellen / und ſelbigs nicht verwehren noch abrathen ſoll) ſollen ſie in ihren *Conſultationibus* und Verordnungen / ihrem Eydt / Gewiſſen und Pflichten gemäß / ſich deß Krancken Notthurfft einzig angelegen ſeyn laßen / ihre *privat affecten*, da deren einige bey ihnen verhanden / beyſeits ſetzen / und in geziemender Gottesfurcht / Fried und Einigkeit / vertrawlich einer dem andern begegnen / jedweder ſeine Gedancken und Bedencken auffrichtig *communici*ren / nichts abſonderliches rathen und vornehmen / (es were dann wenig daran gelegen / oder der Kranckheit Zuſtandt könte kein Verſchub leyden /) ſondern *Communicato Conſilio*, der Kranckheit Beſchaffenheit nach / ihrem Beruff getrewlich abwarten. Quibus ipſis Conſtitutionis verbis altera quoque Medicorum culpa, ſin nempe, quo minus in anci-

piti morbo alius iis adjungatur Medicus, obluctentur, notatur. v. ZACCH. *Quæst. Med. Leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 3. *N.* 10.

§. IX.

Sed nec ii quidem Medici negligentiæ effugere videntur notam, qui, dum medicamentorum effectum censent esse frustraneum, animum despondent, &, ægrotantibus pharmaca denegant. Qui contra sentiunt, præsidium non solum inde quærunt, quod *desperatis Hippocrates etiam vetuerit adhibere medicinam*, ceu CICERO *Epistolar. ad Att. L.* XVI. *Ep.* 15. testis est; sed & *Auth. Hodie C. de Judic.* qua Patroni caussarum, se caussæ penitus desperatæ non patrocinaturos, &, si certamine procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, a caussa recessuros, jurato promittere jubentur, in partes suas pertrahere student. Atque in ista sane sunt hæresi DIETHERR. *in Continuat. Thes. Pract. Besold. p.* 51. & HUBER. *in Prælection. ad tit. Inst. de L. Aquil.* §. 3. *p.* 453. quorsum etiam nutat BOOT *in Diss. de privil. Med. C.* III. §. 5. *p.* 46. Verum enim vero, quam imbelle primum sit argumentum, haud obscurum est, si perpendamus, nullius tantam debere esse auctoritatem, ut contra rationem aliquid valeat; ceu præclare demonstravit *V. Rev. Gerh.* KULENKAMP eleganti *Diss. de præjudicio auctoritatis*, quam Præside Viro Ampl. *Casp. a* RHEDEN, quum Is adhuc Gymnasium patrium Illustre ornaret, edidit. Nec magis ferit alterum, ex *Auth. Hodie C. de Judic.* depromtum. Dispar enim plane hic causa est, quum in *d. Auth.* Patronus caussarum prohibeatur, ne injustæ caussæ patrocinando adversarium jure suo exuat, in hac autem quæstione Medicus nemini noceat, ægrotanti vero forsan prosit: Ille versatur in caussa illicita, hic in justissima, quin in ea, ad quam vi officii & conscientiæ obligatus est; ut adeo prorsus nesciam, quorsum Dietherro, hæc obmoventi, abierit ingenium. Conf. RHET. *Diss. de Medic. C.* I. §. 18. &, qui huic subscribit, KRESS.

in not.

in not. ad Conſt. Crim. Car. Art. 134. §. 4. *not.* 2. *p.* 382. Exadverſus contrariæ ſententiæ neutiquam firma deſunt præſidia. Quum enim Medicina ſit ars, non ſcientia, ceu jam ſupra §. IV. indicavimus; quin ipſis fatentibus Hippocrate, &, Pontificis quondam Romani Archiatro, ZACCHIA *Quæſt. Med. leg. L.* IV. *T.* 1. *Q.* 5. *N.* 6. *ſeqq.* (quibus ARNOB. *adv. Gent. L.* 1. *p.* 28. illam *artem ſuſpicabilem, & conjecturarum exiſtimationibus nutantem*, vocans, ſuffragatur,) ea nihil omnino certi unquam poſſit prævidere, neque prædicere, ſed omnia ſola conjectura aſſequatur, & ex trito illo:

Nulla quidem veſtri tam regula firma Galeni,
Quam non interdum curva refellat anus;

certe potior illorum mihi videtur eſſe ſententia, qui cum SENEC. *de Clement. L.* 1. *c.* 17. *mali Medici eſſe, deſperare, ne curet*, arbitrantur. Et in hanc partem propendent NOODT *lib. ſing. ad L. Aquil. c.* 8. *Opp. T.* 1. *p.* 150. SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* 1. *Q.* 32. *N.* 7. QUESTEL. *de pulvin. morient. non ſubtrah. c.* 2. §. 6. *p.* 25. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 6. *N.* 1. *ſeqq.* & 17. & *Q.* 7. *N.* 28. & 30. *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 15. cui vel inde quoque novum accedit pondus, quod Medicus etiam invitos, quin illud PLINII *L.* II. *Ep.* 20. *p.* 148. *Quousque miſerum cruciatis: Quid invidetis bonam mortem, cui vitam dare non poteſtis?* obſtrepentes, ſiquidem fieri poteſt, valetudini teneatur reſtituere; v. QUESTEL. *Diſſ. de pulvin. morient. non ſubtrah. c.* 2. §. 7. *p.* 26. SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* 1. *Q.* 32. *N.* 6. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. Tom.* III. *Conſ.* 71. *N.* 7. & 39. quanto magis volentes, & cum Comico, *Serva me obſecro*, obteſtantes? Ex his vero in unum collectis confici puto, Medicinam ne depoſitis quidem denegandam eſſe; id quod animus erat evincere.

§. X.

Addo denique illud, quod ipſa Jura noſtra notant, graviſſimum diſſolutæ negligentiæ genus, iſti quodammodo adfine, ſcilicet, ſi recte quidem ſecuerit, ſed ſine juſta cauſſa dereliquerit curationem, per *§. 6. Inſt. de L. Aquil. & l. 8. pr. ff. eod.* Sive enim Medicus illa conditione ſit, ut a curæ initio non adeo fuerit neceſſitatis eam in ſe ſuſcipere, puta, ſi plures ordinis Medici commode haberi potuerint, ſive invitus ſanationi ægrotantis ſe debuerit accingere, (Conf. quæ §. VII. dicta ſunt) nunquam tamen illam deſerens culpa vacat. Sin enim poſterius ponas, tum ſane eodem vinculo ad curam perficiendam obſtrictus eſt, quo ad ejus inchoationem obligatus erat. Sin prius arripere malis, conſtat, bene multa, quæ ab initio voluntatis erant, poſtea neceſſitatis fieri, per *l. 17. §. 3. ff. Commod.* & nihil actum eſſe credi, dum aliquid addendum ſupereſt; per *l. 11. C. de his quib. ut indign.* adeoque Medicum culpæ non ſolum reum eſſe, ſed & mortis cauſſam præbere videri. Atque his quidem ex rationibus non eſſe apparet, cur factum illud Alexandri M. dum Glaucum Medicum, qui adamatum ſuum Hephæſtionem, ut ſpectaculis intereſſet, deſeruerat, in crucem agi juſſit, teſte PLUTARCH. *in Alex. Vitar. T. III. p.* 1292. tantopere, ceu vulgo & perperam fit, exagitetur. Nec magis video, quibus ficulneis fundamentis Canonum DD. illam Pontificii Juris doctrinam ſuperſtruere poſſint, qua a Medico exigunt, ne cum ægrotante, ſi animæ Medicum, ſeu Clericum, accerſi nolit, rem habere pergat, v. *a* REJES *in Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 13. quum, quod ſupra §. VII. jam dictum, Medicum etiam ſceleratis opem ferre oporteat. Conferantur ad ea, quæ hactenus expoſuimus, NOODT *lib. ſing. ad L. Aquil. c.* 8. *Opp. T.* 1. *p.* 150. SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* 1. *Q.* 13. *N.* 5. GONZAL. *a* TELLEZ *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 7. *Opp. T.* 1. *p.* 483. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 6. *N.* 1. *ſeqq.* qui omnes in eo conveniunt,

veniunt, quod & Jura nostra disertissime sanciunt *§. 6. Inst. de L. Aquil. & l. 8. pr. ff. eod.* Medicum hujusmodi, si ob id homo mortuus, damnumve ei illatum sit, culpæ reum intelligi, quamvis nec id negaverim, posse accedere momenta, quæ illum ne a dolo quidem excusent. v. HUBER. *Prælect. ad tit. Inst. de L. Aquil. §. 3. p.* 453. Pleraque enim Medicorum delicta naturæ quasi hybridos sunt, atque ita comparata, ut sæpius caussæ quædam ea mox ad imperitiam, mox ad negligentiam, mox ad perfidiam trahant. Ejus sane generis & illud nonnullorum Medicorum vitium est, qui morbos verbis aggravant, & levissimos valde ancipites pronunciant. Licet enim plurimum forsan id eo fieri soleat animo, ut ex sanatione vel majorem laudem, vel lautiora aucupentur præmia; contingere tamen potest, ut idem vel ex Medici incuria, vel inscitia, originem ducat. Scite eam in rem *S.* ZENO *in Serm. de livore & invid. Ostendere*, inquit, *ægro magnitudinem morbi, & per hoc concitare ejus solicitudinem, ne languoris vim negligat, pars videbitur medicinæ. Verum si in hoc eum reliquerit gradu, nec remediorum ostenderit viam, nihil aliud est, quam salutem prodidisse languentis.* v. GONZAL. *a* TELLEZ *in c. 7. X. de ætat. & qualit. & ordin. N. 7. Opp. T. 1. p.* 483. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L. VI. T. 1. Q. 3. N. 12.* Nec alterius indolis illud Medicorum flagitium est, dum morbum protrahunt, vel plane irritant, quum & hujus ipsius aut artis ignorantia, aut imprudentia fons esse possint, licet haud raro, sive id agant, ut majore gloria sanasse censeantur, sive in id incumbant, ut diutius ægrum in reditu habeant, dolus malus subesse soleat. Prius innuit SENECA *de Benef. L. VI. c. 36. Gravissima infamia est*, ait, *opus quærere Medici. Multi quos auxerant morbos & irritaverant, ut majore gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.* Utrumque significat TERTULLIAN. *adv. Marcion. L. 1. c. 22. Quid de tali Medico*, quærit, *judicabis, qui nutriat morbum, mora præsidii: & periculum extendat dilatione remedii, quo pretiosius & famosius curet?* Et huc quoque aliqua

ex

ex parte collineat *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* de qua infra fusius dicendi erit locus. Ad ea, quæ modo diximus, consulantur RHET. *Diff. de Medic. C.* II. *N.* 20. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 6. *N.* 10. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* XVIII. §. 139. *p.* 393. *seq.*

§. XI.

Sic igitur præcipua imperitiæ & negligentiæ, quæ in Medicum cadunt, genera, nec tamen omnia, lustrasse existimamus. Iis autem attentius expensis, parum, fateor, arridet DD. quos circa finem §. V. laudavimus, non satis concinna sententia, Medici officium forense his quatuor virtutibus absolvi arbitrantium, videlicet: I.) ne limites professionis excedat, 2.) ut artem, quam profitetur, calleat, 3.) ut ne in curando sit negligens, 4.) ut ægroto præscribat regimen circa noxia; quibus RHET. *de Medic. C.* II. *N.* 20. quintam, modo explicatam, addit, puta, ut ne malum protrahat & augeat. Quandoquidem vero, si ex iis, quæ plurimum contingunt, argumentum ducere velimus, prius criterium quasi forma & pars alterius est, quemadmodum quartum tertii, ultimum autem non raro dolo proximum, hujus adhæc nulla prorsus facta mentio; hinc manifestum esse censeo, quam parum adæquata ista sint postulata. Quis enim rem in totum & partem dispescere sustineret? Commodius, mea quidem sententia, quam jam supra §. II. proposui, imperitia, negligentia & dolus Medico vitio vertuntur, & tria tantum, eaque reliqua omnia, quæ possunt esse innumera, Medicorum peccata ambitu suo excludentia, ab eo exigi videntur, peritia nempe, diligentia, & fides. Sin itaque nec inscitia, nec incuria, nec perfidia, (de qua statim differetur) aberraverit, officio suo fecisse satis existimandus est, neque esse credo, quod ei imputetur. Et eam quidem in partem accipienda puto, quæ in proverbio sunt, illa PHILEMONIS apud STOBÆUM *Ecl.* 100.

Μόνο

Μόνῳ δ' ἰατρῷ τοῦτο καὶ συνηγόρῳ
Ἔξεστιν, ἀποκτείνειν μὲν, ἀποθνήσκειν δὲ μή.

Soli autem Medico hoc & caussarum Patrono
Licet, occidere quidem, nec tamen interfici.

de qua parœmia videndi sunt TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 423. *seq.* ERASM. *in Adag. p.* 541. PEISKER. *in ind. de vern. & rer. Germ. sign. p.* 13. Hanc vero sin ita, quemadmodum oportet, recte intelligas, manifesta sane æquitatis nititur ratione; atque tantum abest, ut notari mereatur, ut potius Juri nostro planissime sit consentanea. Neque enim Persarum, quorum Regis Archiater, Hakin-Bachi vocatus, ejus obitum plurimum capitis supplicio expiare cogitur, v. SANSON *Voyage ou Relat. de l'Et. pres. du Royaume de Perse Part.* I. *p.* 36. mos ferendus esset, aut barbarorum servorum, Zerbum, Schanderbassam intercute morbo liberare non valentem, trucidantium, atque ita Domini Manibus Medici sanguine parentantium, ceu ex Jovio NEAND. *de Med. nat. p.* 151. *seq.* narrat, sine nota prætermittendum foret scelus, ni & nostros intra muros hac in caussa esset peccatum. Annales quippe fidem faciunt, Petri Medicis auctoritate Leonium, a Lud. Sfortia in invidiam adductum, quod patrem suum Laurentium valetudini non restituisset, puteo mersum esse; v. JOVIUS *in Elog. milit. viror. L.* IV. *p.* 189. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 14. NEAND. *de Med. nat. p.* 146. *seq.* sicuti HAGEC. in der Böhmisch: *Chron. Part.* II. *p.* 409. *ad a.* 1336. auctor est, Johannem Bohemiæ Regem Medicos, quorum opera visum recuperare non poterat, in aquis suffocari jussisse. Conf. ZEILLER. Histor. Sendschr. *Cent.* I. *Ep.* 96. *p.* 277. REINHARD. *Theatr. prudent. eleg. ad Lipsii Polit. L.* IV. *c.* 12. §. 38. *not.* 3. *P.* II. *p.* 1397. *seq.* Sed quam malo exemplo hi eventum ad vota aptarint, judicent alii; quum defuturi essent, qui suaderent, si male suasisse, quod

CURT. *L.* III. *c.* 8. ait, periculum foret. Et illud quidem, si unquam alias, certe in Medicina, quum non solum ea ipsa ars, nec scientia, magnamque partem in conjecturis, quod supra §. IV. & §. IX. jam monuisse meminimus, posita sit, atque mortis necessitas omnes teneat, & præterea casus, seu eventus a divina pendens providentia, qui evitari nequit, a nullo præstetur, per §. 3. *Inst. de L. Aquil. & l.* 23. *ff. de R. J.* obtinere oportet quam maxime. Hinc vero, ut HIPPOCRATIS *de Art. c.* 14. sententiæ (ait autem: οὗτος δὲ μοι λόγος καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων, ὅσα τῇ ἰατρικῇ ξυνεργεῖ, ὧν ἁπάντων, φημὶ, δεῖν ἑκάστου μὴ κατατυχόντα τὸν ἰητρὸν τὴν δύναμιν αἰτιᾶσθαι τοῦ πάθεος, μὴ τὴν τεχνήν, *idem vero sermo mihi est de cæteris, quæ Medicinæ operationibus inserviunt; quorum omnium quemque felicem* eventum *si non adsequitur Medicus, dico in morbi vehementiam*, non in artem *caussam rejiciendam.*) suffragantis Ulpiani in *l.* 6. §. 7. *ff. de off. Præs.* æqua sit sanctio, *imputari Medico eventum mortalitatis non deberi*, abunde arbitror esse perspicuum. Hem! quam convenienter ad rem præsentem loquitur QUINTIL. *Inst. Orat. L.* I. *c.* 18. *Tendit quidem*, inquit, *ad victoriam qui dicit; sed cum bene dixit, etiamsi non vincat, id quod in arte continetur, effecit: nam & gubernator navis vult salva nave in portum venire; si tamen tempestate fuerit arreptus, non ideo minus erit gubernator; dicamque notum illum, dum clavum rectum teneat: & Medicus sanitatem ægri petit, si tamen aut valetudinis vi, aut ægri intemperantia, aliove casu summa voti non contigerit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ finem non excedit.* Rectissime itaque cum SENEC. *de Benef. L.* VII. *c.* 13. in *d. l.* 6. §. 7. *ff. de Off. Præs.* JCtus noster judicat, *Medicum, si omnia fecerit, ut sanaret, peregisse partes suas*, nec quicquam ei vitio verti posse; ut ergo jure optimo aliter sentientibus illud Poëtæ:

Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat;

impre-

imprecentur Medici. Jungantur hactenus dictis, quæ in hanc rem exquisite SPANHEM. *in Observ. ad Juliani Orat.* I. *p.* 181. & GONZAL. *a* TELLEZ *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 8. *Opp. T.* 1. *p.* 484. differuerunt, quibus LAUTERBACH. *in Comp. Jur. ad tit. ff. ad L. Aquil. p.* 144. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 495. & 565. SATTLER. *in Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 26. & 32. VINN. *in Comm. ad* §. 6. & 7. *Inst. de L. Aquil. N.* 1. *p.* 737. aliique non pauci addi possunt.

§. XII.

Quemadmodum autem §. *anteced.* diximus, Medicum casum, si neque ejus peritia, neque diligentia, desideratur, non præstare, ita, si vel incuria vel ignorantia quid admisit, utique culpæ reus est, & ex quasi delicto tenetur, per ea, quæ §. 11. tradidimus. Dispiciendum hinc est, quænam eam in rem in Jure nostro prodita actio, & quodnam hujus sit fundamentum? Nascitur vero jus agendi contra Medicum (de dolo deinceps dicetur) vel ex inscitia, vel ex negligentia, quas Jura Romana in hac caussa plane ἀνομαλῶς vero delicto comparare, ob *pr. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc.* & §. 9. *Inst. de L. Aquil.* ad unum fere omnes hactenus sibi persuasere. Sed si id, quod res est, fatendum, non sane esse videtur, cur WISSENBACH. *in Disp. Jur. Civ. Disp.* XLIII. *Th.* 22. *p.* 339. & HUBER. *in Eunom. Rom. ad L.* IX. *ff. p.* 402. *seqq.* nec ipsi ab errore immunes, certatim *Ant.* MATTHÆUM tantopere exagitandum censuerint, quod in *Disput. Fundam. Jur. Disp.* IX. *Th.* 33. inique illud comparatum esse putaverit, judicem per imperitiam male judicantem in quasi delictum, Medicum indocte secantem in verum incidere. Videamus ergo, quomodo ejus adversarii se expediant. Adserit Wissenbachius, discriminis hujus rationes reddi posse, si non adeo usque solidas, & quæ plus quam necessitate Geometrica nitantur, tamen probabiles. Sed quænam, quæso, illæ? Ejus rei ne γρῦ quidem apud ipsum reperias. Nihilo

tamen minus eo procedit, ut Duareni duriora certe, licet non omnino falsa, verba; *Quibus non satisfaciunt hæ rationes, non sunt apti ad tractationem civilis sapientiæ. Ineptum est in hac scientia quærere* ἀποδείξεις, in Præceptorem quondam suum non dubitaverit transferre. Sed ita sane evenit iis, qui suas tantum hypotheses & eunomias Romanas cœco impetu unice deosculantur. Quid ad hæc Huberus? Profert rationes, quibus secum uti solitum fuisse Wissenbachium affirmat, quarum prima illa est, quod *Medici professio sit privata & voluntaria, ad quam ex arte præstandam perfecte teneatur & se devinxerit, cum ex adverso judicandi munus sit publicum, & invitis imponi queat, l. 1. de Vacat. & Excus.* Quod vero officium Medici Justinianeo & jam antecedente ævo fuerit privatum & voluntarium, id quidem & nego & pernego. Præter enim ea, quæ §. VII. hunc in finem jam prælibavimus, unicuique, cui *l.* 239. §. 3. *ff. de V. S.* expendere lubuerit, statim patescet, non adeo exploratum videri, Medicorum munus non esse publicum. Ita enim ibi Pomponius: *Munus publicum est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos universosque cives, remque eorum, Imperio Magistratus extraordinarium* (ita enim in Florentinis est, v. WISSENBACH. *in Man. ad tit. ff. de V. S. Disp.* XLV. *Th.* 4. *p.* 709.) *pervenit.* Ut liberalis sim, cœteros Medicos missos faciam, & solos Archiatros, atque eos, qui intra numerum erant, in exemplum producam. Nonne illorum officium erat officium privati hominis? Nonne ex eo commodum ad singulos universosque cives, remque eorum, perveniebat, quum Impp. diserte sancivérint, ut Medici, si circa operationem negligenter se habeant, a Republ. reprobari & immunitatibus privari possint, per *l.* 6. §. 4. & 6. *ff. de Excusat.* & *l.* 11. §. 3. *ff. de muner. & honor.* & ut, ob annonaria, quæ ipsis ministrabantur, commoda, tenuioribus magis honeste obsequantur, quam divitibus turpiter serviant, per *l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* Denique nonne hoc officio Imperio Magistratus defunctos eos esse dices, quum nemo illorum de immunitate fructum haberet, nisi decreto

decreto Senatus inſcriptus eſſet numero conceſſo, per *l. 6. §. 4. ff. de Excuſat.* quumque, priusquam Medicorum vel Archiatrorum commodis fruerentur, ab Ordine probari & decretum Curialium mereri deberent, per *l.5. Cod. Theod.* & inde derivatam *l. 7. Cod. Juſtin. de Prof. & Med.* atque arg. *l. 10. eod.* quæ omnia infra Sect. 11. copioſius exponere animus eſt. Quodnam autem munus publicum dices, ſin hoc non dices? Nec in eo minus a vero aberrat Huberus, dum & inde rationem, quare hæc actio ex vero delicto, ut quidem cenſet, naſcatur, petendam exiſtimat, quod Medicorum officium fuerit voluntarium. Hoc enim utique contra omnem legum fidem eſt, quum vix ſit, quod monuerimus, Medicos negligentes immunium numero potuiſſe ejici, & Archiatris ideo annonaria commoda largita eſſe, ut nec pauperioribus operam denegarent. Ergone eorum officium Triboniani ævo erat voluntarium? Quid quod, fac, quæſo, Medicum, qui ſolus in loco aliquo erat, curam ægroti deſeruiſſe: hunccine, quum in culpa eſſet, per *l. 8. pr. ff. ad L. Aquil.* & ea, quæ §. x. diximus, officio judicis ad illam perficiendam adigi potuiſſe putas? Quid vero, ſi tum invitus vel imperitia peccaret, vel negligentia? Dicendum itaque eſt, ſin Huberi admittere velis ratiocinium, eos, qui in munere publico erant, Medicos, aut qui inviti curam vel ſuſcipiebant vel perficiebant, verum delictum non admiſiſſe, adeoque vel alia, quam reliqui, vel nulla conveniendos fuiſſe actione. Non alia, ſiquidem ea de re in Jure noſtro altum eſt ſilentium, nec nulla, quum abſonum foret, his licuiſſe impune in valetudinem & vitas hominum graſſari. Secundo loco Huberus eam quoque Wiſſenbachii in medium affert rationem, *quod dignitas major ſit judicis, quam Medici;* at ipſe ſua ſponte fatetur, *proferri hoc quidem, ſed ad meritum quæſtionis pertinere non videri.* Verum non ea ratio huc non ſolum non pertinet, ſed &, ſi Juſtiniani ævum ſpectemus, omnino falſa eſt, ceu pluribus, ſin id inſtitutum noſtrum ferret, nullo negotio poſſet evinci. Poſtremo addit: *Forte magis hæc ratio: Medici culpa damnum*

 corpori

corpori hominis infligit, quod est atrocius, quam præjudicium in caussa patrimoniali. Quasi vero nec judex de pœna corporis alicui infligenda, de decernendis quæstionibus seu tormentis, de vita & capite hominis imperite judicare, atque ita reo a jus dicente æque atrox, ac ægroto a Medico, damnum posset inferri?

§. XIII.

Quandoquidem itaque Huberi rationes Matthæi dubiis minime satisfaciunt, sed ingenue illud potius dandum est, quod, sin Medici negligentia & imperitia verum delictum sit, vix caussam extricare liceat, cur judex imperite judicans quasi delictum committere dicatur; hinc periculum faciam, an alia via Romanæ eunomiæ consuli possit. Ego quidem ita censeo; imperitiam & negligentiam Medici, non minus ac judicis, quasi delictum esse. Quod ut eo ostendatur distinctius, rem paullo altius repetendam esse existimo. Lata sane lex Aquilia, quæ Medicorum coërcuit inscitiam & incuriam, videtur a L. Aquilio P. F. L. N. Gallo Tribuno plebis A. U. C. DLXXII. quæ post Pighium elegantissima & vero proxima HEINECC. *in Syntagm. Antiq. Rom. L.* IV. *T.* 3. *§.* 4. *p.* 182. *seq. in Elem. ff. P.* 11. *§.* 181. *p.* 249. *& in Opusc. Varior. Syll. Exerc.* XXII. *p.*770. & Huic suffragantis ESTOR. *in animadv. ad Ejusd. Elem. Jur. Civ. sec. ord. Inst. ad §.* 1080. *p.* 481. est conjectura; a qua & parum alienus videtur NOODT *in lib. singul. ad L. Aquil. c.* 1. *Opp. T.* 1. *p.* 137. Ejus non unum fuisse caput, indubium est, quorum tamen primi & tertii argumentum tantum ex legis hujus, quæ supersunt, fragmentis certo cognoscere licet. In iis vero de Medicorum imperitia & negligentia quoque, forsan, quoniam Archagathus, quod C. II. §. XXII. narravimus, urendi & secandi sævitia (unde & plurimum in legibus, quæ huc spectant, Medici secantis mentionem fieri suspicor) Populi Romani circa idem tempus, aut paullo ante, in se provocaverat odium, cautum esse, ex *l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* confirmatur

firmatur luculentissime. Illa autem multo magis anceps est quæstio: Num damnum, culpa datum, in quod lex Aquilia animadvertit, ad vera tantum delicta pertineat, nec ne? Istud certe non LAUTERBACH. *in Colleg. Theor. Pract. ad tit. ff. de privat. delict.* §. 8. *T.* III. *p.* 928. solum, atque MATTHÆUS, HUBERUS & WISSENBACHIUS, locis *§. anteced.* laudatis, sed omnes fere DD. & JCti hactenus strenue propugnarunt; donec primus, quod sciam, *Ott.* TABOR *Partition. Jurispr. method. Part.* IV. *Sect.* I. *Th.* 13. atque post hunc THOMAS. *in schol. ad Huberi Prælect. in Inst. tit. de L. Aquil. §.* 3. *p.* 453. & in *Philosoph. Jur. §.* 143. nec non *V. Cel.* HEINECC. *in Elem. Jur. Civ. sec. ord. Inst. §.* 1081. *in schol.* communem errorem in dubium vocare inceperint. Omnino repugnat ille Juris analogiæ manifestissime, quippe cum in *pr. Inst. de obligat. quæ quasi ex del. nasc.* & *l.* 6. *ff. de extraord. cognit.* judex imperite judicans ideo quasi ex delicto teneri dicatur, *quia neque ex maleficio neque ex contractu obligatus est, & utique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam*, & in *§. ult. eod.* exercitor quasi maleficium afferatur committere, quoniam *aliquatenus culpæ reus est.* Est itaque tam certum, quam quod certissimum, quasi maleficium ex culpa, quæ proæresi caret, proficisci. Ne autem in L. Aquilia anomaliam obtinere putes, vetat bella illa *V. Ampl.* BYNKERSHOEKII *Observatt. Jur. Rom. L.* I. *c.* 13. *p.* 61. *seq.* observatio, puta actionem de dejectis ex L. Aquilia esse. Id planis & disertis verbis Mucii auctoritate testatur Paulus in *l.* 31. *ff. ad L. Aquil.* quamvis nec desint alia momenta, quæ idem suadeant. Sin vero de dejectis & effusis actio ex L. Aquilia fuit, indubium est, de quasi maleficiis eam etiam sanxisse, cum ista inter quasi maleficia expressissimis verbis in *§.* 3. *Inst. de oblig. quæ quasi ex del. nasc.* connumeretur. Nova & inde accedit caussa, quod supra §. III. jam dictum sit, Medicum præstare culpam levissimam: ex culpa vero levissima, quæ a casu propius abest, ceu exemplo *l.* II. *pr. ff. ad L. Aquil. ibidem* illustravimus,

verum

verum delictum nasci, qui vel unico docebit exemplo, vix, credo, erit. v. HEINECC. *Elem. Jur. Civ. sec. ord. Inst.* §. 1081. *in schol.* Nec contra facit, quod in *pr. Inst. de Obl. quæ ex del. nasc.* damnum injuria datum inter vera maleficia connumeretur, & in §. 3. *Inst. de L. Aquil.* tum ex dolo, tum ex culpa, hac lege quemque teneri dicatur, quum, a potiori denominationem fieri, probatione non indigeat. Rem tamen exemplo declarabo: Nonne judex male judicans per imperitiam quasi delictum committere dicitur in *pr. Inst. de oblig. quæ quasi ex del.* An vero, si dolo male judicet, eum ideo non veri maleficii reum esse perhibebis? v. *l.* 1. *pr. ff. ad L. Corn. de Sic.* Conf. CUJAC. *ad Pauli Sent. Recept. L.* v. *T.* 23. §. 10. Par ratio in Medico est. Num eum, quia, si quid perfidia egit, vere delinquere dicitur, idcirco, si incuria vel ignorantia peccavit, quasi maleficium, contra omnem Juris rationem, admittere negabis? Fateor certe, HUBER. *in Prælect. ad Inst. tit. de L. Aquil.* §. 3. *p.* 453. jactare, *damnum L. Aquiliæ esse verum delictum, quia πραγματικῶς a Juris Auctoribus ita traditum atque inculcatum est.* Sed ubi id traditum sit, nec indicavit, nec, si de omni damno L. Aquiliæ intellexit, unquam, credo, demonstratum dare potuit. Neque est sane, unde hic natus videtur error, ut in Jure nostro verissimas veritates obnoxio animo quæramus, & in omnes juris apices juremus, aut cuncta suo loco disposita esse somniemus, quum, Philosophiam Triboniani non adeo argutam fuisse, bene multis probari posset exemplis. Ut unicum indigitem, quid magis absonum foret, quam si supremam hominum divisionem in ingenuos & libertinos esse diceremus, quoniam primo loco eam Tribonianus collocavit in Institutionibus; ut pluribus, quæ istam in rem dici possent, supersedeam. Cur itaque præter omnem necessitatem anomaliam hic fingemus, nec potius, propitia Themide, damnum culpa datum L. Aquilia quidem vindicari, nec tamen verum delictum esse, asseremus?

§. XIV.

§. XIV.

Poſtquam igitur de fundamento actionis contra Medicum, qui in culpa eſt, videlicet quaſi delicto, diſpeximus, proximum, ut indagetur, quænam ex eo naſcatur actio: *Proculus ait, ſi Medicus ſervum imperite ſecuerit, vel ex locato vel ex L. Aquilia competere actionem*, in *l.* 7. *§.* 8. *ff. ad L. Aquil.* Actio conducti vero, quam Proculus competere exiſtimavit, præcipue vel ad ſervilem quorundam Romanorum Medicorum conditionem, quippe quorum Domini, quum hæc actio ex quaſi maleficio ſit, noxali actione non poſſent conveniri, vel ad Medicos illos, qui certis familiis operam ſuam pro annua mercede addicebant, reſpexiſſe videtur. Ita enim de Q. Stertinio, Proculi æquali, quippe quem circa Tiberii tempora vixiſſe C. II. §. XXVIII. indicavimus, refert PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. *p.* 1276. illum *imputaſſe Principibus, quod H-S. quingenis annuis contentus eſſet: ſexcenta enim ſibi quæſtu Urbis fuiſſe*, numeratis domibus *oſtendiſſe*. Ejusmodi quoque Medicum familiarem innuere puto illam apud GRUTER. *Inſcr. T.* 1. *p.* DCXXXIV. *Inſcr.* 6.

D. M.

M. JUNIO. DIONYSIO
MEDICO. DE. LUCILLIANIS
TITULENA. JUSTA
CONJUGI. B. M. ET. SIBI
ET. SUIS. LIB. LIBERTABUSQUE
POSTERISQUE
EORUM

Hunc enim Genti Luciliæ, inter plebejas non incognitæ, v. *Fulv.* URSINI & PATINI *Fam. Rom. in Lucilia*, operam ſuam conſecraſſe, atque inde de Lucillianis nomen traxiſſe, nec ſervum fuiſſe, ob ea, quæ C. II. §. XXV. dicta

 ſunt,

ſunt, facile eſt, ut mihi perſuadeam. Quum autem locatio & conductio non intelligeretur, niſi de mercede conventum, per *l.* 2. *pr. ff. Locati*, at merces proprie operariorum eſſet, v. BRISSON. *de V. S. L.* XI. *p.* 621. *& ſupra C.* I. §. XII. ac inter tales perſonas, qui magis operam beneficii loco præbent, veteres locationem non eſſe crederent, per *l.* 1. *pr. ff. Si menſ. falſ. mod. dix.* (unde Conſtantinum M. Imp. in *l.* 6. *Cod. de Prof. & Med.* & Ulpianum in *l.* 1. *pr. ff. de extraord. cognit. mercedis* vocabulo abuſos eſſe videtur) v. BRISSON. *de V. S. L.* VIII. *p.* 409. ROBERT. *rer. judicat. L.* 1. *c.* 5. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 7. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 39. *p.* 289. hinc illa Proculejana conducti actio mature in deſuetudinem abiit. Certe, ne Ulpiani quidem tempore amplius videtur fuiſſe frequentata, ſiquidem tunc jam Medicis de honorario extra ordinem jus dictum eſt, per *l.* 1. §. 1. *& ſeqq. ff. de extraord. cogn.* quod alias actione locati petere debuiſſent. Quin eo minus illum, cui damnum datum, actione conducti experiri voluiſſe probabile eſt, quippe cum ea, quæ ex L. Aquilia erat prodita, multo eſſet pinguior, utpote mixta, per §. 9. *Inſt. de L. Aquil.* & §. 19. *Inſt. de Act.* quum contra hæc rei tantum ſit perſequutoria, per §. 17. *Inſt. de Act.* Videtur enim Aquilius eodem capite primo, quo de alieno homine alienave quadrupede occiſis caverat, de Medicorum etiam imperitia ſanxiſſe, quum & hi ipſi *occidere* antiquis dicerentur. Ita de Themiſone, cujus parum felices in medendo erant ſucceſſus, JUVENAL. *Sat.* X. *v.* 220. ait:

Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit *uno*,

de cujus vocis ſignificatu eleganter diſſerit NOODT *in lib. ſing. ad L. Aquil. c.* 9. *Opp. T.* 1. *p.* 150. *ſeqq.* Non tamen Medicus *occidere* dicebatur, niſi corpore & in corpus damnum daret, v. g. ſi imperite ſecaret, vel per vim aut ſuaſum medicamentum alicui infunderet, vel ore, vel clyſtere, aut ungeret malo

malo veneno, ſiquidem tunc demum L. Aquilia tenebatur, per *l. 7. §. ult. l. 9. §. 1. ff. ad L. Aquil. & §. ult. Inſt. eod.* v. VOET. *in Comm. ad ff. tit. ad L. Aquil. N. 23. p.* 547. Sin autem mortis tantum cauſſam præbuiſſet, v. g. venenum pro medicamento dans, puta, ut ſibi ipſi æger offerret, tunc non ex L. Aquilia, ſed in factum, actio contra illum dabatur, per *l. 7. §. 6. ff. ad L. Aquil.* & arg. *l. 9. pr. & §. 1. eod.* Denique ſi e. c. ſervo quid perſuaſiſſet, unde alio modo damnum oriretur, utili actione L. Aquiliæ conveniendus erat, arg. *§. ult. Inſt. de L. Aquil.* Tantæ Juris Romani circa hanc actionem erant ambages, quas THOMAS. tum *in ſchol. ad Huberi Prælect. ad Inſt. tit. de L. Aquil. §. 7. p.* 456. tum *in Philoſoph. Jur. §.* 149. & SCHILTER. *in Prax. Jur. Rom. Exerc.* XIX. §. 60. virgula cenſoria notarunt. Num recte an ſecus factum, aliorum eſto judicium.

§. XV.

Porro, quum hac actione non ſemper verum rei, in qua damnum datum, pretium peteretur, ſed quandoque aliquid amplius, ſcilicet: *Quanti id eo in anno plurimi fuerit*, per *§. 9. Inſt. de L. Aquil.* quam formulam expedivit NOODT *in lib. ſing. ad L. Aquil. c. 12. Opp. T. 1. p.* 158. *ſeq.* hinc *ea ratione* creditum eſt, *pœnalem eſſe hujus legis actionem*, per *d. §. 9.* Quoniam tamen *interdum* & *aliquando* tantum plus hac actione conſequi licebat, hinc rectius mixta vocatur, per *§. 19. Inſt. de Act.* v. WISSENBACH. *Diſputatt. Jur. Civ. Diſp.* XLII. *Th.* 18. *p.* 329. & THOMAS. *in Diſſ. de larva L. Aquil. act. de damn. dat. detr. §. 21. ſeqq. p. 14. ſeq.* licet præter cauſſam contra ſentiant VINN. *ad d. §. 9. Inſt. de L. Aquil. p.* 737. ſibi ipſi tamen non ſatis conſtans *ad §. 19. Inſt. de Act. p.* 800. & HUBER. *in Eunom. Rom. ad Lib.* IX *ff. p.* 409. *ſeqq.* Dabatur vero hæc actio non Domino ſolum, per *l. 11. §. 6. ff. ad L. Aquil.* ſed cuicunque, cujus ex jure in re intererat, per *d. l. 11. §. ult. & l. 17. pr. ff. eod.* adeoque & heredibus & ſucceſſoribus, per *§. 1. Inſt. de perpet. & temp. act. & l. 23. §. 8.*

 ff. ad

ff. ad L. Aquil. quoniam hæc actio ſolum ad damnum vitandum, non vero ad vindictam, erat comparata. Conveniebatur autem ea Medicus, qui damnum dederat, nec tamen ejus heredes, per *§.* 1. *Inſt. de perpet. & tempor. act. & l.* 23. *§.* 8. *ff. ad L. Aquil.* quia aliqua ratione pœnalis erat, quæ contra transitura fuiſſet, ſi ultra damnum nunquam lis æſtimaretur, per §. 9. *Inſt. eod.* Sed nihilo tamen ſecius tranſibat, ſi vivis principalibus perſonis lis jam eſſet conteſtata, per *§.* 1. *Inſt. de perpet. & tempor. act.* & *l.* 26. *& l.* 58. *ff. de O. & A.* Et id quidem recte contra *Ant.* MATTHÆI *Coll. Inſt.* 1. *Diſp.* 18. *Th.* 10. defendit HUBER. *in Eunom. Rom. ad Lib.* IX. *ff. p.* 409. *ſeqq.* Conf. THOMAS. *Diſſ. de larva L. Aquil. act. de damn. dat. detr.* §. 24. *p.* 17. Condemnabatur denique in id, quanti is homo in eo anno plurimi fuiſſet, per *l.* 21. *pr. ff. ad L. Aquil.* aut, ſi ſua culpa damnum factum eſſe inficiaretur, in duplum, per *§.* 26. *Inſt. de Act.* At hæc actio tantum de damno ſervo a Medico dato ex L. Aquilia erat prodita. Sin enim Medicus culpa ſua libero homini damnum dediſſet, tum is, quoniam liberum corpus nullam recipere credebatur æſtimationem, (cui non obſtat *l.* 42. *ff. de Ædil. Edict.* v. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* XIX. *§.* 30.) directa L. Aquiliæ actione non poterat experiri, bene tamen ſuo nomine utili, per *l.* 13. *ff. ad L. Aquil.* & tunc ſane operarum amiſſarum & amittendarum pretium, &, ſi forſan æger alium inſuper Medicum adhibere neceſſum habuerit, ſoſtra & impendia in curationem erogata conſequi potuiſſe videtur, argum. *§.* 1. *Inſt. de Obl. quæ quaſi ex del. l.* 3. *ff. Si quadr. paup. fec. dic. & l. ult. ff. de his qui dejec. vel effud.* cujusmodi actionis ab adfinibus juvenis cujusdam motæ meminit GALEN. *Prognoſt. L.* I. *in princ.* v. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. Part.* I. *Diſp.* XXI. *Th.* 7. *p.* 251. STRYK. *in U. M. ff. ad tit. ad L. Aquil. §.* 19. *p.* 161. *ſeq.*

§. XVI.

§. XVI.

Sed longe aliter, ac Romani, philosophati sunt majores nostri, apud quos nunquam ultra veram æstimationem agi poterat, nec lis inficiando crescebat, v. THOMAS. *Diss. de larva L. Aquil. actioni de damno dato detracta* §. 38. *seqq. p.* 22. *seqq.* Præterea hi libero homini æque, ac mancipio, certum pretium statuebant, quod das Wehrgeld & die Busse vocabant, quorum alterum æstimatio damni sine interesse, alterum emenda parti debita pro injuria & doloribus erat, ceu illud *Gloss. Germ.* des LandR. *ad Lib.* III. *Art.* 45. *verb.* Zween Handschuch/ significat: Mit Busse beßirt man eynen Mann selbir/ unde mit Wergelde bessert man dem er biestet. Uti vero Wergeldum illud apud varias gentes erat varium, v. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* XIX. §. 14. *seqq. du* FRESNE *in Gloss. med. & inf. Latin. T.* III. *p.* 1399. *Ant.* AUGUSTIN. *Emend. Gratian. p.* 65. *seqq. ibique* BALUZIUM, GRONOV. *ad Grotii de J. B. & P. L.* I. *c.* 2. §. 5. *N.* 4. *p.* 35. ita per singulas ire nimis foret longum, & a scopo videretur alienius. Quum tamen non infima Germanici Juris pars a Saxonum moribus fluxerit, non prætereundum est, ex illorum Jure, si masculus occisus esset, viginti thaleros, sin fœmina decem, *Werigeldi* nomine solvendos fuisse. v. PHILIPP. *in U. Pract. Inst. L.* I. *Ecl.* 15. *N.* 7. COLER. *Decis.* 150. *N.* 6. CARPZOV. *Part.* II. *Const.* II. *Dec.* 5. Hoc itaque pretio olim apud Saxones Medicus culpam luere poterat, & longe apud eos tolerabilior ejus erat conditio, quam apud illas gentes, quæ genuinis majorum moribus Romani Juris nonnunquam adsuebant lacinias. Exemplo sit *Lex Wisigothorum*, quæ, quamvis alias parum Romani sapiat, in hac tamen caussa ejusmodi quid spirare videtur. Ita enim *Illa Lib.* II. *T.* 2. *l.* 6. de Medici culpa sancit: *Si quis Medicus, dum phlebotomiam exercet, ingenuum debilitaverit, C. solidos coactos exsolvat: si vero mortuus fuerit, continuo propinquis tradendus est, ut quod de eo facere voluerint, habeant potestatem, si vero servum debilitaverit,*

aut occiderit, hujusmodi servum restituat. In ea enim prius, pretium nempe debilitationis ingenui, Wergeldum, alterum ex Romanorum principio de libero homine æstimationem non recipiente, postremum ex illo L. Aquiliæ placito, quo servi occisi tantum erat pretium, quantum plurimi intra eum annum fuerit, natum videtur fuisse. Germani vero, quamvis usus werigeldi hodie fere exoleverit, & cum emenda (der Buße) coaluerit; v. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* XIX. §. 32. & 33. prisci tamen Juris adhuc servant reliquias. Quum enim werigeldum, ceu modo diximus, ipsa damni esset æstimatio, hinc, ex quo illi nuntius missus est, operarum cessantium non adeo exacta in Saxonia habetur ratio, sed earum loco major constitui consuevit emenda; v. CARPZOV. *Prax. Crim. Part.* II. *Q.* 99. *N.* 47. SCHILTER. *l. c.* §. 33. MULLER. *Diss. de pecun. dolor. c.* III. *Th.* 6. quumque hæc ad injuriam & dolorem pertineret, hinc est, quod hodieque, si Medici aut Chirurgi, quos peritos, non tamen juratos, esse oportet, v. HEIG. *Quæst. Illustr. L.* II. *Q.* 28. *N.* 65. DIETHERR. *Contin. Thes. Pract. Besold. p.* 51. arbitrentur, vulnus ab imperito Chirurgo neglectum esse, non inferens vulnus, sed imperitus Chirurgus residuum pecuniæ doloris, ex arbitrio Medicorum & Chirurgorum a Judice æstimandæ, præstet. v. MULLER. *Diss. de pecun. dolor. C.* III. *Th.* 7. Denique, quum werigeldum in Germania ab usu recessisse dixerimus, inde ejus loco hodie fere arbitraria, eaque multo æquior, æstimatio damni illati obtinet, v. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* XIX. *Th.* 33. in qua id quod interest, & præprimis operæ cessantes, atque, si ægrotans forsan alius Medici opem expetere debuit, sostra & expensæ in curationem factæ attenduntur. v. STRYK. *U. M. ff. ad tit. ad L. Aquil.* §. 19. THOMAS. *in Diss. de larva L. Aquil. act. de damn. dat. detract.* §. 54. *p.* 33.

§. XVII.

§. XVII.

In eo tamen recentiora Jura tum Romana, v. PAULI *Recept. Sentent. L.* V. *T.* 23. §. 19. tum majorum (apud quos itidem in damno culpa dato mulcta (die Wette) a judice exigebatur) instituta, quoad Medici culpam sequuta sunt, quod illam animadversione quoque publica dignam judicaverint. Nec id quidem injuria. Quum enim salutis publicæ intersit, ne delicta maneant impunita, & ex delictis non obligatio solum ad restitutionem, quantum fieri potest, sed & ad pœnam, nascatur, per definitionem §. 11. traditam, recte CAROLUS V. *Imp. in Const. Crim. Art.* 134. quum Medicos homicidium, non dolosum tamen, admittere censeret, verbis: So ein Artzt aus Unfleiß oder Unkunst / und doch unfürsetzlich jemand mit seiner Artzeney tödtet / huic quasi delicto pœnam etiam, a Republ. exigendam, irrogandam, nec sola læso applicanda hoc maleficium expiatum esse existimavit, ex quo etiam ratio redditur, cur, licet civilis actio ad interesse jam dijudicata sit, criminalis tamen persecutio non impediatur. v. BRUNNEMANN. *de conc. action. c.* 5. §. 8. Est tamen illa pœna minime ordinaria homicidii, quod nonnulli DD. volunt, v. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 138. *p.* 390. *seq.* BOOT *Diss. de privil. Med. c.* 3. §. 6. *p.* 47. sed, ex conditione admissi, arbitraria. Et id quidem planis verbis jubet *C. C. C. d. Art.* 134. Der soll nach Gestalt und Gelegenheit der Sachen / und nach Raht der Verständigen gestrafft werden. Unde magis est, ut huic sententiæ clara lege suffultæ subscribant DD. v. STRYK. *in U. M. ff. ad tit. ad L. Aquil.* §. 19. *ibique Respons. Facult. Francof. & in not. ad Lauterbach. eod. not.* 17. *p.* 369. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 23. & 34. BOOT *Diss. de privil. Med. c.* 3. §. 6. *p.* 47. *seq.* WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 138. *p.* 391. *seq.* SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 24. *tota*, *p.* 25. LATHER. *de Censu L.* III. *c.* 21. *N.* 52. *seq.* & 77. *p.* 1013. & 1018. Quemadmodum autem modi delicti admodum

dum ſunt varii, ita nec una eademque ſemper obtinet pœna. Sic Medicum, cœtera impunem, cum ſola comminatione ſeveræ animadverſionis, ni in poſterum mores ſuos mutaret, & cautius diſceret mercarier, dimiſſum eſſe, refert QUESTEL. *de pulvin. morient. non ſubtrah. c.* 2. *§.* 4. *p.* 23. Sed & iſti comminationi interdictum, ut vel ad tempus artis exercitio abſtineat, v. KRESS. *Comm. ad C.C.C. Art.* 134. *§.* 1. *not.* 3. *p.* 379. & MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 17. *p.* 169. vel, ne plane unquam illam iterum exerceat, quod præjudicio Curiæ Pariſienſis confirmat BOOT *in Diſſ. de privil. Med. C.* 1. *§.* 12. *p.* 13. *ſeq.* addi poteſt. Nec dubium eſt, quin & mulcta pecuniaria Medici & inſcitia & negligentia poſſit coërceri, v. KRESS. *l. c.* & BOOT *l. c. §.* 11. *ſeq. p.* 13. *ſeq.* aut, ſiquidem momenta, quæ duriorem pœnam ſuadent, accedunt, carcer irrogari. v. STRYK. *V. M. ff. ad tit. ad L. Aquil. §.* 19. Quin, ſi quis plane artis rudis illi ſe immiſcuerit, aut alia ſupinæ negligentiæ ſuperveniant indicia, ipſam plane exilii pœnam decerni poſſe, cenſent HEIG. *Quæſt. Illuſtr. L.* 11. *Q.* 26. *N.* 57. KRESS. & STRYK. *ll. cc.* WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doct. c.* 18. §. 139. *p.* 391. BOOT *in Diſſ. de privil. Med. c.* 3. § 6. *p.* 47. *ſeq.* & MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 17. *p.* 169. Conf. SCHULTING. *ad Pauli Sentent. Rec. L.* v. *T.* 23. §. 19. *p.* 522. Ulterius tamen, & ad pœnam corporalem, haud facile procedendum eſſe, defendunt MEIBOM. & KRESS. *cc. ll.* nec non ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 2. *N.* 1. quod tamen æque fallere poteſt, ſi talia adeſſe reperiantur argumenta, quæ reum valde aggravent, ceu denuo recte monet MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 17. *p.* 169. In ſumma illud ſi alicubi, hic certe vel maxime, tenendum eſt, in hac cauſſa haud parum æqui Judicis Religioni committendum eſſe, nec in arbitraria hac quæſtione omnia ad certam normam exigi poſſe. Illud Corollarii loco tantum adjicio, a Juris analogia, mea quidem ſententia, non alienum videri; quod, ſin Medicus, qui forſan imperite vel negligenter

genter curati heres futurus esset, culpa aliquid admisisset, nec peritiorem, quem in ampla Civitate utique accersi potuisse justa est suspicio, v. CARPZOV. *P.* III. *Const.* 26. *Def.* 4. *N.* 8. advocasset, is tunc æque, ac alii heredes, qui, medicamenta subtrahentes, aut expertum Medicum non adhibentes, tanquam mortis caussam præbentes hereditate privantur, v. STRYK. *ad Lauterbach. ad tit. ff. de his quæ ut indign. not.* 2. *p.* 1208. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 395. & 396. ex propria inscitia puniri possit, argum. *l.* 3. *ff. de his quæ ut indign.* nisi peristases pœnam augendam esse jubeant. Medicum enim plane non admittere, aut imperito ægroti valetudinem curandam demandare, paria sunt, & præstat nullo uti, quam malo. v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* v. *T.* 2. *Q.* 3. *N.* 10. *seq.*

§. XVIII.

Quoniam autem §§. *antecedd.* de Medicorum vel inscitia, vel incuria, peccantium obligatione, tum ad damni dati, quoad fieri potest, restitutionem, tum ad pœnam, dictum: reliquum est, ut disquiratur, num hæ actiones in tribunalibus nostris frequentis sint usus. Sin nihil dissimulare velimus, non licet ire inficias, nostris etiam temporibus id fere usu venire, quod PLIN. *H. N. L.* XXIX. *c.* I. conqueritur: *Nulla*, inquiens, *lex*, *quæ puniat inscitiam capitalem*, *nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris*, *& experimenta per mortes agunt: Medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est. Quinimo transit convitium*, *& intemperantia culpatur*, *ultroque qui periere arguuntur;* quem locum tamen ad L. Aquiliam pertinere negat NOODT *in lib. sing. ad L. Aquil. c.* 8. *Opp. T.* I. *p.* 150. Equidem Plinii verba in eum accipio sensum, ac si non defuerit illo ævo lex, qua imperitia adeo periculosa coërcita sit, siquidem L. Aquilia Plinium multis annis præcesserat, defuerint tamen exempla vindictæ, quum Medici ipsorum ægrotantium arguerint intemperantiam. Nec hodie valde dispar videtur esse ratio, & vix ullis

 caussis

caussis fora minus perstrepunt, quam actionibus de culpa Medicorum; etiamsi illud magis facti, quam juris, esse facile optimus quisque agnoscat. v. PUFENDORFF. *Introd. in Procesf. Crim. Luneb. c.* 25. §. 21. *p.* 212. HERT. *Epidipn. Parœm. Jur. Germ. Par.* 6. *Opusc. Vol.* II. *T.* III. *p.* 436. HUBER. *in Eunom. Rom. ad L.* IX. *ff.* §. 3. *p.* 404. At ejus quidem rei non una eademque caussa; nec parum tamen e re Medicorum est illud, quod in proverbio dicitur: Errores eorum terram tegere, merita Solem illustrare, v. PUFENDORFF. & HUBER. *ll. cc.* quod dicterium ex joco Socratis, institutum cujusdam, qui ex pictorum in Medicorum ordinem secesserat, laudantis, & *caute eam artem deseruisse, quæ errores suos haberet in aperto, eamque complexum esse, quæ illos terra tegeret*, dicentis, originem traxisse videtur. v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 440. At accedit huic caussæ & altera gravior adhuc ratio, scilicet, quod multiplices pro Medicis pugnent excusationes, quæ illos a culpa liberant. Inter has DD. recensent, tum quod in universum quilibet bonus credatur, tum præsertim Medicus, ut adeo nunquam suspicio sit, ejus culpa, vel ex medicamento, ægrotum occubuisse. v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* I. *N.* 4. Juvare etiam censent curas alibi feliciter gestas, & conjecturam, Medicum malo pharmaco proprio commodo non nociturum fuisse. Denique plurima ex caussæ visceribus eruta pro Medico allegari possunt, ipsa nempe medicinæ exhibitæ virtus, &, ceu vocant, dosis, præterea deficientia in cadavere signa, item nutans mortui valetudo, aut ejusdem intemperantia. Ad summam, sin Medicus forsan dubio, aut eousque ignoto, usus sit medicamento, haud parum ejus defensionem adminiculatur, quando ipse eo feliciter usus est, quemadmodum Herodicum Silymbrianum, phthisi laborantem, exercitationem hunc morbum infringere cognovisse, atque postea hoc remedio aliis multo prolixiorem reddidisse mortem, PLUTARCH. *de iis qui tarde a Num. corrip. Varior. Opp. T.* II. *p.* 983. fidem facit. Conf. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 134. §. 5. *p.* 382. *seq.*

§. XIX.

§. XIX.

Quandoquidem igitur adeo rara ſunt de Medicorum quaſi delictis, ex ipſa eorum indole, judicia; at non ſingulorum ſolum, ſed & publicæ quam maxime intereſt ſalutis, ne artis rudes medicinam faciant, ceu eleganti medicaſtri (qui Clerico, plane alio affecto morbo, medicamenta contra peſtem præparari juſſerat, eoque effecerat, ut vicina civitas commercium cum illa, quam lue infectam credebat, prohibere meditaretur) exemplo comprobat KRESS. *in Comm. ad C. C. C. d. Art.* 134. *§.* 2. *not.* 1. *p.* 380. Hinc Principis aut Magiſtratus præprimis incumbit curæ, cavere, ne promiſcue cuivis & quovis modo opus periculoſæ adeo plenum aleæ tractare ſit integrum. Et illam quidem in rem jam ſupra C. II. §. XXXIII. Valentiniani, Valentis & Gratiani Impp. ætatem laturas de Archiatrorum examine Conſtitutiones, quas in *l.* 8. *&* 9. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* integras, in *l.* 9. *&* 10. *Cod. Juſtin. eod.* autem mutilatas, reperire licet, exhibuimus. Horum preſſit veſtigia Rogerius I. utriusque Siciliæ Rex, & Salerni Princeps, dum lata deſuper lege proſpexit, ne Regno ſuo ſubjecti ex Medicorum periclitarentur imperitia. v. FRIDERICI II. *Conſtitutt. Sicul. L.* III. *Tit.* 34. Conf. CONRING. *Antiqq. Acad. Diſſ.* II. *p.* 54. Ejus tamen longe poſt ſe reliquit ſolicitudinem Friderici I. vel, quod magis eſt, Friderici II. Imp. providentia, quæ, ne dicam, illius cura bene multa ſcripta Medica ex Arabico idiomate Latina facta eſſe, v. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* LII. *p.* 349. eo præcipue illuxit argumento, quod non una lege de Medicina facienda & docenda ſanciverit, quas ex FRIDERICI II. *Conſtitutt. Sicul. L.* III. *Tit.* 34. profert CONRING. *Antiqq. Acad. Diſſ.* II. *p.* 54. *ſeqq.* & *Diſſ.* III. *p.* 101. *ſeqq.* At enim vero, quantumvis, quas memoravimus, Sanctiones digna laude neutiquam privandæ ſint; non tamen tantopere, ac CONRINGIUS quidem *l. c. Diſſ.* II. *p.* 56. *ſeq.* & ex Patini, acris illius artis, quam ipſe profitebatur,

censoris, epistolis REINHARD. *in Theatr. prud. eleg. ad Lipsii Polit. L.* IV. *c.* 12. §. 38. *not.* 3. *P.* II. *p.* 1397. (qui non inelegans etiam *ibid.* in Valoti ignorantiam epigramma adfert) faciunt, de illarum & similium neglectu jam lamentandum esse, mihi persuaderem, quum iste nuperis Seculis magis ad rem præsentem accommodatis Constitutionibus abunde sarcitus sit, &, quæ temporum est felicitas, Principes atque Magistratus plerique recentioribus Edictis saluti publicæ satis consuluerint. Taceo Gallias, ubi nemini sine prævio examine medicinam facere indulgetur, & Neapolitanum Regnum, in quo nulli Doctoralibus non decorato insignibus, aut absque Regiorum Ministrorum auctoritate, vulnerum vel morborum curam licet suscipere: v. HERT. *Diss. de inspect. oculari* §. 30. *Opusc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 257. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 12. *§.* 72. *seq. p.* 198. *seqq.* ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 7. *N.* 3. quum & in Germania nostra tum universi Imperii placita circa medicæ artis salutarem usum occupata fuerint, quemadmodum SIGISMUNDI *Imp. Reform. Basil. Part.* 2. *Tit.* II. & FERDINANDI I. *Imp. Reform. Polit. d. a.* 1552. v. GOLDAST. *Parad. de hon. Med* §. 35. *&* 39. docent, quibus *Ordinat. Polit. d. a.* 1548. *Tit.* 33. & *illa d. a.* 1577. *Tit.* 34. nec non *Rec. Imp. Ratisbon. d. a.* 1598. §. 45. addi possunt, tum fere in singulis Provinciis idem, legibus istam in rem conditis, prudentissime cautum sit. v. HERT. *l. c.* Ita sane in terris Brunsvico-Luneburgicis per *Rescr. Regim. Cell. d.* 8. *Dec.* 1688. *in Vol.* der Gerichts-Ordn. *p.* 988. quod *Rescripto generali Regiminis Regii d.* 10. *Sept.* 1727. denuo inculcatum, constitutum est, ut Chirurgi ægrotantibus medicamenta contra viscerum morbos præbentes, & arti Medicæ, quam non intelligunt, se ingerentes, ex culpa levissima teneantur. Sed &, ne quivis in hæc involaret sacra, iterum *Potentiss. M. Britanniæ Regis Edicto d.* 8. *Maji* 1731. provisum est, ut ne quis omnino, Medicinæ quamvis Doctor, nisi Medicorum Aulicorum judicio comprobatus, artem medicam facere audeat; Chirurgi

vero

vero a Physico Civitatis, ad hanc caussam peculiaris jurisjurandi religione obstricto, & uno aut duobus aliis Chirurgis, examinentur, statuta in Juris hujus violatores xx. thalerorum mulcta, aut, sin res postulare videatur, corporis etiam afflictiva poena. v. *V. Ill. Ess.* PUFENDORFF. *Introd. in Proc. Crim. Luneb. c.* 25. *§.* 21. *p.* 212. Regiones quoque, quæ Potentiss. Regi Borussiæ parent, minime hac in re providam Principum Suorum desiderarunt curam, utpote, quum in der Vern. Regim. Ordn. der Stadt Halle *d.* 20. *Dec.* 1687. *Art.* 26. in MYLII *Corp. Constit. Magdeb. Part.* VI. *p.* 43. *seq.* ejus Civitatis Magistratus de constituendo Medico Ordinario, & Pharmocopoei officii sui, admoneantur. Hunc vero quasi prodromum amplissima, de Medicorum officio, examine, concordia &c. de Pharmacopœorum, eorumque tironum, & Chirurgorum, partibus, atque medicamentorum pretio, Constitutio, quæ *in Cap.* XXV. der Polic. Ordn. des Hertzogth. Magdeb. und der Graffsch. Mansfeld *d. a.* 1688. habetur, & in MYLII *Corp. cit. Part.* III. *p.* 97-182. legitur, sequuta est. Denique *Edicto Regio d.* 9. *Oct.* 1713. quod itidem in MYLII *Corp. cit. Part.* III. *N.* 265. *p.* 686-713. recusum exstat, non solum ea, quæ das Churfürstl. Brandenb. *Medicinal-Edict, d. d.* 12 *Nov.* 1685. & *d.* 30. *Aug.* 1693. confirmatum, atque ea, quæ die Medicinal Ordnung *d. eod. data* Collegio Medico, de prospiciendo, ne Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopœorum & obstetricum erroribus & delictis publica res quid detrimenti caperet, demandaverant, rursus legis vim sunt assecuta, sed & eo æque Doctoribus, quos bullatos vocant, nisi doctrinam suam probaverint, & aliis medicastris, artem facere interdictum est, ac altero *Rescr. Regim. Magdeb. d.* 10. *Dec.* 1710. quod in *eod. Corp. P.* III. *N.* 226. *p.* 229. legitur, clancularios Chirurgos & balneatores comprehendere Magistratus jussi sunt. Conf. KRESS. *in Comm. ad C. C. C. Art.* 134. *§.* 3. *p.* 380.

§. XX.

Non vacat, cœterorum Germaniæ Principum salutaria hanc in rem placita perlustrare, quum ea adhuc, quibus Patriæ Senatus Ampl. cura in ista caussa se exseruit, reliqua esse animadvertam. Ita vero Ille in der Ernew. Apoth. Ordtn. der Stadt Bremen *d. a.* 1665. *C.* 1. §. 1. Physicum Civitati præfecit: Anfänglich/ nachdeme die heilsame und hohe Notthurft/ auch gemeiner Stadt Wollfahrt erfodert/ daß zur *Inspection* und offtmahliger *Visitation* der Apotheken/ *Examine* der Wund-und anderer nicht *gradui*rter/ so wol einheimischer/ als frembd hereinkommender Aertzte/ deßgleichen der Badt-Müttere oder Hebammen/ Besichtigunge der Verwundeten oder Entleibten/ und anderer Zufälle und Begebenheiten/ der *Medicin* wollerfahrne und gelahrte Leute *adhibi*ret und gebrauchet werden: Als haben wir/ zu dero Behueff/ einen gewissen Stadt-*Physicum* bestellet/ denselben in Eydt und Pflichten genommen/ und mit Jährlichen *Salario*, aus Unser/ des Rahts Apotheken zu entrichten/ versehen. Porro *eadem* §. 2. hujus Physici munia, & quænam illius incumbant sollertiæ, exponit: Auch soll er auff alle und jede einheimische und frembd hereingekommene Leute/ so sich der Medicin allhie gebrauchen wollen/ und dennoch *Gradum Doctoris*, *in Facultate Medica* nicht erhalten; deßgleichen auch alle und jede *Chirurgos*, und Wund-aertzte/ so entweder ihre Kunst und Wissenschafft auf eine zeit zu verüeben/ oder auch gar ins Balbierer Ampt sich allhie zu begeben/ willens; wie auch die sich noch inskünfftig von newen angebende Badt-Mütter/ gute Auffsicht tragen/ daß niemand deroselben ohne vorher gegangene *Examination*, zugelassen werde; Dehnen/ so es begehren/ gute *Instruction* mittheilen/ und da er bey diesem oder jenem etwas schädliches oder verdächtiges vermercket/ solches anmelden/ und *in summa*, in allem/ dieser oder künfftiger Apotheker Ordtnung/ so viel sie Jhn betrift/ sich gemäß bezeigen. Denique, ne quivis Medicaster ad hanc artem faciendam prosiliret, & periculis Civium disceret, *ibidem* §. 3. prospectum est: Andere aber/ so *Gradum Doctoris in Facultate Medica* erlanget/ und bey dieser guten Stadt *Praxin Medicam* zu

üben

üben gedencken / sie seyn Frembde oder Einheimische / sollen sich des *practisi*rens gäntzlich enthalten / biß so lange sie / auff vorhergangene Vorzeige ihrer *documentorum legitimæ promotionis*, nebenst anderer irgend habender *testimoniorum*, befragung unsers Stadt *Physici*, und anzeige dero *pro tempore* verordtneten Apotheker Herren von Uns *legitime admitti*ret und zugelassen: Denen aber / so / wie gemeldet / von Uns dem Raht / nicht *admitti*ret / und dennoch des *practisi*rens sich unternehmen wollen / sol selbiges allerdings hiermit untersaget / und ernstlich verbotten seyn / auch auf den Apotheken die *Recepta*, so sie andern zu *præscribi*ren / sich verkühnen möchten / nicht *præpari*ret werden: Massen dan Unser bestaldter Stadt *Physicus* dasselbe in gute Obacht nehmen / und so er diesem zuwieder gehandelt zu seyn / befinden wird / denen Apotheker Herren / es fürdersambst anzeigen soll / damit beschaffenen Sachen nach / die Verbrechere mit ohnaußbleiblicher Straffe beleget werden können. Hæc vero de iis, quæ ex Medicorum imperitia aut negligentia proveniunt, quasi delictis, actione, quæ inde nascitur, civili, vindicta eorum publica, de caussis, cur adeo raro in judicium vocentur, & egregiis Constitutionibus, quibus iis obex positus est, dicta sufficiant.

§. XXI.

Quoniam autem §. 11. Medicos aliis delictis, iis videlicet, quæ ex eorum ignorantia aut incuria originem trahunt, culpæ reos fieri, atque illa quasi maleficia vocari, alia perfidiam seu dolum præ se ferre, & hæc vera crimina esse, adfirmavimus, consequens est, ut de his jam dispiciatur. Verum enim vero, quum in his non æque, ac in istis, adeo circa ipsum delictum singularia obtineant, siquidem ex illis Medicos ad exactissimam diligentiam præstandam obligatos esse evicimus, sed magis circa pœnam Medicis privilegium irrogatum sit, variis veri delicti formis non immorabimur. Possunt enim illæ tam variæ esse & multiplices, ut vix iis enarrandis humanum sufficiat ingenium. Quod enim medicastrorum & agyrtarum astutia non excogitat nefas, tanto

perni-

perniciosius, quanto magis latet in occulto? Dicendum sane foret de philtris, de medicinis ad conceptionem, de pharmacis ad abortum provocandum datis, de malis venenis, &c, quæ alia *l.* 3. *& seqq. ff. ad L. Corn. de Sic.* enarrant, sceleribus. Quid quod, ut tanto magis, quam diversa eorum sit natura, innotescat, unicum Andr. Vesalii, Caroli V. Imp. Archiatri, & Anatomicæ scientiæ illius quasi Camilli, exemplum excitabo. Malo, ut illud laudibus superioris *Herm.* BOERHAAVE *& V. Cel. Bernh. Sigfr.* ALBINI *in præfat. Operum A. Vesalii p. si numeres*, 21. quam meis, verbis intelligas. Ita illi LANGUET. *in Epist. ad Peucer.* CASTELLAN. *de vit. ill. Med. &* THUANI *Histor. L.* XXXV. fide, post MORER. *dans son Diction. Histor. T.* IV. *p.* 534. rem gestam esse tradunt: *Hispanum* (versabatur enim tum temporis in aula Philippi II. Hispaniæ Regis) *curabat Nobilem, nec morbi caussam satis intelligere se dolens, petiit ab amicis defuncti corpus aperire, ut morbi rationem & mortis scrutaretur caussam. Quo concesso, visum cor in aperto jam pectore adhuc palpitans. Cognati accusant homicidii apud Judices, & impietatis ad tribunal Inquisitionis Hispanicæ. Oberat scientia: neque enim ignorantia excusare posse videbatur summum Anatomicum, qui mortis vitæque signa perspicacissime tenere merito credebatur. Voluit ergo extremum de reo supplicium sumere Inquisitio. Nec Rex auctoritate valuit, vel & precibus, servare carum sibi per annos viginti & duos Andream. Postremo datus Regi, totique simul deprecanti aulæ, eo omine, ut peregrinatione Religionis ergo suscepta Hierosolymas expiaret crimen.* Viden, quot modos Annales referant, quibus perfidus Medicus in salutem hominis possit peccare. Conf. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 437.

§. XXII.

Illud tamen in universum, & normæ instar, videtur tenendum, toties Medicum extraordinaria & arbitraria pœna (quamvis illa, si reus, quantum in se fuit, delictum perfecit, & v. c. veneno læsus continua adversa valetudine conflictatur,

flictatur, forsan capitalis esse possit, ob *C. C. C. Art.* 130. v. KRESS. *in Comm. ad d. Art.* 130. *§.* 4. *not.* 2. *p.* 360.) coërcendum esse, quoties ex ejus dolo mors non est sequuta: exadversus semper ultimo supplicio locum fore, sin ejus perfidia homo occumbat. Suadent illud non solæ LL. Romanæ, in *l.* 3. *& seqq. ff. ad L. Corn. de Sic.* & argum. *l.* 5. *§.* 3. *ff. de SC. Silan.* licet *in d. l.* 3. JCtus præter caussam inter honestiore loco natos & vilioris conditionis homines discrimen constituat, sed & *Const. Crim. Car. Art.* 134. Nec certe video, quod pace *V. Cel.* KRESSII, *in Comm. ad C. C. C. d. Art.* 134. §. 4. *not.* 2. *p.* 381. *seq.* a Speckhanio dissentientis, dictum sit, cur illud quidem in ægroto, cui petenti Medicus venena propinat, fallere debeat. Equidem argumenta, quibus pugnat, id non satis evincere videntur. Minime enim prima & præcipua prohibitæ cædis hominis ratio illa est, ne lædantur innocentes inviti, quum sic procul dubio unicuivis violentas sibi manus inferre foret integrum. Nec majus id, quod sequitur, pondus addit; ab eo, qui arma in petentes & postulantes tantum stringit, securitati publicæ nihil imminere periculi; quis enim adfirmare sustineret, iis in locis, ubi leges sacrilegos nuptiarum ultore gladio persequuntur, capitis supplicium in adulterinos volentis amplexus ruenti irrogari non posse? Quod porro obmovetur, invitum prosternere gravissimum scelus esse, volentem, officii humanitatis speciem præ se ferre, vel certe atrocius crimen non continere, cum olim id licere apud Judæos creditum videatur ob 1. *Sam.* XXXI: 4. vix est, ut ad τὸ κρινόμενον, an nempe capitis pœna in ejusmodi crimine decernenda sit, pertineat. Præterea, quam rara sunt illorum exempla, quorum præcipitis consilii, si proprio se commaculaverint sanguine, non extemplo comes sit pœnitentia, ut adeo vere hujusmodi factum humanitatis officii speciem, nec quicquam amplius, præ se ferat. Sed & 1. *Sam.* XXXI: 4. minime id conficit, apud Judæos volentem & rogantem confodere licuisse, quum potius in *l. c.* Sauli corporis stipator & armiger

Regis jussa exequi tergiversetur. Quin, si daremus, Judæorum hanc fuisse mentem, neutiquam tamen inde flueret, tale scelus atrocius crimen non continere. Neque majus in Constitutionis Criminalis Carolinæ de hoc flagitio silentio est præsidium, aut in eo, quod in *l.* 4. *§.* 2. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* de Medico volentem *excidente*, non *occidente*, sanciatur, quum facillimum potius hinc sit a minori ad majus argumentum. Denique, dum Vir Celeberrimus *Art.* 104. *C. C. C.* de non admittendo ultimo extra casus in articulo expressos supplicio, in suas partes vocat, proprio se videtur jugulare gladio, quum in *d. Art.* non de sola capitis, sed & corporis, quin & infamiæ pœna idem sit judicium. Ita enim illibi est: Aber sonderlich ist zu mercken / in was Sachen / oder derselben gleichen / unser Kayserl. Recht / keinerley peinliche Straff am Leben / Ehren / Leib / oder Gliedern setzen / oder verhengen / daß Richter und Urtheiler / dawieder auch niemand zum Tod / oder sonst peinlich straffen. Sin ergo argumentum, quod ex *h. Art.* Vir Juris peritissimus depromit, non vacillaret, certe Medicus volentem enecans ne quidem pœna corporis adflictiva, quod tamen *Ipse l. c.* largitur, puniri posset.

§. XXIII.

Ex iis autem, quæ modo dixi, denuo hanc colligo summam, nihil impedire, quo minus utique Medicus, si ejus perfidia homo non periit, ex arbitrio Judicis, sin vero quem occiderit, ultimo puniendus sit supplicio. Num vero istud supplicium homicidii ordinarium, an latrocinii, esse debeat, id quidem non adeo est exploratum. Certe cædis ordinaria pœna hoc maleficium expiandum esse contendunt HERT. *in Epidipn. Parœm. Jur. Germ. Par.* 6. *§.* 2. *Opusc. Vol.* II. *T.* III. *p.* 436. LATHER. *de Censu L.* III. *c.* 21. *N.* 77. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 14. *p.* 126. STRYK. *in not. ad Lauterbach. tit. ad L. Aquil. not.* 17. *p.* 369. SATTLER. *Diss. de Jur. & privil. Med. Th.* 26. *&* 34. Verum enim vero, quum Medicus perfidus magis metuendus sit, ac professus hostis, siqui-

ſiquidem ille, utpote frequens ſecretis, tempus ad perficiendum ſcelus aptius captare poteſt, & in ſalute hominis peccare jam homicidii crimen ſit, quod Theodericus Gothorum Rex apud CASSIODOR. *Variar. L.* VI. *Form.* 19. *p.* 207. ait, plus autem ſit, hominem extinguere veneno, quam occidere gladio, per *l.* 1. *Cod. de Malef. & Mathem.* quoniam hoc homicidium eſt proditorium, v. ZACCH. *Quaſt. Med. Leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 2. *N.* 2. *ſeqq. & Tom.* III. *Conſ.* 40. *N.* 10. *&* 11. his de cauſſis omnino Medico dolo necanti privilegium irrogari debere videtur. Et id quidem cenſuit etiam *C. C. C. Art.* 134. Hätt aber ein Artzt ſolche Tödtung williglich gethan/ ſo wäre er als ein fürſetzlicher Mörder zu ſtraffen; quippe quæ hujusmodi Medicum non homicidæ, qui in rixa aut fervore iracundiæ aliquem confodit, inſtar, ſed tanquam latronem, deſtinato id agentem conſilio, puniendum ſancit. Latronem vero *Ead. C. C. C. Art.* 137. rota jubet contundere, & ita recte *d. Art.* 134. capiunt nonnulli ejus Interpretes, atque ex illis KRESS. *in Comm. ad C. C. C. Art.* 134. *§.* 6. *p.* 383. Quin vero Princeps Medico, qui forſan poſtulanti noxium propinavit venenum, aut in dignitate conſtituto, aut ob alia merita, aliquam delicti gratiam facere poſſit, & rotæ loco gladii pœnam ſtatuere, haud iverim inficias; ut vero reus id jure poſtulare queat, Gloſſarum nunquam mihi perſuadebunt conditores, v. BOOT *Diſſ. de privil. Med. c.* III. *§.* 9. *p.* 49. quum in corpori infligendis pœnis, non vero in capitalibus, hodie ſtatus haberi rationem conſtet. v. KRESS *in Comm. ad C. C. C. Art.* 117. *§.* 3. *not.* 2. *p.* 296. Ex contraria parte vero, ſin ſcelus in conjunctiſſimis perſonis admiſſum, aut ſæpius repetitum ſit, dubio caret, pœnam augeri, reumque trahæ imponi, aut forcipibus candentibus dilacerari poſſe, per *C. C. C. Art.* 130. *&* 137. v. KRESS. *ad dd. Art. §* 6. *p.* 361. *& §.* 2. *p.* 392. quin, rebus ita compoſitis, anno 1593. Pſeudiatrum quendam lentis ignibus exuſtum eſſe, (quæ in patria cujuscunque veneficii, ex quo homo aut animal periit, pœna eſt, v. *Stat. Brem. Stat.* 88. *§.* So welck. Conf. *P.* Koch

Concord. Stat. Brem. T. 6. §. 1.) refert BOOT *Diss. de privil. Med. C.* III. §. 7. *p.* 48. Quam autem *Idem* §. 8. *p.* 49. addit, de Medico Doctoralibus ornato insignibus, prius, quod vocant, degradando, illa sane, ut ex Canonum placitis fluxit, in Protestantium foris otiosa videtur esse quæstio.

§. XXIV.

At, quantumvis §. XXI. cunctas, quæ in Medicum cadere possunt, perfidiæ formas singillatim percensere ab argumento hoc alienius visum fuerit; illam tamen, quam ipsum Jus nostrum notavit, ne scilicet cum ægroto de mercede paciscatur, aut eum ad aliquid promittendum metu inducat, non prætereundam esse existimo. Est enim utique hac in caussa jus plane singulare in Medicos statutum, quum alias ex Romani Juris principiis omnes, qui consentire possent, possent etiam pacisci, & Prætor se *pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, SCta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fieret, facta essent, servaturum* edixisset, per *l.* 7. §. 7. *ff. de Pact.* v. NOODT *lib. sing. ad Edict. Prætor. de pact. & transact. c.* 20. *Opp. T.* 1. *p.* 542. *seq.* Licet enim HIPPOCRATES *in præception.* §. 4. discipulis suis non indulsisset solum, sed & præcepisset, ut ante omnia, præprimis in morbis chronicis, sibi mercedem constituerent, (unde falsus esse censendus ὁ πάνυ CUJAC. *in Comm. ad l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* pactum Medici cum ægroto Hippocratis jurijurando adversari perhibens, nec Coi Senis mentem assequutus *a* REJES *in Elys. juc. quæst. camp. Q.* 19. illum ita tantum cum ægrotis avaris agendum censuisse existimans,) & sic fiduciam in ægrotante, se illum non derelicturos, excitarent; v. AMMANN. *Medic. Crit. Disc.* IX. *N.* 2. *p.* 70. MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 17. *p.* 166. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 8. *N.* 3. Legislatorum tamen nostrorum plane diversa fuit Philosophia. Hi enim non solum, si Medicus per adversa medicamenta ægrum ad vendendas sibi possessiones suas contra bonam fidem compulisset,

pulisset, pactum istud ratum haberi noluere, per *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* sed & ne illa quidem passi sunt Medicos accipere, quæ periclitantes pro salute promitterent, per *l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.*

§. XXV.

Fateor, prioris legis rationem magis esse in propatulo, ac quidem alterius, sed neque hæc tamen æquissimo destituitur fundamento. Censent sane DD. ob metum concussionis ejusmodi pactum non valere, v. STRUV. *Synt. Jurispr. Exerc.* XXIII. *Th.* 3. & quamvis ita concussionis vocabulo admodum improprie utantur, v. CRAMER. *Diss. de concussion. Advocat.* §. 3. *seqq. p.* 8. *seqq.* res ipsa tamen eodem redit. Vix enim alia hujus sanctionis caussa fuisse videtur, quam ne ægroti in periculo constituti, omnia tuta timentes, nec loqui audentes confidenter, atque metu suspensi, ut ille D. Nicolao ceream, ita hi Medico auream promittant. v. AMMANN. *Medic. Crit. Disc.* v. *N.* 4. & 5. STRYK. *in not. ad Lauterbach. ad tit. ff. de Pact. n.* 68. *p.* 149. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 66. Quum enim spes vitæ maximos plerumque animos infringat, & longe verissimum sit illud Scleriæ Comici, quod apud STOBÆUM *Serm.* 101. est, diverbium,

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ,
Δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γυνέσθαι,
Τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως, εἶτα
Τέταρτον, ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων,

Sanitatem quidem optimum esse viro mortali,
Alterum, bonam indolem,
Tertium, ditescere sine dolo,
Ultimum, vigentem inter amicos ætatem;

Conf. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 384. *seqq.* voluntas autem hominum ita fere comparata credatur, ut in eum, a quo celeriorem & expeditiorem remunerationem exspectat; plurimum

mum ſit propenſior, v. CICER. *de Offic. L.* II. *c.* 20. hinc ſemper Medicum, etiamſi humaniſſime roget, ægrotanti metum injicere, atque inde hunc metus cauſſa quidvis polliceri, non abs re Impp. judicarunt. Egregie hanc in rem ſuffragatur MARTIAL. *Lib.* XI. *Epigr.* 59. Inquit:

Quid ſi me tonſor, dum ſtricta novacula ſupra eſt,
Tunc libertatem divitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat: res eſt imperioſa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
Frangam tonſori crura manusque ſimul.

Ne autem Impp. aërem quis putet verberaſſe, certe, tam priſca hiſtoria, quam ea, quæ a noſtro ævo non adeo longe abeſt, bene multa Medicorum, quos ægrotis precibus moleſtos fuiſſe conſtat, exempla ſervavit. Philippi, Macedonum Regis Medici, cujus opera in ſananda clavicula bello fracta utebatur, quique indies aliquid poſcebat, a Principe vero dubio illo dicterio: Λάμβανε ὅσα βούλει. τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις, *Cape, quantum lubet: habes enim claviculam*, corripiebatur, PLUTARCH. *in Apophthegm. Varior. Opp. T.* I. *p.* 310. meminit. De Thadæo Florentino, (quamvis idem de Petro Aponenſi alii perhibeant, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 405. & *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 19.) *Bapt.* MANTUAN. *de Patient. L.* I. *c.* 6. auctor eſt, illum ad Principes Italiæ vocatum quinquaginta aureos in mercedem diurnam ſibi ſtipulatum eſſe, Honorium IV. vero Pontificem, a quo ſemel expetitus eſt, non prius acceſſiſſe, quam centum ſibi aureos in diem decretos eſſe intellexiſſet, v. HEUMANN. *Act. Philoſ. Part.* VII. *N.* 3. §. 10. *p.* 85. NEAND. *de Med. nat. p.* 128. *ſeq.* quem eundem quoque Papam, iſtius æqualis, Matth. de Gradis, vel de Gyraldis, ante, quam in ſingulos dies tres auri libras eſſet pollicitus, quibus tamen deinde diligenter curatus centum alias adjecit,

adire

adire detrectavit. v. NEAND. *l. c. p.* 129. Mitto ea, quæ de Jul. Mancino, Medico Romano, simul ac ægrum accederet, tabellas pictas lustrante, & egregiam forsan repertam statim adamante, minimique emtam, carissimo vendente, in hoc vero mercimonii genere magno cum lucro versante ex ERYTHRÆI, quod sibi nomen fecit, *Pinacoth. P.* I. *p.* 81. *Aug.* LEYSER. *Meditatt. ad ff. Vol.* III. *Spec.* 189. *p.* 413. refert, aliaque, quæ de hoc argumento dici possent: Conf. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 34. *seqq.* quoniam ea modo hæc scripsimus fini, ut tanto constaret rectius, tum, hujus legis minime nullum in foris nostris hodieque emergere posse usum, tum, ut illius præcipuam rationem metum ægrotantium esse eo planius appareret.

§. XXVI.

Accedebat tamen & altera ratio, cur Archiatros Legislatores nostri in *d. l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* non paterentur ea accipere, quæ periclitantes pro salute promitterent. Illam vero Impp. verbis: *scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari*, de quibus annonis Sect. II. differetur, satis innuunt. Fuisse enim hos Archiatros Medicos a publico conductos, partim ex ipsa hac lege, præcipue autem ex prologo, qui ei in *l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* supra C. II. §. XXXIII. integra exhibita, præfixus est, meridiana luce apparet clarius, & mox dicetur plenius. Quo amplioribus vero hi Principum beneficio fruebantur commodis, eo iniquius Valentinianus & consortes Imperii esse censebant, ut, quæ ægrotantes pro salute pollicerentur, caperent. Quum itaque peculiaris hæc & priva quasi in Archiatris, nec cum reliquis non conductis Medicis communis, fuerit ratio; facile est argumentum, legem hanc proprie hos non spectasse, nisi argum. *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* omnia pacta, quod statim demonstrabitur, ægrotum inter & Medicum fuissent prohibita, ut adeo hæ ambæ *ll.* non æque, ac DD. creditum est, plane sint analogæ. Utrisque tamen, vz. *d. l.* 3. *ff.* &

d. l. 9.

d. l. 9. *Cod.* ea, quæ PAGENSTECHERO *Sicilim. Manip.* 4. *p.* 39. arrisit, convenire videtur caussa, scilicet, ne ægroti contractibus vires patrimonii sui exhaurirent, & ferendis Reipubl. oneribus se redderent impares. Quamcunque harum demum amplecti lubeat sententiam, æque, quod STRYKIO *in not. ad Lauterbach. ad ff. tit. de Pactis not.* 68. *p.* 149. placuit, spontaneam ægroti promissionem magni honorarii in casum adeptæ sanitatis sustineri, non excluso tamen, si nimium sit, judicis arbitrio, vacillare videtur, & magis esse puto, ut contra, quemadmodum etiam in foris pronunciatum esse refert STRUV. *in Synt. Jurispr. Exerc.* XXIII. *Th.* 3. faciamus. Conf. GREGOR. *Tholosan. in Synt. Jur. Univ. L.* XVIII. *c.* 25. *N.* 5. Quum enim *l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* (de *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* quippe *§. seq.* dicetur) minime inter coactas & spontaneas pollicitationes discrimen constituat, nec nos æquum est distinguere, præcipue, quum utrisque legis hujus pariter obstent rationes. Sive enim eam eligas, ne ægrotus metu quid promitteret, certe vix erit, ut ne in spontaneis quoque promissionibus ejus voluntas quodammodo sit coacta, & illæ ex metu, ne tanto diutius Medicus se habeat in reditu, proficiscantur: Sive æquitatis hujus legis rationem in eo quæras, quod Archiatri e publico annonaria commoda perciperent, eadem suberit promissa voluntaria non accipiendi caussa, quæ in reliquis: Sive denique illud Constitutionis dicas esse fundamentum, ne ægrotantes rem familiarem profunderent, id sane utique æque a volentibus, ac invitis, fieri potest; ut adeo, promissiones etiam spontaneas accipere, Archiatris per *d. l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* non fuerit integrum.

§. XXVII.

Quemadmodum autem *l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* quod *§. anteced.* monuimus, solos Archiatros, quæ periclitantes pro salute promitterent, accipere interdicebat, ita *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* reliquis etiam ex Medicorum ordine cum

ægroto

ægroto paciſcendi facultatem denegabat. Rationes huic legi cum altera quædam videntur fuiſſe communes, ne nempe ægrotantes ex eo, quod metus cauſſa pacti eſſent, læderentur, & bona in Reipubl. detrimentum dilapidarent. Conferantur quæ modo §. XXVI. & XXVII. ea de re diximus. Verum enim vero circa hanc legem DD. non unum movent ſcrupulum. Qui nodum in ſcirpo quærunt, legem hanc ad ſolos Medicos, quos Phyſicos, vel Clinicos, vocant, nec ad Chirurgos, pertinere autumant, quum tamen ipſa lex de Medico ocular io, adeoque Chirurgo, ſanciat. Quin &, neſcio quod, diſcrimen inter morbos acutos atque chronicos comminiſcuntur, & in illis pacta valere, non item in his, ſomniant. v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* 4. *ſeqq.* Sed illud etiam dubium viſum eſt, num, ſiquidem *d. l.* 3. ſolius emtionis mentionem facit, eadem ad alios quoque contractus & pacta pertineat, nec ne. Strictiorem interpretationem probaſſe videtur STRUV. *in Syntagm. Jurispr. Exerc.* XXIII. *Th.* 3. ſed contra eunt LEYSER. *in Meditatt. ad ff. Volum.* III. *Specim.* 189. *p.* 412. STRYK. *in not. ad Lauterbach. ad tit. ff. de Pact. not.* 68. *p.* 149. PAGENSTECHER. *Sicilim. Manip.* 4. *p.* 39. WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doctor.* §. 139. *Q.* 92. *p.* 397. nec id quidem injuria, quum in reliquis contractibus eadem reperiatur ratio, adeoque, quod dupondiis notum eſt, non diverſa Juris poſſit eſſe diſpoſitio. At novum *Viro Cel.* LEYSERO *l. c.* contra quam reliqui STRYK. PAGENSTECHER. WALTHER. *ll. cc.* LAUTERBACH. *in Comp. Jur. ad tit. de Pactis p.* 47. MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 17. *p.* 166. aliique cenſuerunt, ſubnatum eſt dubium; Ulpianum nempe in *d. l.* 3. jus generale conſtituere noluiſſe, ſed improbitatem ejus tantum, de quo agit, Medici coërcere. Licet autem largiamur, quod tamen non adeo expoſitum eſt, legem, de qua diſceptatur, non eſſe generalem, neutiquam tamen inde conſequitur, illam huic unicæ perſonæ ſcriptam eſſe, quum ſemper quaſi hoc legibus ineſſe credi oporteat, ut ad eas quoque perſonas,

& ad eas res, pertinerent, quæ quandoque futuræ essent similes, per *l.* 27. *ff. de LL.* siquidem jura non in singulas personas, sed generaliter, constituuntur, & quando in aliqua caussa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet, per *l.* 8. *&* 12. *ff. eod.* quibus addantur *l.* 4. 6. *&* 10. *eod.* Præterea in *d. l.* 3. Rescripti nec volam nec vestigium licet reperire, quum ejus notæ diagnosticæ hæ aut similes formulæ: *Cujus rescripti verba hæc sunt*, in *l.* 2. *ff. de his qui sui vel al. jur. In hæc verba rescripsit* in *l.* 5. §. 2. *&* 6. *ff. de jur. immun. & l.* 6. *pr. &* §. 1. *ff. de L. Fab. de plag. Respondit Imperator* in *l.* 9. *ff. de L. Rhod. de jact.* esse soleant, quoniam, quæ magistratibus respondebant Principes, per modum epistolarum concipi consueverant, v. HEINECC. *Elem. ff. Part.* 1. §. 109. *in schol.* quod idem & JCtis post Augusti tempora sollemne fuisse observat MENAG. *Amœn. Jur. c.* 20. *p.* 105. Quid quod *l. ult.* §. 1. *ff. quod met. cauff.* quæ ex eodem ULPIANI *L.* v. *Opinionum* est, in eadem fere concepta est verba, quam tamen nemo jus generale non constituere temere adfirmaverit; quum & ipsæ Principum Constitutiones, nisi declaraverint, se eas ad exemplum trahi nolle, omnes procul dubio teneant, per *l.* 1. *ff. de Const. Princ. &* §. 6. *Inst. de J. N. G. & C.*

§. XXVIII.

Postquam igitur Ulpianum jus generale utique in *d. l.* 3. constituisse vidimus, expendendum proxime est, num contractus Medici cum ægro bona fide celebrati subsistant, nec aliter rescindantur, quam si is, qui ad rescissionem agit, probet, Medicum ægri consensum metu extorsisse? Ita sane sentit WISSENBACH. *Exerc. ad ff. Part.* 1. *Disp.* XXXIV. *Th.* XI. &, qui cum illo facit, *Vir Cel.* LEYSERUS *l. c.* Conf. BESOLD. *Thes. pract. p.* 52. *in addit.* Est tamen, ut secus videatur, non una caussa. Vix enim erit, ut perspicere liceat, quomodo æger, consensum a se metu extortum esse, probare possit, quandoquidem res plurimum remotis arbitris

arbitris agitur, adeoque æger adfirmando, Medicus negando, judicem fatigabunt. Quin, etiamsi demus, Medicum ægrotanti metum non incussisse, numne nihilo tamen minus decumbens utique suspicabitur, illum, si repulsam ferret, debitam operam non esse impensurum? v. STRYK. *in not. ad Lauterbach. ad tit. de Pact. not.* 68. *p.* 149. PAGENSTECHER. *in Sicilim. Manip.* 4. *p.* 39. Et numne credas, vel minimum corrugatam Medici frontem ægrotanti terrorem injecturam? Quid enim metus est, nisi instantis vel futuri periculi caussa mentis trepidatio, per *l.* 1. *ff. Quod met. causs.* quæ autem major esse potest, quam vitæ incurrere discrimen? Hoc sane agnovisse etiam videtur *V. Cel.* LEYSERUS *l. c.* quippe, quum Ipse in probatione hac faciliora & verosimilia argumenta, quod res plerumque in secreto agitur, admittat, imo ex ipso rerum statu conjecturam nasci putet, Medicum morbi tempus captasse, & minis, sive expressis, sive tacitis, usum esse. Sed ita equidem vereor, ut vix contractus subsistat, nisi valetudini restitutus illum ratum habeat: siquidem vero accedit ratihabitio, est ille sani, non ægroti, cum Medico contractus. Quid quod, adversæ thesi ipsa legis hujus obversatur ratio, quam §. XXV. & XXVI. vix aliam reddi posse diximus, quam, partim ne ægroti metu ad paciscendum adigerentur, partim ne rem suam in fraudem Reipubl. decoquerent. Hoc autem æque per contractus bona fide initos fieri potest, ac per illos, qui dolo extorti sunt. At vero, quotiens quid lege introductum est, cœtera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione, supplenda esse, constat, per *l.* 13. *ff. de LL.* Denique, ut id, quod probandum suscepimus, tanto magis confirmetur, rem exemplo lubet declarare. Notum est, olim, ob legem muneralem Cinciam, Advocatos propter caussam orandam a Clientibus neque munera extorquere, neque oblata accipere potuisse: quin & pervulgatum est, postea, quam huic legi per pacta de quota litis, ea fini inventa, fraus facta esset, v. BRUMMER. *in Comm. ad*

L. Cinc. c. 9. *§.* 5. *p.* 133. *& c.* 10. *§.* 17. *p.* 149. imo ex quo, quod jam Commodi ætate licebat, de palmario post caussam actam (quod discrimen minus recte animadvertit WISSENBACH. *Exercitatt. ad ff. Part.* 1. *Disp.* IX. *Th.* 41. *p.* 96.) pacisci possent, per *l.* 1. *§.* 12. *ff. de extraord. cognit.* nullum tamen contractum, nullamve pactionem ante litem judicatam, sive bona, sive mala fide, Advocatum cum Cliente suo inire potuisse, per *l.* 6. *§.* 2. *Cod. de postul.* Atqui his legibus adhucdum, ubi illæ rationes, quæ iis in Romana Republ. propriæ erant, partim evanuere, v. c. jura patronatus, v. HEINECC. *Syntagm. Ant. Rom. L.* 1. *T.* 2. §. 29. *p.* 55. *seq. & L.* 11. *T.* 7. *§.* 10. *p.* 479. *seq.* partim ex conditione Advocatorum, quæ hodie est, non perpetuæ sunt, v. g. ne potentior obtrudatur adversarius, v. CUJAC. *Observatt. L.* VIII. *Obs.* 31. sua ubivis fere locorum constat auctoritas. v. *Rec. Imp. Spirens. d. a.* 1557. *§.* 50. & die Churfürstl. Brandenb. Proc. Ordn. *d. a.* 1686. *C.* XIV. §. 5. Oportet itaque alias, & prægnantiores forsan, earum fuisse caussas. Hæ autem, quum non diversæ ab iis fuerint, ob quas contractus Medicum inter & ægrotum vetitos fuisse diximus, vz. ne altera pars metu promitteret, altera vero in periculo constitutum bonis exueret, hinc illam dictorum colligo summam, in utrisque idem obtinuisse jus, adeoque non magis Medicum cum ægroto, quam Advocatum, suspensa lite, cum Cliente, sive bona, sive mala fide, ullum pactum inire posse. Quin id in istis, quarum caussa hæc scripsimus, personis tanto magis æquum est ut obtineat, quanto plus est, vitæ quam bonorum facere jacturam: quemadmodum & ipsi prisci Jurisperiti rationes suas composuisse videntur, quippe, qui ægrotum cum Medico paciscentem restituendum, hunc vero coërcendum esse, censuerunt, per *l.* 3. *ff. de extraord. cogn.* quum contra L. Cincia admodum imperfecta esset, utpote neque actum rescindens, neque sanctione pœnali munita, v. BRUMMER. *in Comm. ad L. Cinc. c.* 2. *§.* 3. *p.* 16. *& c.* 3. *§.* 5. *seqq. p.* 34. *seqq.* quod & diu post in vetitis de quota litis pactis per-

perdurasse credibile est, quum nec Ulpianus in *l.* 9. *§.* 2. *ff. de off. Procos.* & in *l.* 53. *ff. de pact.* ullius in paciscentes statutæ pœnæ meminerit, & ipse Diocletianus in *l.* 15. *C. de Procurat.* hujusmodi pacta tantum *contra bonos mores*, & *non sine reprehensione*, esse dicat, quem & primum ex iis actionem denegasse, argum. *l.* 20. *Cod. Mandati* non improbabile est. Ex his igitur in unum collectis id quidem conficio, minime absonam, sed Romano Juri apprime consentaneam esse DD. sententiam, qui *l.* 3. *ff. de extraord. cogn.* ad contractus quoque bona fide celebratos interpretatione proferendam esse existimarunt; in quas etiam partes eunt GOTHOFR. *ad l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof. L.* XIII. *Tit.* 3. *Tom.* V. *p.* 37. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doct. c.* 18. *§.* 139. *Q.* 92. *p.* 397. MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 17. *p.* 166. PAGENSTECHER. *Sicilim. Manip.* 4. *p.* 39.

§. XXIX.

Sin itaque, iis, quæ hactenus diximus, insuper habitis, Medicus nihilo secius amici nomine abutatur, & prædam sibi acquirat, uti est in *l.* 11. *C. de his quæ vi*, æger extraordinaria persequutione rem repetere potest, quoniam hæc caussa non habet juris ordinarii executionem, per *l.* 178. §. 2. *ff. de V. S.* atque tunc judex, rescisso contractu, rem restitui jubet, per *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* cum omni caussa & fructu, per *l.* 35. *ff. de V. S.* v. GOLDAST. *in parad. de hon. Med. §.* 36. ALCIAT. *Dispunct. L.* 11. *c.* 39. *& in Comm. ad l.* 27. *C. de transact. N.* 4. *&* 5. Sed & præterea ob malum exemplum Præses Provinciæ, si scilicet forsan Medicus expressis usus fuisset minis, incivile factum *coërcere* jubetur in *d. l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* Quum autem *coërcendi* vocabulum admodum sit πολύσημον, quemadmodum CICER. *de Offic. L.* III. *c.* 5. ait: *Eos damno, morte, exilio, vinculis coërcent;* atque alia coërcitio levis sit, per *l.* 7. *§.* 2. *ff. de injur.* alia gravior, quum & ipsa capitis pœna hac appellatione veniat in *l.* 9. *ff. de extraord. crim.* v. BRISSON. *de V. S.*

L. III. *p.* 136. ita facilis est conjectura, JCtum in *d. l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* pœnæ modum Religioni judicantis reliquisse. v. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 29. *N.* 2. *seqq.* Unde & DD. non præter rem concludunt, Medicum, si eo consilio morbum traheret, ut ab ægro testatore tanto plus sibi legaretur, legatum non capere. v. KLOCK. *Consil. in Supplem. Cons.* 4. *N.* 10. Conferantur cum iis, quæ hactenus disseruimus, *Joh.* SCHMIDT *Diss. de pacti metu extorti obligatione*, LATHER. *de Censu L.* III. *c.* 21. *N.* 47. *seqq.* SCHIELEN *Biblioth. enucl. p.* 408. Hujus vero juris observantia uti nec hodieque defecit, ita vetita de mercede pacta denuo Patriæ Senatus Ampl. in der Erneuw. Apoth. Ordn. *C.* 1. § 4. damnavit: Bemeldte *approbirte Doctores* und *Medici* sollen gleichfalls unsern Apothecker Herrn versprechen und angeloben / daß sie mit niemand / vor geendigter Cur / darüber ein gewisses Geding zu einer benandten Summen der Belohnunge machen etc. wollen. In cœteris quoque quin constans Romani Juris obtineat custodia, dubitandi ratio nulla est.

§. XXX.

Coronidis loco id monuisse non pigebit, in hac caussa jura Medicum inter & ægrotum non videri esse mutua. Sin enim Medicus forsan, ægro se alium adsciturum esse minante, gratuitam ipsi operam addixisset, quin & munusculum promisisset, quod aliquando contigisse testatur LEYSER. *in Meditatt. ad ff. Vol.* III. *Specim.* 189. *p.* 413. ejusmodi contractum utique substiturum arbitror. Disertissimis enim verbis in *l.* 7. *pr. ff. Quod met. causs.* sancitur, neque timorem infamiæ, neque alicujus vexationis timorem, per Edictum Prætoris Quod metus caussa restitui, multo minus hujusmodi levis, si modo quæ illa est, ignominiæ, quum conscia recti mente famæ ridere debuerit mendacia, &, quod HORAT. *L.* 1. *Epist.* 1. *v.* 60. ait:

Murus aheneus hic sit,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

SECT.

SECT. II.

DE

PRIVILEGIIS ET JURIBUS SINGULARIBUS FAVORABILIBUS MEDICORUM.

§. XXXI.

QUandoquidem itaque hactenus de privilegiis, & juribus singularibus, Medicorum delictis irrogatis, disputavimus, sponsionis, quæ supra §. 1. facta, memores, eo deventum esse animadvertimus, ut jam de iis, quæ ob bene merita huic ordini indulta sunt, agendum restet. Non nescii sumus, privilegia alia caussarum, alia personarum, esse: sed, quum ita, sin hanc divisionem sequi constitueremus, ex dicendorum ratione una eademque nonnunquam oberrandum foret chorda, maluimus illa ordine, quo quæque sese offerent, pertractare, quam argumentum scrupulose in partes secare. Quæ dicenda reliqua sunt, his præcipue absolventur capitibus: Dicetur de honorario Medicorum, exponemus nonnulla, quæ iis circa testimonium perhibendum sunt singularia, mox, quæ ipsis circa judicium accipiendum priva sunt, explicabuntur, tum jura, quæ Archiatris & castrensibus Medicis ob absentiam Reipubl. caussa competunt, lustrabimus, denique immunitates Medicorum, opellæ huic finem imponent.

§. XXXII.

Conducebat sane olim Medicorum conditio multo magis πρὸς τὰ ἄλφιτα, quam aliorum quorundam, qui litteris operam suam addicebant. Ea, quæ supra C. II. §. XXVII. & *seqq.*

seqq. hanc in rem diximus, satis evincunt, quam quæstuosa ars hæc, ab ipso illo tempore, quo caput Romæ cœpit extollere, fuerit. Contra caussarum patroni antiquitus & pecuniam, & munera, ob caussam orandam accipere non solum L. Titia, v. PITISC. *Lex. Antiqq. Rom. T.* II. *p.* 71. & PICINELL. *lum. reflex. Part.* VII. *N.* 35. *p.* 622. sed & L. Cincia, (de qua v. PITISC. *Lex. Antiqq. Rom. T.* II. *p.* 47. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 25. *&* 27. *seqq.* & Viri, siquidem Deo ita visum esset, meliore fato digni, *Frid.* BRUMMERI elegans *ad L. Cinciam in Brummerian. p.* 1-262. recusa prostans *Commentatio*) vetabantur: quod autem ut juris divini sit, vereor ne sacris paginis vim faciant, qui ex *Exod.* XXIII. *v.* 8. & *Deuteron.* XVI. *v.* 19. probare contendunt. v. GOLDAST. *parad. de hon. Med.* §. 24. *&* 26. Illud tamen a vero non videtur abludere, ad Commodi fere usque ætatem institutum hoc, de gratuito Clientibus præstando patrocinio, illibatum mansisse, argum. *l.* 1. §. 10. *&* 12. *ff. de extraord. cognit.* quum Medicis nunquam non Romæ sostra accipere licuerit. Nec valde diversa Juris Professorum olim erat sors, siquidem Juris periti civilem sapientiam, tanquam rem sanctissimam, pretio nummario non æstimandam, nec dehonestandam esse, (quam lepidam certe Ulpianus reddit rationem) arbitrabantur, per *l.* 1. §. 5. *ff. de extraord. cogn.* Conf. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* LXXXI. *p.* 376. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 28. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 62. & honeste honoraria quidem accipi, inhoneste tamen peti censebant, per *d. l.* 1. §. 5. *ff. de extraord. cognit.* Conf. STRYK. *in not. ad Lauterbach. ad tit. ff. de extraord. cogn. not.* 2. *p.* 1708. Quin neque Philosophos prisci JCti Professorum, quibus extra ordinem de mercede jus dicebatur, numero habendos esse existimabant, non, quia non religiosa res esset, sed quia hoc primum profiteri eos oportere credebant, mercenariam operam spernere, per *l.* 1. §. 4. *ff. de extraord. cogn.* Hinc & ἀκριβολογοῦντας περὶ τῆς οὐσίας, *proprie loquentes de substantia*, uti Interpres exposuit in *l.* 6.

§. 7.

§.7. ff. de Excusat. vel potius, *avare de re familiari contendentes*, eo ipso manifestos fieri non philosophantes D. Pius rescribit in *d. l. 6. §.7. ff. de Excusat.* v. *Ant.* AUGUSTIN. *ad Modest. de Excusat. p.* 197. GOTHOFR. *ad l.* 3. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 29. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 33. *p.* 196. *seqq.* & vere philosophantes pecuniam contemnere, atque ejus retinendæ cupidine fictam adseverationem detegere censentur in *l.* 8. §. 4. *ff. de vacat. & excus. mun.* Adeo enim opum appetentia Philosophis vitio vertebatur, ut LUCIAN. *in Nigrino* Philosophos pretio docentes tanquam ἐπὶ μισθῷ φιλοσοφοῦντας, καὶ τὴν ἀρετὴν ὤνιον ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς προθέντας, *mercede pacta philosophantes*, *virtutemque venalem*, *veluti de foro*, *proponentes* traducat, atque eorum scholas ἐργαστήρια καὶ καπηλεῖα *ergastula & cauponas* vocitet: v. CICER. *de Off. L.* II. *c.* 25. *ibique Commentatt.* MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 10. *p.* 89. HUBER. *in Prælect. ad tit. ff. de extraord. cogn. §.* 2. *p.* 749. *seq. Joh. Alb.* SPIESS *Progr. de Philos. Professor. numero non habend.* At circa Medicos longe alia Romanis sedebat mens, quum hos non solum a sanitati restitutis licite oblata accipere, sed & a morosis extraordinaria persequutione sostra petere posse arbitrarentur, per *l.* 1. §. 1. *& seqq. ff. de extraord. cogn.*

§. XXXIII.

Sunt tamen, quibus fluctus, quod ajunt, in simpulo excitare familiare est, qui in dubium vocare sustinuerunt, num Medici recte honoraria acciperent, nec ne? Certe metuo, ne ipsi illi, qui adeo religiose hanc in rem inquirunt, optime perspectum habeant Comicum illud Timoclis, quod apud STOBÆUM *Serm.* 89. est:

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα, καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
Ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο, μηδὲ κτήσατο,
Οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.

Argentum & anima & sanguis est mortalibus.
Hoc qui caret, nec sibi paravit sedulo,
Vivos hic inter mortuus circumambulat.

 Sed,

Sed, ut momenta, quibus id, quod probandum eſt, fulciunt, paullo preſſius examinemus; admodum ſane elumbe eſt prius argumentum, ubi exempla in partes ſuas trahunt. Excitant Hippocratem a populo Abderitano ſanationis præmium accipere recuſantem: v. PICINELL. *lum. reflex. Part.* VII. *N* 35. *p.* 622. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 404. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* 2. ſed id equidem nemini mirum videbitur, qui intelliget, illum non erubuiſſe Hyſtani, Helleſponti præfecto, in mandatis dare, ut Perſarum Regi denunciaret, ſe ad eum non venturum: ὅτι καὶ προσφορῇ, καὶ ἐσθῆτι, καὶ οἰκήσει, καὶ πάσῃ τῇ ἐς βίον ἀρκεύσῃ ἐσίῃ χρεόμεθα, *quoniam*, inquit, *& reditu, & veſtibus, & habitatione, & omnibus ad vitam ſufficientibus facultatibus abundamus.* v. HIPPOCR. *Opp. T.* II. *p.* 900. Quin, etiamſi non adeo lauta ipſi res familiaris fuiſſet, quum tamen non exemplis vivamus, ſed legibus, illud certe æque parum probaret, ac ſi alios evocare velles, quos itidem gratuitam ægris præſtitiſſe curam conſtat, quod de Auſonio patre filius AUSON. *Idyll.* 30. de S. Coſma & S. Damiano AMMANN. *in Medic. Crit. Diſc.* IX. *N.* 8. *p.* 71. teſtantur, de Aëtio Amydeno ſupra C. II. §. XXXII. diximus, de Mich. Savanorola vero *Jo. Fr.* PICUS *in vita Savanor. p.* 508. & BAYLE *dans le Diction. Hiſt. & Crit. entre les Artic. obmis T.* IV. *p.* 3058. narrant, atque de aliis alii. Nec magis iis in Sacro Codice eſt præſidii, ex quo tum *Prov.* XXIII: 23. tum II. *Reg.* V: 26. & *Matth.* X: 8. in ſententiam ſuam detorquere ſtudent, v. WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 139. *Q.* 90. *p.* 394. *ſeq.* & PICINELL. *lum. reflex. Part.* VII. *N.* 35. *p.* 622. Priorem enim textum plane ad τὸ κελνόμενον nihil pertinere, quotusquisque eſt, qui non animadvertat? Poſteriores vero uti de ſanationibus miraculo factis loquuntur, ita ab illa, quam hodie eſſe novimus, Medicorum conditione plane alieni ſunt, quod, niſi cum Theologis finium regundorum judicium nobis futurum metueremus, nullo negotio poſſet demonſtrari. Progenuit tamen error hic alium æque imbellem,

lem, dum nonnulli artem Medicam ſpiritualibus accenſent, pro quibus absque Simoniæ crimine mercedem recipere non liceat: ſed hos iterum donum illud ſanandi per miraculum, Prophetis atque Apoſtolis olim quodammodo proprium, innuere, nullum eſt dubium. Tædet reliqua, quæ oggānniuntur, quum omnia ejusdem ſint commatis, percenſere. Neque enim vereor, ut æqui rerum arbitri haud difficile exiſtimaverint, Medicum, ne una littera plus ſit, qui PLAUTI *in Rud. A. V. Sc.* 3. jocus eſt, optima æquitatis ratione navatæ operæ præmium depoſcere. Ipſæ ſacræ paginæ *Exod.* XXI: 19. ſanciunt, ut hominem vulnerans Medico ſoſtrum exſolvat; qui textus utut de Chirurgo loquatur, (unde ſupra C. II. §. III. dictis non adverſatur) nihil tamen omnino obſtat, quo minus, quum non diſſimilis in Medico Clinico ſit ratio, ad hunc etiam recte porrigatur. Idem inculcant leges noſtræ in *l.* 1. §. 1. *ſeqq. ff. de extraord. cognit.* & in *l.* 6. *&* *l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* nec aliud Juri Canonico placuit in *c. non ſane* 14. *q.* 5. Accedit, quod nemo ſuis militare cogatur ſtipendiis; ſuadet publica utilitas, quum ſalutaris ars facile negligeretur, ſi nullus ei haberetur honor, quin & JCtorum, hodie non gratis poſtulantium, exemplum id confirmat. Sed hæc fuſius excutere, & alia hiſce agglomerare, de conſilio ſuperſedemus, quum dudum hac in cauſſa nobis factum ſit otium. v. SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* 1. *Q.* 33. *tota*, TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 366. *ſeqq.* 385. *ſeqq. &* 404. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 8. *N.* 2. *& T.* III. *Q.* 2. *N.* 19. *&* 26. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 9. §. 28. *& paſſim*, *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 19. WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doct. c.* 18. §. 139. *Q.* 90. *p.* 394. *ſeq.* HARPRECHT. *in Comm. ad Inſt. Diſp.* 12. *in Suppl. lit. b.* MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 10. *p.* 89. MANZ. *in Comm. ad Inſt. L.* III. *T.* 27. §. *fin. N.* 20. AMMANN. *Medic. Crit. Diſc.* V. *N.* 6. *p.* 23.

§. XXXIV.

Licebat ergo Medicis ſanationis præmium accipere non ſolum, ſed & petere, neque tamen illud mercedis nomine veniebat. Græcis enim non minus, ac Romanis, nihil æque ſordebat, atque mercedis appellatio. Ita POLLUCI *Onomaſt. L.* IV. *c. 6.* eſt μισθὸς λαμβάνειν, πιπράσκειν τὰ μαθήματα, μισθαρνεῖν, ἀργυρολογεῖν, τὰ μαθήματα διατίθεσθαι, πωλεῖν, ἀποδιδόσθαι, ἀντικαταλλάττεσθαι πρὸς ἀργύριον, μισθῷ διδάσκειν, *mercedes ſumere, diſciplinas vendere, mercede ſervire, pecuniam corradere, de ſcientiis paciſci, negotiari, dare & permutare argento, mercede docere.* Sic SENECA *de Benef. L.* VI. *c.* 15. *p.* 350. & Medico, & bonarum artium præceptori, *non rei pretium, ſed operæ ſolvi, quam deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati nobis vacant, mercedem non meriti ſed occupationis ſuæ ferre,* recte exiſtimat. Nec aliter ipſi Juris noſtri conditores cenſuere, quos cum hujusmodi perſonis locationem non intercedere credidiſſe, §. XIV. monuimus. Conf. quæ C. I. §. XII. de eodem argumento diximus. Atque his minime obſtat, quod in *l.* I. *pr. ff. de extraord. cognit.* & in *l. 6. C. de Prof. & Med.* honoraria mercedes vocentur, ſiquidem id vitio ſeculi invectum eſſe, vel inde ſatis apparet, quod & ipſi Advocatorum, quorum tamen olim honorificentiſſima erat conditio, & vel maxime gratuita opera, palmario, lapſu temporis, tantum non mercedis nomen obvenerit, quin JCti, hos inter atque clientes locationem conductionem intercedere, affirmare non erubuerint. v. HEINECC. *in Synt. Ant. Rom. L.* II. *T.* VII. *§.* XI. *p.* 480. Conf. MEIBOM. *in Comm. ad Hippocr. Jusjur. c.* 10. *p.* 89. & 91. Hinc non intempeſtivam eſſe arbitror AMMANN. *in Medic. Crit. Diſc.* V. *N.* 8. *p.* 23. cenſuram, infra dignitatem Medici eſſe, ut ſchedulas, ſeu indices ſoſtrorum, (Auszüge) mittat, niſi loci conſuetudo aliud poſtulet.

§. XXXV.

Quemadmodum enim caput in omni procuratione muneris & negotii publici eſt, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio, ceu optime monet CICER. *de Off. L.* II. *c.* 21. ita & indignum, Medicum nimia opum trahi cupidine. Non diffiteor quidem, eſſe irato natos ſidere, quibus, quod *Euric.* CORDUS (haud ignobilis ante bina fere abhinc Secula Medicus, in patria, *Ipſo Epigr. L.* XII. teſte, lauto receptus hoſpitio) licet non admodum venuſte, vere tamen, conqueritur,

Tres Medicus facies habet; unam, quando rogatur,
Angelicam: mox eſt, quum juvat, ipſe Deus:
Poſt ubi curato poſcit ſua præmia morbo;
Horridus apparet terribiliſque Satan.

v. NEAND. *de Med. nat. p.* 283. & GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 39. quam nonnullorum valetudini reſtitutorum chiragram pariter *Rod. a* CASTRO *in Med. Polit. L.* III. *c.* 21. & AMMANN. *in Medic. Crit. Diſc.* V. *N.* 7. *p.* 23. *& Diſc.* IX. *N.* 3. *p.* 70. exagitant: At, quum tamen in hac cauſſa

Iliacos intra muros peccetur & extra,

atque, ex GALENI *in lib. quod opt. Med. ſit & Philoſ.* præcepto, Medicum oporteat pecuniam ſpernere, ne illorum, inter quos MASCARD. *de probat. & præſumt. Concl.* 150. *N.* 3. nomen profitetur, cavillationes, qui tenacitatem adeo iis propriam eſſe defendunt, ut Jure inter avaros connumerentur, foveantur: hinc egregie illorum proſpectum erit exiſtimationi, ſin Severi & Antonini Impp. epiſtolam ſibi jubeant eſſe commendatiſſimam. Exſtat autem illa, de xeniis a Proconſule accipiendis, in *l.* 6. § 3. *ff. de off. Procos.* in hæc con-

cepta verba: *Quantum ad xenia pertinet, audi, quid sentimus. Vetus proverbium est, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων' id est, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus: nam valde inhumanum est, a nemine accipere; sed passim, vilissimum est; & omnia, avarissimum.* Conf. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 3. *N.* I. & *T.* 3. *Q.* 2. *N.* 19. & *Rod. a* CASTRO *in Med. Polit. L.* III. *c.* 21.

§. XXXVI.

Prima igitur Medici in exactione honorarii virtus est, ut οὔτε πάντα, *neque omnia*, capiat. Optandum utique foret, ne hoc nomine nonnulli præstantissimo ordini notam inussisse videri possent. Quam attentus ad rem fuerit Jac. Cotterius, quem a Ludovico XI. Galliæ Rege, nondum expleto quinque mensium spatio, quinquaginta quatuor aureorum millia, & nepoti suo Episcopatum Ambianensem, extorsisse, atque propinquis dignitates amplissimas a Principe conciliasse, COMIN. *Hist. L.* VI. *c.* 7. & BZOVIUS *Annal. Eccl. Tom.* IX. *p.* 75. narrant, decantatum est; cui, sin Annales impræsentiarum instituti ratio pateretur excutere, forsan Hieronymus Caput Vaccæ, a quo ex sola curata fœda lue, siquidem proprio ejus testimonio fides est, tantum, vel amplius, comparatum æris, quantum ne a Baldo quidem nostrate ex argumento de substitutionibus, atque Garcias ab Orto, nec non Guil. Harselius, quique præterea sunt reliqui, socii jungi possent. v. ERNEST. *Apanthism. L.* IV. *c.* 20. *p.* 909. PICINELL. *lum. reflex. P.* IV. *N.* 782. *p.* 517. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 38. NEAND. *de Medic. nat. p.* 129. *a* REJES *in Elys. juc. quæst. camp. Q.* 19. *Rod. a* CASTRO *in Med. Polit. L.* III. *c.* 22. MUND. *de mun. & hon. c.* 6. *N.* 572. *p.* 341. *seq.* Procul vero abest, ut in hunc censum illi veniant, quorum virtuti sanatorum æquanimitas condigna, licet non exigua, decrevit præmia, quorumve industriam Principum incitare studuit liberalitas. Ex prisca historia Cap. II. bene longam Medicorum egregie honoratorum exhibuimus

hibuimus seriem: cui ex recentiori ævo Fernelii, ob depulsam, Deo annuente, a Regia Domo sterilitatem, a Catharina Medicæa, quoties hæc partum ederet, decem Ducatorum millibus donati, exemplum haud incongrue addes; v. HEUMANN. *Act. Philos. P.* VII. *N.* 3. *§.* 10. *p.* 85. ut Andr. Richilum, ob summam in sanando fidem magnis pariter auctum opibus, taceam. v. NEAND. *de Med. nat. p.* 129. *seq.* Conf. *Rod. a* CASTRO *in Med. Polit. L.* III. *c.* 22. Fateor, potuisse hic nostræ memoriæ bina Illustria Germaniæ & Belgii Nomina, vere πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων, laudari, nisi ita in laudes excurrere Illorum juberent merita, magis tamen vetaret modestia. Redeamus ergo in viam. Hoc, quod ita liberaliter Medicis donatur, quamvis valde ordinarium sostrum excedat, licite accipiunt, per *l.* 9. *Cod. de Prof. & Med.* siquidem in *d. l.* ne Archiatri quidem, qui tamen annonariis fruebantur commodis, ea accipere prohibentur, quæ sani pro obsequiis offerunt. Atque id luculenter confirmavit FERDINANDUS *Imp.* in Constitutione, quæ in *Reform. Polit. d. a.* 1552. exstat, & apud GOLDAST. *in Parad. de hon. Med. §.* 39. legitur: Doch soll niemand verwördt seyn / eins jeden guten willen nach / den Artzten / nach gestaltsam ihrer gehabten mühe und vleiß / ychtes uber obbestimten Lohn zu verehren / cui die Churfürstl. Brandenb. *Medicinal*-Ordnung *d. a.* 1693. *§.* 8. in MYLII *Corp. Constitt. Magdeb. P.* III. *N.* 265. *p.* 696. disertissimis verbis suffragatur. At, petere non potest, nisi quod probabilem & licitam quantitatem non excedit, arg. *l.* 1. *§.* 12. *ff. de extraord. cognit.* Conf. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 19. TIRAQUELL. *de Nobil. c.* 31. *N.* 441. ibique Palladæ epigramma.

§. XXXVII.

Dispiciendum itaque est, quænam sit illa probabilis & licita quantitas? Iniquissime dubio procul calculum ponunt, qui huic quæstioni ex *l.* 3. *C. Comm. de legat.* cui consona *l.* 1. *§.* 5. *C. de comm. serv. manum.* satisfieri posse nugantur. Certe mire

mire in exponendis his legibus ſe torſit SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* I. *Q.* 27. atque iis tantum, in Medicis unius corporis partis ſanandæ peritiam profitentibus, locum eſſe exiſtimat, quum tamen a ſervili quorundam Romanorum Medicorum, quos *dd. ll.* innuere ſupra C. II. §. XXV. diximus, ad eam, quæ nunc eſt, honorificam illorum conditionem nullatenus argumentum poſſit duci. Nec magis e palmario Advocatorum, in quo licita quantitas pro ſingulis cauſſis usque ad centum aureos intelligitur, per *l.* I. §. 12. *ff. de extraord. cogn.* illud definiri poſſe videtur: Eſt enim potius dicendum, niſi leges provinciales pretium ſtatuerint, arbitrio judicis hoc relinquendum eſſe, quemadmodum & in patria, quod die Erneuw. Apoth. Ordtn. *d. a* 1665. §. 2. verbis: umb ein billigs getrewlich dienen/ & §. 4. ita: niemand über die Gebühr und Billigkeit übernehmen/ indigitat, ſervatur. Iniquum quippe foret, auctis adeo temporis ſucceſſu rerum pretiis, antiquatas leges in uſum revocare. Hinc & FERDINANDI *Imp.* Conſtitutio in *Reform. Polit. d. a.* 1552. apud GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 39. quæ Medico, toties, quoties ægrotum accedit, ab opulentioribus viginti, a pauperioribus decem, crucigeros porrigi, atque id generis alia, jubet, ex illarum legum numero eſt, quæ dudum magna ex parte ſunt reformatæ. Ita ſane die Churfürſtl. Brandenb. *Medicinal-Ordn. d. a.* 1693. §. 8. in MYLII *Corp. Conſtitt. Magdeb. P.* III. *N.* 265. *p.* 696. huic Conſtitutioni non ſemel, & præcipue, quod ad itinera verſus ægrotum ſuſcepta adtinet, derogavit. Conf. AMMANN. *in Medic. Crit. Diſc.* V. *N.* 3. *p.* 23.

§. XXXVIII.

Quemadmodum ergo non adeo liquido in univerſum definiri poteſt, quantum ſoſtri loco Medicus licite accipere poſſit, ita nec illa magis temere adfirmanda aut neganda eſt quæſtio: Num Medicus, cui Reſpubl. ſalarium decrevit, a ſanatis etiam aliquid capere poſſit? Vetus, nec nupero Seculo

culo natum, illud institutum est, ut ex publico Medici quidam alerentur. De Massiliensibus id jam STRABO *Geogr. L.* x. ita testatur: Σοφιςὰς γȣ̃ν ὑποδέχονται, τȣ̀ς μὲν ἰδίᾳ, τȣ̀ς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθȣ́μεναι, καθάπερ καὶ ἰατρȣ́ς. *Nam & privatim & publice a civitatibus, ut Medici, ita etiam Sophistæ, conducuntur;* v. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* VIII. *p.* 223. & MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 225. *seq.* de Archiatris vero in Imp. Romano, publice conductis, §. XXVI. jam diximus, & mox iterum dicemus. In Imperio autem Romano Germanico hæc exempla primus sequutus videtur SIGISMUNDUS *Imp.* cujus eam in rem Constitutionem, (quum ex hoc salutari consilio Medici, quos vocamus, die Land- und Stadt-*Physicos*, natales in Imp. Germ. duxisse videantur) uti in *Ej. Reform. P.* II. *Tit.* XI. & apud GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 35. legitur, adscribere non pigebit: *Item* es soll auch gewöhnlichen in jeder Reich Stadt ein Meister Artzt seyn: Der soll haben hundert Gülden Gelds. Die mag er nießen von einer Kirchen / das ward geordnet *in Concilio Lugdunensi:* alßo daß demnach die Kirch keinen geprësten hab / und besser in der Ordnung stehe. Und soll menniglich artzneyen umbsonst: und soll sein Pfründ verdienen ernstlich und getrewlich. Wol was man köstlich ding auß der Appenteck haben muß / sol man bezahlen; Aber von den Armen sol man nichts nehmen / darumb daß er sein Pfründ neußet. Wann Göttlich ists / Got gaben mit den Armen theilen. Aber die hohen Meister *in Physica*, die schlahen nun den Geitz höfflich betrogenlich. Sie dienen niemand umbsonst: Darumb fahren Sie in die Helle. Etlich werben nit destermynder umb Pfründen / und niessen die unverdient. Besehe man / daß man keinen Artzt mehr Pfründen laß niessen / sie schweren dann lauter die Ordnung zu halten / die vormahls in den *Concilien* geordnet seyndt. Hujusmodi igitur Medicum, neque a discipulis, neque ab ægrotis, quicquam aut capere, aut exigere, posse, quæcunque etiam contraria vigeat consuetudo, Canonum DD. placitum est, qui contra facientem criminis Simoniæ reum fieri strenue contendunt. v. HOSTIENS. & PANORMIT. *ad c.* 4. *X. de Magistr.* Conf. MEIBOM. *ad*

 Hippocr.

Hippocr. Jusj. c. 10. *p.* 90. At, quemadmodum apud nos Juris Pontificii doctrinæ plurimum ivere in exilium, ita multo magis, his DD. commentis immorando, inanem insumeremus operam. Verum alii idem Jure Romano sancitum esse perhibent, atque eam in rem *l.* 5. *§. ult. ff. de SC. Silan.* venditant: v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* 14. Non autem pudet, ingenue profiteri, nondum adeo lynceum mihi esse licuisse, ut vel ullum probandi nervum ex *d. l.* hactenus eruere potuerim. Quin ex *l.* 9. *C. de Prof. & Med.* non solum luculenter intelligitur, Archiatros, quibus tamen ex populi commodis annonæ præbebantur, licite accepisse, quæ sani offerrent pro obsequiis: sed & in *l.* 6. *C. eod.* Constantinus Imp. jubet, ut iis mercedes redderentur. Nec aliam SIGISMUNDI *Imp. Constitutionis* mentem esse, illamque de sola gratuita pauperum cura sancire, ex ipsis ejus verbis satis est perspicuum. Dicendum itaque, Medicum etiam a Republ. conductum non improbe ab opulentioribus sostra & capere, & postulare, nisi alia lege ad id officii vocatus sit.

§. XXXIX.

Sed alios alii injiciunt scrupulos, in quorum numero & ille est: Numne Medicus peccet, qui minoris, atque reliqui quidem ejus loci, ægrotantium curas suscipit? Illud certe adfirmandum esse, censet ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* I. Quum autem & Medico plane gratis mederi integrum sit, cur istud omnimode adseverandum credatur, non video. Est enim problema hoc ita comparatum, ut, nisi animum hujusmodi Medici spectes, vix certi quid eam in rem statui possit. Plura ejusdem indolis dubia addere, facile esset, v. c. num Medico, quocum de diurno salario convenit, pro itinere etiam aliquid debeatur, item, quid sentiendum, sin Medicus viam uno die conficeret, quibus alius triduum impendere debuisset, num trium, an unici diei, exsolvendum honorarium; v. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* I. *Q.* 25.

Q. 25. *&* 28. at, quum ita nimis late patens ingrediendus foret campus, hæc pariter, atque quæ alia moveri possent innumera, expendere defugimus.

§. XL.

Verum enim vero, Medicus non solum ὄτε πάντα, *non omnia*, sed & ὄτε πάντοτε, *non quovis tempore*, honorarium exigere debet. Rectissime hinc colligunt DD. deberi honorarium, vel infirmo sanitati reddito, vel, sin annuo forsan salario operam suam addixisset, anno elapso. v. MYNSINGER. *Observatt. Cameral. Cent.* III. *Obs.* 7. *N.* 3. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* I. *Q.* 26. *tota*, WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 139. *Q.* 92. *p.* 396. *seq.* FELTMANN. *de Dea Podagr. c.* 31. §. 36. *&* 37. *p.* 170. Non autem adeo liquet, quid statuendum sit, sin ejusdem morbi vis redeat? Certe, non videtur esse, cur iis denegandus sit calculus, qui haud sine distinctione respondendum esse arbitrantur. Sin enim vel ex pristina caussa, vel in continenti, & absque culpa ægrotantis, hic in priorem reciderit morbum, tunc nihil amplius honorarii loco Medicum exigere posse DD. existimant, secus rem se habere, sin hæc postulata deficiant. v. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* I. *Q.* 31. *tota*, WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 139. *Q.* 91. *p.* 395. *seq.* AMMANN. *Medic. Crit. Disc.* IX. *N.* 10. *p.* 71. FELTMANN. *de Dea Podagr. c.* 30. §. 6. *seqq. p.* 157. *seq.* Sed neque hæc tamen criteria omnem superant dissensum. Nec enim iis locum futurum puto, si singulorum Medici accessuum honorarium Constitutione publica definitum sit, aut, sin ægrotus per vices illi pro obsequiis aliquid obtulerit: tum quippe tantum eodem pretio curam denuo suscipere tenebitur, si bonam valetudinem inflate promiserit, aut periculum, sive expresse, sive tacite, in se susceperit. Conf. FELTMANN. *de Dea Podagr. c.* 30. §. 2. *seqq. p.* 156. *seq.* Unde non perspicio, quare, ita comparatis rebus, aliter sentiant Glossarum Auctores. v. GREGOR. *Tholosan. in Synt. Jur. univ. L.* XVIII. *c.* 25. *N.* 7. &, qui inde sua

 hausit,

hausit, BOOT *Diss. de privil. Med. C.* 1. §. 13. *p.* 15. At, quemadmodum hos nimis Medicis favere in propatulo est, sic illos contra in hunc ordinem injurios esse censeo, qui ex morbis, de quibus depellendis desperatum est, nullum ad illos commodum redundare oportere perhibent, nisi tales eos esse pronunciaverint. v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 8. *N.* 20. Possunt utique multa humanam fugere sollertiam: quin, quum perito & diligenti Medico, mortuo licet ægro, salarium deberi nemo neget: v. FELTMANN. *de Dea Podagr. c.* 31. §. 37. *p.* 170. cur non deberetur, sin vel prudenti consilio periculum dissimulaverit, aut tale quid obtigerit, quod ei non licuit prævidere. Juvabit, quum non valde dispar sit ratio, de Advocato succumbente MARTIAL. *L.* VIII. *Ep.* 27. audire:

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia caussam,
Misisti nummos quot mihi? mille: quid est?
Narrasti nihil, inquis, & a te perdita caussa est,
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

Conf. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 21. Accedit id, quod supra §. IX. dictum, nullos morbos certo desperatos pronunciari posse, siquidem experientia magistra notissimum, multis, quibus atavorum memoria nullam medicinam natam esse credebatur, hodie felici successu eam applicari. v. FELTMANN. *de Dea Podagr. c.* 23. §. 2. *seqq. p.* 126. *seqq.* Quid quod, & Juri nostro hæ tricæ plane sunt incognitæ, quippe generaliter caventi, Creditori non retentionis jus solum, sed & contrariam pignoratitiam actionem, competere de sostris in servum mortuum erogatis, quum hæc sine discrimine necessariis impensis accenseantur, per *l.* 8. *pr. ff. de pignerat. act.* & *l.* 31. §. 11. & 12. *ff. de Ædilit. Edict.* v. TIRAQ. *de Nobil. c.* 31. *N.* 397. Denique, quem fugit, præmium, quod Medico dependitur, non adeo pro salute, quam pro cura, quod a negotiis suis avocatus nobis vacare voluerit, donari,

illa

illa vero major plurimum eſt in ægrotis depoſitis, ac in reliquis. Appoſite SENECA *Epiſt.* 94. *Ne medicina quidem morbos inſanabiles vincit: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum.* Conf. GREGOR. *Tholoſan. Synt. Jur. univ. L.* XXXI. *C.* 2. *N.* 2. Quæ his adjungi potuiſſent alia, de vitanda Medico, ſuadente HIPPOCR. *in Præcept.* §. 4. acerbitate in poſtulando, v. AMMANN. *Med. Crit. Diſc.* IX. *N.* 5. *p.* 70. & de illo a ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* 16. *ſeq.* moto dubio, num Medico diebus feſtis ſanare, aut ex hujusmodi ſanationibus honorarium capere liceat, de conſilio taceo. v. AMMANN. *l. c. N.* XI. *p.* 71. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* II. §. 19. *p.* 41.

§. XLI.

Illud denique circa Medicorum mercedes venit etiam expendendum, ut ὄτε παρὰ παντῶν, *neque ab omnibus*, illas capiant. Non enim, quod AMBROS. *de Offic. L.* I. *c.* 30. ait, *plus valere debet pecunia, quam vita morituri.* v. *can.* 14. *Diſtinct.* 86. Hinc haud dubie conficitur, Medicum neque pauperibus operam ſuam gratuitam denegare oportere. Ab Archiatris, publice conductis, præprimis id exigunt Impp. in *l.* 9. *C. de Prof. & Med.* ut tenuioribus magis honeſte malint obſequi, quam divitibus turpiter ſervire. v. NÆV. *ſelect. Jus concern. ad d. l.* 9. Quam graviter vero crumenimulgam nationem, quæ illos pecunia emungit, SIGISMUNDUS *Imp.* taxet, ex *Conſtitutione* ea, cujus particulam §. XXXVIII. exhibuimus, intelligitur. Idem ſancit FERDINANDUS *Imp.* in Conſtitutione, quæ in *Reform. Polit. d. a.* 1552. promulgata eſt, & apud GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* §. 39. legitur; eodemque monita der Churfürſtl. Brandenb. *Medicinal-*Ordnung *d. a.* 1693. §. 8. in MYLII *Corp. Conſtitt. Magdeb. P.* III. *N.* 265. *p.* 697. collineant, nec aliud ſibi vult die Ernew. Apoth. Ordtn. der Stadt Bremen *d. a.* 1665. §. 2. verbis: ſie ſeyn Reich oder Arm/ & §. 4. ſollen angeloben/ daß ſie der Patienten ſich ohn Unterſcheidt getreulich annehmen wollen. Quin in has leges adeo

unanimi ſuffragio conſpirant DD. ut ne Medicum quidem præſtitum forſan de non medendo gratis jusjurandum ab hac neceſſitate liberare exiſtiment. v. GAIL. *Obſerv. Camer. L.* 1. *Obſ.* 43. *N.* 13. *ſeqq.* SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 64. SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* 1. *Q.* 33. *N.* 11. *&* 17. *ſeqq.* WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doct. c.* 18. *§.* 131. *Q.* 80. *p.* 364. Sed id tamen vix aliter videtur admittendum eſſe, niſi, ſi forſan illibi loci alii non adſint Medici; v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. Tom.* 11. *Conſ.* 71. *N.* 24. quum, ſin ita res ſeſe habeant, adeo perfecto juris vinculo ad pauperum curam obeundam obligatus ſit, ut & moras nectens mulcta, aliove modo, coërceri poſſit. v. SPECKHAN. *Quæſt. Jur. Cent.* 1. *Q.* 33. *N.* 16. & ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 8. *N.* 8. *ſeqq. & N.* 12. Quin, quod nonnullis DD. placuiſſe *ibid. N.* 13. refert, non videtur abſonum, hujus juris tam arctum eſſe vinculum, ut & in divite avaro idem obtinere queat, at ita, ut, illo ſanitati reddito, vel mortuo, ſoſtrum ab ipſo, ejusve heredibus, quum iſtius quodammodo geſſiſſe cenſendus ſit negotia, haud inique petat. Quæ vero hucusque de egenis ægrotantibus diximus, ea quo minus ad diſcipulos quoque, quibus anguſta domi res eſt, pertineant, æquitas *c.* 1. *X. de Magiſtr.* dubitare non ſinit, quemadmodum contra mutui vinculi nexus jubet, ut opulentiores diſcipuli indigi Doctoris ſubveniant neceſſitatibus. v. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 10. *p.* 90. *&* 91. Conf. BUDDEI *Diſſ. de comparat. obligat. quæ ex divers. hom. ſtatib. oriunt. §.* 24. *& ſeqq. p.* 22. *ſeqq.* Denique & illud Hippocratis eſt conſilium, ut illorum etiam, quos doctrinæ præceptores habuerunt, liberos gratis & ſine mercede doceant. v. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. c.* 10. *p.* 88. Siquidem autem nihilo ſecius a pauperibus Medicus quid extorſit, ad reſtitutionem obſtrictus eſſe jure meritoque cenſetur. v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 8. *N.* 8. *ſeq.*

§. XLII.

§. XLII.

His igitur, quæ hactenus postulavimus, recte sese habentibus, ut Medicus neque circa modum honorarii, neque circa tempus exactionis, neque circa personas, a quibus id exsolvi poscit, peccet; non unum ejus mercedi indultum est privilegium, sive malis, jus singulare. Quum enim in reliquis fere caussis magistratus non ipsi judicarent, sed vel judices darent pedaneos, vel Duumviri in municipiis lites dirimerent; de hac tamen extra ordinem Præses Provinciæ jubetur cognoscere in *l.* 1. *§.* 1. *ff. de extraord. cogn.* præcipue, quum Medicorum justissima caussa sit, utpote salutis hominum curam agentium, nec tamen ulla actione, quum operam locare non crederentur, ob ea, quæ *§.* XIV. *&* *§.* XXXIV. diximus, præmium consequi possent. v. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* II. *Disp.* XLII. *Th.* 10. *p.* 638. STRYK. *not. ad Lauterbach. tit. de extr. cogn. not.* 2. *p.* 1708. LAUTERBACH. *in Coll. Theor. Pract. d. t.* *§.* 1. *T.* III. *p.* 1546. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* L. *§.* 38. *p.* 240. MENOCH. *de arbitr. jud. quæst. L.* 1. *Q.* 46. *N.* 4. GOLDAST. *in parad. de hon. Med.* *§.* 41. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 61. Nec alio censebantur jure, qui quarundam corporis partium sanationem pollicebantur, uti & Chirurgi, nec non obstetrices, quum & hæ medicinam exhibere viderentur, per *l.* 1. *§.* 2. *&* 3. *ff. de extraord. cogn.* v. GREGOR. *Tholos. Synt. Jur. univ. L.* XVIII. *c.* 25. *N.* 3. GONZAL. *a* TELLEZ *ad c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 5. *Opp. T.* 1. *p.* 482. FELTMANN. *de cadav. inspic. c.* 44. *N.* 5. *p.* 72. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 12. 13. *& Concl.* 1175. *N.* 5. quibus, quoniam olim pharmaca ab ipsis Medicis parabantur, quod C. I. *§.* V. monuimus, DD. Pharmacopœos addunt. v. HUBER. *Prælect. ad ff. tit. de extraord. cogn.* *§.* 2. *p.* 750. MANZ. *Comm. ad Inst. L.* III. *Tit.* 27 *§. fin. N.* 20. *p.* 887. HERT. *Diss. de inspect. ocul.* *§.* 28. *Vol.* 1. *T.* III. *p.* 253. Licet vero illis prisci Juris ambagibus, circa dandum judicem pedaneum, a Diocle-

tiano

tiano & Maximiano *l.* 2. *Cod. de pedan. jud.* jam derogatum sit, quin Justinianeo ævo omnia judicia, ex mente antiqui Juris Romani, fuerint extraordinaria, per *§. ult. Inst. de Interd.* v. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. ad tit. ff. de extraord. cogn.* §. 1. *T.* III. *p.* 1546. & SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* VII. §. 3. *not. e. p.* 142. *seq. & Exerc.* L. §. 38. *p.* 240. illud tamen inde in fora nostra videtur esse derivatum, ut judex modum honorarii, ex arbitrio boni viri, definire possit; v. GOTHOFRED. *ad l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof. Tom.* V. *p.* 37. qua æstimatione in id merito intenditur, ut neque nimium, neque etiam minimum, adjudicetur, ne justa actori conquerendi caussa sit; Medice vivere esse pessime vivere, v. AMMANN. *Medic. Crit. Disc.* IX. *N.* 6. & 7. *p.* 70. & BOOT *Diss. de privil. Med.* §. 7. *p.* 9. Verum & illud in caussis, de quibus olim extra ordinem cognoscebatur, adeoque & in hac, perduravit, ut hodie in iis summariter plurimum procedatur non facile appellatio indulgeatur, neque partes ad sollemnia Processus remittantur, sed hæ lites frequentius brevi manu, per mandata, expediantur, v. STRYK. *not. ad Lauterbach. tit. de extraord. cogn. n.* 4. *p.* 1708. ZAUNSCHLIFFER. *Diss. de privileg. Professor. Aph.* 13. *p.* 15. GAIL. *Observatt. Cam. L.* 1. *Obs.* 20. *N.* 5. quemadmodum & in caussa salarii, adjudicato actrici a tempore moræ eo quod interesset, in Supremo Imperii Judicio pronunciatum esse docet BLUM. *Sentent. Cameral. N.* 670. *p.* 265. & *N.* 910. *p.* 364.

§. XLIII.

Quin in honorario Medicorum illud præterea singulare observatur, quod, si forsan ægrotus, aut, qui ex morbo decessit, bonis lapsus sit, ea, quæ Medico debentur, plerisque debitis præferantur. Quemadmodum enim sumtus funeris Debitoris omne præcedunt creditum, per *l.* 45. *ff. de relig. & sumt. fun.* v. CARPZOV. *Part.* 1. *Const.* 28. *Def.* 39. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. tit. de reb. autor. jud.*

possid.

possid. §. 28. *T.* III. *p.* 408. *seq.* nec hi solum, sed & impensæ in uxoris, sin nempe indotata illa fuerit, argum. *l.* 22. *ff. de relig. & sumt. fun.* & aliorum, quos ille terræ mandare debuit, sepulturam erogatæ eodem gaudent jure, per *l.* 17. *pr ff. de reb. aut. jud possid.* Ita & interpretatione prudentum idem beneficium sostris ultimi morbi, utpote funeri connexis, tributum est. Fateor esse, qui plane in diversa abeunt, & sostra non minus, atque honoraria Præceptorum, in penultimam Creditorum classem rejiciunt, & hæc cum chirographariis privilegiatis pari passu ambulare debere contendunt. v. STRUV. *in Synt. Jurispr. Exerc.* XLIV. *Th.* 56. & BRUNNEM. *in Proc. Concurs. Credit. c.* 5. §. 62. *seq.* Ast, quum in *l.* 4. *C. de hered. petit.* & in *l.* 3. *C. de Relig.* erogata in sumtum funeris & in morbum æquo jure censeantur, & præterea in *l.* 22. §. 9. *C. de jure delib.* impensæ sepulcrales, testamenti insinuatio, inventarii confectio, & aliæ necessariæ caussæ conjungantur; in *l.* 8. *ff. Depositi* autem bonorum calculum non subducendum esse dicatur, nisi deducto necessario sumptu: hinc magis probanda videtur, quæ in plerisque foris invaluit, sententia, sostra, præcipue extremi morbi, iisdem, quibus impensæ in funus, privilegiis frui, & reliqua debita antecedere. Atque ita censent CARPZOV. *Part.* I. *Const.* 28 *Def.* 45. MEV. *ad Jus Lubec. P.* VIII. *Dec.* 163. NÆV. *select. Jus concern. ad l.* I. §. 3. *ff. de extraord. cogn.* LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. tit. de reb. autor. jud. possid.* §. 29. *T.* III. *p.* 409. ZACCH *Quæst. Med leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 8. *N.* 2. ZAUNSCHLIFF. *de privil. Profess. Aph* 13. *p.* 15 *seq.* BOOT *Diss. de priv. Med C.* II. §. 22. *p.* 44 Quin, quandoquidem ubivis fere locorum usu Judiciorum obtinuit, ut mercedibus famulorum & ancillarum in prima Creditorum classe satisfiat, v. LAUTERBACH. *l. c.* §. 30. *p.* 409. *seq* quam consuetudinem in Saxonia etiam vigere testatur CARPZOV. *P.* I. *Const.* 28. *Def.* 24. & juri divino consentaneam esse censet, atque præ udiciis Tribunalium Bremensium firmat KREFFTING. DD. vero auctoritatibus WACHMANN. *in ob-*

 servatt.

servatt. ad Statut. Brem. 74. inde denuo, quum eadem, nisi forsan potior, in nostris sit ratio, v. ZAUNSCHLIFFER. *l. c. p.* 16. id conficitur, optimo jure, meritoque Medici honorarium reliquis debitis anteponendum esse. v. LAUTERBACH. *l.c.* §. 31. *p.* 410. Id tamen alicubi locorum invaluit discriminis, ut in ultimum morbum erogata hodieque eodem jure utantur, in reliquos, inter Creditores quartæ classis collocentur. v. LUDOVIC. *Concurs-Proc. c.* 10. *Class.* 1. §. 13. *&* *Class.* 4. §. 61. Nec dissimili ab eo, quod modo diximus, jure utuntur, sin forsan didactra ipsis debeantur, siquidem & his eadem beneficia fori observantia indulsit, v. CARPZOV. *P.* 1. *Const.* 28. *Def.* 26. imo alicubi majora, quemadmodum Jure Lubecensi & Saxonico hæc ipsis funerum impensis præferuntur, v. CARPZ. *l.c. Def.* 24. *&* 39. quod & Juri Marchico placuit *in Constitut.* von Erbfällen zwischen Ehe-Leuten / ad quam conf. KOHL. *de pact. dotal. & success. conjug. Q.* 4. Addatur KOEPPEN. *Quæst. Illustr. Dec.* 28. *N.* 13. Neutiquam tamen dubitandum est, quin, quæ hactenus exposita sunt, in his non magis, ac in cœteris Creditorum privilegiis, quod notissimi juris est, adtendantur, sin ex debito usuras perceperint, quippe, ita comparatis rebus, quoniam prior obligatio cum suis privilegiis peremta est, ex nova obligatione inter cœteros collocandi, per §. 3. *Inst. quib. mod. toll. obl. & l.* 1. *pr. & l.* 29. *ff. de Novat.*

§. XLIV.

Denique, addidit binis his privilegiis ferax DD. ingenium tertium, illud nempe, ut, si cum Medico de annuo salario convenerit, sin is morte occupatus etiam ineunte anno diem suum obierit, istud nihilo secius integrum exsolvendum sit. In legibus nostris eam in rem certe nihil cautum est, siquidem *l.* 15. §. 1. *C. de Adv. div. judicior.* solis Fisci Patroni, uti *l. ult C de Domest. & protect.* Virorum fortium præsentalium domesticorum in schola equitum Secundicerii locum adeptorum, & *l.* 3. *C. de Agent. in reb.* Agentium in rebus

tantum

tantum heredibus universi anni solatia (quæ das Trauer-oder Nach-Jahr vocamus) indulsere: At nihil tamen veto, quo minus, argumento a Professoribus ducto, quibus ea Seculi usus concessit, v. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 14. *p.* 16. *seq.* WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* 1. *Disp.* v. *Th.* 25. *p.* 40. ad Medicos eadem jura, quum non dissimilis sit æquitatis ratio, transferri possint, nisi consuetudo obstet contraria. v. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 26. *N.* 3. CARPZOV. *P.* 11. *Const.* 51. *Def.* 12. *N.* 4. BOOT *Diss. de privil. Med. C.* 11. §. 22. *p.* 43. *seq.* COSTA *de congr. rer. port. Q.* 64. *N.* 3. Dissentit WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* 11. *Disp.* XLII. *Th.* 13. *p.* 640. *& in Commentatt. Cathedr. ad Cod. L.* 11. *T.* 7. *p.* 209. *seq.*

§. XLV.

Expensis igitur juribus, quæ Medicis circa honoraria priva, series, quam §. XXXI. sequuturos esse diximus, postulat, ut proxime de iis, quæ in testimonio perhibendo illis singularia sunt, disseramus. Complures sane in foris agitantur caussæ, in quibus Jurisperiti a Medicorum judiciis pendere, atque reos iis stare aut cadere oportet. Sin magia, seu vafris artibus, v. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 44. §. 7. *not.* 2. *p.* 122. sin venenis alicui nocitum esse dicatur; v. die Königl. Preußische *Crimin.* Ordn. *c.* 3. §. 9. Conf. CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 21. *N.* 7. *seqq.* MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 7. KRESS. *l. c. ad Art.* 37. §. 1. *not.* 1. *p.* 97. *ad Art.* 130. §. 2. *not.* 2. *p.* 358. *&* §. 4. *p.* 360. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 30. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* 11. *T.* 2. *Q.* 13. *N.* 1. *seq.* FELTMANN. *de cadav. inspic. c.* 24. *p.* 91. *seq.* sin quæ de abortu provocato suspecta, v. KRESS. *l. c. ad Art.* 133. §. 2. *not.* 3. *p.* 375. si infanticidii rea sit, v. die Königl. Preußische *Crimin.* Ordn. *c.* 3. §. 10. Conf. VATER. *Diss. de valor. & suffic. signor. infant. recens nat. viv. aut mort. edit. arguent.* FELTMANN. *de cadav. inspic. c.* 2. *N.* 11. *seqq. p.* 9. *seqq.* si de illibata virginitate quæratur, v. VATER. *Diss.*

de ingravidat. dissimul. ZACCH. *Quæst. Med. leg. T.* III. *Cons.* 34. & 42. si caussæ divortii dubiæ, v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* III. *T.* I. *Q.* I. *N.* 5. *seqq.* & *Tom.* III. *Cons.* 83. *a* REJES *Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. *p.* 30. Medicorum testimoniis judex carere nequit. Præterea, quando diræ quæstiones decernendæ sunt, v. KRESS. *l. c. ad Art.* 59. §. 1. *p.* 160. *seqq.* v. g. si reus morbo comitiali laboret, quippe qui ex DD. mente ab acerbioribus tormentis liberare, v. BRUNNEM. *Proc. inquisit. c.* 8. *N.* 27. & *ad l.* 7. *ff. de quæst.* & CARPZ. *Prax. Crimin. P.* III. *Q.* 118. *N.* 50. (unde &, quum dubia aliquantum essent indicia, a Collegio quodam Juridico, rebus ita comparatis, solam territionem decretam esse compertum habeo) aut id efficere solet, ut Physici vel Chirurgi adesse debeant, quo epileptico medicinis succurratur, aut is non intempestive equuleo subjiciatur, v. STRYK. *not. ad Lauterbach. tit. de quæstion.* & JCC. *Tubingens. apud* HARPPRECHT. *Vol. nov. Tom.* III. *Cons.* 79. *N.* 180. porro, quando quis morbum simulat, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 398. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* III. *T.* 2. *Q.* 1. *N.* 4. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 3. aut furorem, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 398. ZACCH. *Quæst. Med. leg. T.* III. *Dec.* 2. *N.* 6. quando Medico, ob morbi reditum, sostrum denegatur, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 398. ubi testatorem non sanæ mentis fuisse contenditur, v. ZACCH. *l. c. L.* II. *T.* 1. *Q.* 1. *N.* 2. *seq.* MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 10. unde non incongrue heres sibi prospiciet, sin ante actum testandi a Medico testimonium de sana mente testatoris in perpetuam rei memoriam exarari cupiat, v. STRYK. *de cautel. testam. c.* 4. §. 39. ubi dubitatur, num testamentum privilegiis eorum, quibus tempore pestis condita utuntur, gaudere queat, v. ZIEGLER. *Diss. de testam. temp. pest. privileg. Th.* 14. *p.* 17. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 4. quin in innumeris aliis caussis, quarum etiam unam supra §. XVI. memoravimus, Medici a judice in consilium advocandi sunt.

§. XLVI.

§. XLVI.

Harum tamen frequentiſſima, nec ex poſtremis eſt, ubi vulnera occiſi inveſtiganda ſunt, ut judici tanto certius conſtet, num ex iis occubuerit, an ex aliis cauſſis. v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* v. *T.* I. *Q.* I. *N.* 6. *ſeq.* KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 48. §. 2. *not.* 2. *p.* 136. *& ad Art.* 149. §. I. *not.* I. *p.* 449. *a* REJES *Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 2. *p.* 30. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 398. SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 45. Licet enim *Conſt. Crim. Car. Art.* 149. id officii Chirurgis demandaverit, verbis: und einem oder mehr Wund-Aertzten (ſo man die haben und ſolches geſchehen kan) die denn zuvor dazu beeydigt werden ſollen/ multis tamen in locis cum hoc Jure Carolino divortium factum eſt. Ita Caſſellis ſectio Medico, a Collegio Medico, quod ibi eſt, probato, relinquitur, uti & in patria itidem Medicorum hac in cauſſa ſtatur teſtimoniis. v. KREFFTING. *gloſſ. ad Stat. Brem.* 101. Quid horum e re ſit, num Chirurgis, num magis Medicis, hæc munia imponenda, non juvat poſt HERT. *in Diſſ. de inſpect. ocul.* §. 28. *Opuſc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 252. *ſeq.* KRESS. *in Comm. ad C. C. C. Art.* 147. §. I. *not.* 3. *p.* 437. SCHOEPFFER. *in Diſſ. de hæmorrhag. vulnerat. c.* 2. *N.* 51. *ſeqq.* LAUTERBACH. *in Coll. Theor. Pract. tit. ad L. Corn. de Sic.* §. 13. *T.* III. *p.* 1233. BOOT *in Diſſ. de privil. Med. C.* I. §. 20. *ſeq. p.* 18. *ſeq.* FELTMANN. *de cadav. inſpic. C.* 44. *N.* 6. *p.* 172. *& N.* 18. *&* 19. *p.* 176. *& C.* 48. *ſeq. p.* 185. *ſeqq.* CARPZOV. *Prax. Crim. P.* I. *Q.* 26. *N.* 36. MASCARD. *de probat. Concl.* 1175. *N.* 40. expendere, ſiquidem omnis demum hæc quæſtio eo redit, ut diſpiciendum ſit, uter alterum peritia & ſcientia antecellat, qua de re, niſi ſpectes ſingulos, vix judicium ferre licebit.

§. XLVII.

Quicquid ejus rei ſit, varia Medicis, quin & Chirurgis, circa teſtimonium perhibendum indulta ſunt jura ſingularia.

Licet enim in Historicis forsan quandoque unus testis aliquam fidem facere possit, v. *Arn.* GREVE *Diss* περὶ τῶν ἅπαξ εἰρημένων *seu de auctor. un. test.* in judiciis tamen unius omnino testis responsio non auditur, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat, per *l.* 9. §. 1. *C. de test.* v. NOODT *Comm. ad ff. tit. de test. Opp. T.* II. *p.* 480. unde & tritum illud: Ein Zeuge / kein Zeuge / natum est, cui, quamvis in nonnullis caussis fallat, v. AMSEL. *Diss. vulgato dicto Un. test. null. test. oppos.* & HORNII *Diss. de probat. per unum testem*, uti in possessorio summario videtur, in quo & unicum sufficere nonnulli DD. existimarunt, v. PHILIPP. *Observatt. Jur. Pract. ad Decis. Sax.* I. *c.* I. *Obs.* 8. Conf. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* I. *Disp.* XLIII. *Th.* 32. *p.* 535. in plerisque tamen sua integra perstat auctoritas. At in caussa omnium gravissima, & inter arduas ex præcipuis, v. BOEHMER. *Diss. de causs. arduis & major. C.* I. §. 16. ubi de vita hominis sæpius disceptatur, unius Medici aut Chirurgi testimonio est acquiescendum, per *C. C. C. Art.* 149. Videntur quidem alia Juri Pontificio placuisse in *c.* 18. *X. de homicid.* quin & nonnullæ Leges Provinciales, v. g. Wurtembergicæ & Hassiacæ, v. HERT. *Diss. de inspect. ocul.* §. 29. *Opusc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 256. REINHARTH. *Diss. de fide & legal. Med. in invest. vulner. lethal.* §. XI. *p.* 22. nec non Brandenburgicæ, v. die Königl. Preußisch. *Criminal-Ordn. c.* 3. §. 9. in diversam abiere sententiam, immo, si plures commode accersi potuerint, judicem neutiquam culpa vacare, ex *C. C. C. Art.* 149. recte colligitur, v. HERT. & REINHARTH. *ll. cc.* GREGOR. *Tholosan. Syntagm. Jur. univ. L.* XVIII. *c.* 25. *N.* 8. SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 55. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 46. FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 42. *N.* 2. *p.* 165. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 24. quod adeo DD. urgent, ut & inde defensorem, sententia contra reum lata, appellandi caussam captare posse existiment, v. OLDEKOP. *Caut. criminal. L.* VII. *T.* 10. *N.* 2. FELTMANN. *de cadav. inspic.*

C. 42. *N.* 3. *p.* 165. *seq.* nisi partes antea ejus arti consisi sint, atque in ea acquieverint: v. GAIL. *Observatt. Camer. L.* II. *Obs.* III. *N.* 5. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 47. STRUV. *Diss. de testimon. peritor. in arte*, §. 14. FELTMANN. *l. c. c.* 41. *N.* 6. *p.* 165. *& c.* 42. *N.* 4. *p.* 166. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 22. *seq.* Conf. WISSENBACH. *Exercitt. ad ff. P.* I. *Disp.* XLIII. *Th.* 32. *p.* 535. *seq.* At, quum Jura Canonica, quod ad hanc certe caussam adtinet, in nostris foris vix obtineant, in reliquis etiam Germaniæ judiciis per *C. C. C.* iis derogatum videatur; consequens est, ut, nisi Provinciarum Constitutiones aliud sanciverint, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 29. *seq.* aut plurium commoda sit copia, omnino unius Medici standum sit testimonio. Atque illud quidem tanto magis videtur esse admittendum, quanto æquius est, peritis in arte fidem adhiberi, per *l.* 1. *pr. ff. de inspic. ventre*, quippe qui ipsi quoque, siquidem plures facile advocari nequeunt, etiamsi vel unicus tantum testimonium perhibeat, plenissimam judici faciunt fidem. v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 1. *Concl.* 1175. *N.* 1. *&* 21. *seqq. & Concl.* 1215. *N.* 3. STRUV. *Diss. de testimon. peritor. in arte*, §. 12. *&* 14. BECHMANN. *Diss. de opific. & literat. clancular. Posit.* 109. *p.* 67. REINHARTH. *Diss. de fid. & leg. Med. in inv. vuln. leth.* §. XI. *p.* 22. MUND. *de mun. & hon. c.* 6. *N.* 94. *p.* 264. NÆV. *select. Jus concern. ad l.* 12. *ff. de stat. hom. N.* 2. *&* 6. *& ad l.* 6. *C. de re mil. N.* 2. Idem igitur obtinet in Medicis, nec invita Themide; nam, Ipso *Imp. in C. C. C. Art.* 149. præeunte, aliquando vel unici de vulnere judicium fortissimæ probationis vim habet; unde & huic sententiæ plerique DD. certatim subscripsere, v. STRUV. *Diss. de testimon. peritor. in arte*, §. 15. *&* 16. CARPZOV. *Prax. Crim. P.* I. *Q.* 21. *N.* 8. *Q.* 26. *N.* 23. *seqq. N.* 35. *& N.* 43. *seqq.* MASCARD. *de probat. Concl.* 92. *N.* 4. *& Concl.* 1039. *N.* 2. 5. *seqq.* 25. *seqq.* 31. *seq. Concl.* 1175. *N.* 2. *& N.* 21. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 46. BESOLD. *Thes. pract. in Addit. p.* 53. BOOT. *Diss. de privil. Med.*

Med. C. I. *§.* 15. *p.* 15. *seq.* ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* V. *T.* 2. *Q.* I. *N.* 2. 4. & 7. & *Tom.* III. *Dec.* 43. *N.* 6. & *Dec.* 55. *N.* 2. GREGOR. *Tholos. Synt. Jur. univ. L.* XVIII. *c.* 25. *N.* 10. NÆV. *ll. cc.* HERT. *Diss. de inspect. ocul.* §. 29. *Opusc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 256. REINHARTH *Diss. cit.* §. XI. *p.* 21. 22. FELTMANN. *de cadav. inspic. c.* 42. *p.* 165. *seqq.* STRYK. *de cautel. testam. c.* 4. §. 39. quibus & ipsi supremi Imperii tribunalis quondam Adsessores GAIL. *Observatt. Pract. L.* II. *Obs.* III. & MYNSINGER. *Observatt. Cameral. Cent.* VI. *Obs.* 34. suffragantur. Quid quod, sunt sane, qui, etiamsi Medico haud difficile alii adjungi potuissent, inconcussam nihilo minus ejus stare arbitrantur auctoritatem, si is, qui solus adhibitus est, publico duplomate ad id officii vocatus sit, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 32. FELTMANN. *de cadav. inspic. c.* 42. *N.* 7. *p.* 166. *seq.* & *c.* 43. *N.* 8. *p.* 169. *seq.* siquidem horum fidem Defensori haud facile licet infringere, aut contra eorum peritiam excipere, v. REINHARTH. *Diss. cit.* §. 6. *p.* 11.

§. XLVIII.

Verum, quamvis utique Medici unius testimonium plenam fidem facere possit; superveniunt tamen nonnunquam momenta, quæ ejus auctoritatem maximopere convellunt. Quandoquidem enim testis sese ingerens, nec citatus, omnino suspectus est, argum. *l.* 25. *ff. de Procurat.* v. MYNSINGER. *Observatt. Cameral. Cent.* 4. *Obs.* 3. ita & Medici fides admodum vacillat, si, sine præcedente judicis inquisitione, vulnus aliquod mortiferum esse denunciaverit, aut negaverit, v. CHRISTINÆI *Decis. Belg. Vol.* V. *Decis.* 136. *N.* 16. *seqq.* MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 18. REINHARTH. *Diss. de fid. & legal. Med. in invest. vuln. lethal.* §. 7. *p.* 12. Sed & præterea, ut ea, quæ §. *anteced.* diximus, recte sese habeant, Jura exigunt, ut Judex ipse, quum vulnera a Medico inspicerentur, præsens fuerit, atque hunc rite & diligenter de illorum conditione examinaverit. Hujusmodi quæ-

stiones

ſtiones ſuggerit die Königl. Preuß. *Crimin.* Ordn. *C.* 3. §. 9. wie die Wunden beſchaffen / ob ſie geſchlagen / durch werffen geſchehen / gehauen / mit einer dreyeckigten oder platten Klinge / oder auch mit einem Meſſer etc. geſtochen oder geſchnitten / auch ob ſie tödtlich ſind / oder nicht? Sin itaque Judicis in hoc examine, circa quod bene multa DD. ſunt poſtulata, deſideretur diligentia, ne tunc quidem tanta, ac modo evicimus, Medici eſt auctoritas. v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 20. CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 26. *N.* 23. & 43. CHRISTIN. *Deciſ. Belg. Vol.* V. *Dec.* 136. *N.* 17. *ſeq.* FELTMANN. *de cadav. inſpic. c.* 40. *N.* 3. *ſeqq.* & *c.* 53. *N.* 1. *ſeqq.* LAUTERBACH. *Colleg. Theor. Pract. ad L. Corn. de Sicar.* §. 13. *T.* III. *p.* 1233. *ſeq.* SCHOEPFFER. *Diſſ. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 80. *ſeqq.* GREGOR. *Tholoſ. Synt. Jur. univ. L.* XVIII. *C.* 25. *N.* 11. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 149. §. 1. *not.* 4. *p.* 450. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* 1. §. 16. *ſeqq.* Denique & illud videtur eſſe monendum, ut ſuperius dicta non de aliis Medicis, quam qui examine, aut publico teſtimonio, probati ſunt, intelligantur, v. HERT. *Diſſ. de inſpect. ocul.* §. 30. *Opuſc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 257. ſiquidem §. XIX. obſervavimus, ubivis fere locorum vix absque his Medicinam alicui facere integrum eſſe. Ita egregie die Königl. Preuß. *Crim.* Ordn. *C.* III. §. 9. ſancit: Daß das Gericht hiezu bey Verluſt der Gerichtbarkeit / ſo viel möglich / Gelehrte / gewißenhaffte / der *Anatomie* kundige / und *in praxi* wohlgeübte Leute erwehlen ſoll. Hinc meum quidem nunquam feret calculum illa MASCARDI *de probat. Concl.* 1039. *N.* 11. & PACIANI *de probat. L.* 1. *C.* 47. *N.* 131. & 134. aliorumque, quibus gloſſarum deliciæ ad palatum ſunt, ſententia, Empiricorum quoque, & eorum, qui vulgi ſermone Medici audiunt, judicium ejusdem eſſe ponderis. Quanto enim æquiora ſint iſtorum placita, qui tam arduo & ancipiti negotio, non niſi vel Doctoralibus ornatos inſignibus, vel alio peritiæ teſtimonio munitos, cenſent eſſe admovendos, nemo, confido, non perſpiciet. In has vero partes eunt HERT. *c. l.*

ZACCH. *Quaſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 7. *N.* 3. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 13. *T.* III. *p.* 1233. FELTMANN. *de cadav. inſpic. C.* 44. *N.* 6. *ſeqq. & N.* 18. 19. *& C.* 46. *N.* I. *ſeqq.* WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doctor. c.* 12. §. 72. *Q.* 41. *p.* 197. *ſeqq.* SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 21. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* 11. §. 2. *&* §. 20. Neque enim in hac cauſſa quisquam, puto, VOSSII *in Diſſ. de rat. ſtudior.* (in Juris Doctore alioqui ab HUBER. *Prælect. ad tit. ff. de Poſtul.* §. 6. *p.* 163. probatum) feret ratiocinium, Doctorem non ad facultatem docendi e cathedra exigendum, ſed illum etiam Doctorem videri, qui de arte ſua tantum perceperit, ut eam ad uſum applicare poſſit. Parum enim abeſt, quo minus exiſtimarem, ne Doctorum bullatorum quidem, quippe qui plurimum absque legitimo examine renuntiantur, v. KIRCHMANN. *de annul. C.* 8. *p.* 46. CALIXT. *de Jubil. Rom. Pontif. p.* 187. *ſeq.* nec in Gallia Doctorum gaudent privilegiis, v. Zeillers Hiſt. Sendſchr. *Ep.* 605. *p.* 1062. non magis ac in Germania, niſi de arte interrogati ſint, v. WACHMANN. *Diſc. de privil. Concl.* 18. BERGER. *in not. ad Lauterbach. tit. de Adopt. p.* 61. SPECKHAN. *Quaſt. Jur. Cent.* I. *Q.* 22. quin alicubi locorum prius, quam peritiam ſuam probaverint, medicinam facere omnino vetantur, v. das Königl. Preuß. *Edict* von *Medicis bullatis d. d.* 9. *Oct.* 1713. in MYLII *Corp. Conſtitt. Magdeb. P.* III. *N.* 265. *p.* 686. *ſeqq.* teſtimonium tantam judici, ac rite his inſignibus ornatorum, facere fidem. Conf. SIMON. *Diſſ. de Doctor. bullat. C.* 4. MUND. *de Comit. Palat. Cæſar. C.* 3. *N.* 228. *ſeqq.*

§. XLIX.

Quantumvis autem ea, quæ modo indicavimus, omnia recte ſint comparata, & neque Medicus judicio ferendo ſe obtruſerit, nec judex circa ejus examen peccaverit, imo ille etiam publico ſuffragio probatus ſit; eſt tamen ejus judicium, quod jam ſæpius innuimus, reapſe tantum teſtimonium, nec ſenten-

ſententia, quod ex eo inſuper confirmatur, dum §. XLVII. illud peritorum in arte decretis comparavimus. Uti vero nec horum opiniones & ſententiæ in cauſſis, quæ fallere poſſunt, judicati vim habent, nec contrarii probationem recuſant, v. BOEHMER. *Diſſ. de ſentent. in rem judicat. haud transeunt.* §. 29. *p.* 32. *ſeq.* ita non magis Medicorum adeo ſtandum eſt auctoritati, ut nihil omnino, nec urgentia quidem argumenta, obmoveri poſſe, arbitremur, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 39. & 40. CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 26. *N.* 47. *ſeq.* STRYK. *U. M. ff. tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 4. *p.* 755. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. ad tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 13. *T.* 111. *p.* 1233. *ſeq.* KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 149. §. 1. *not.* 4. *p.* 450. FELTMANN. *de cadav. inſpic. C.* 41. *N.* 5. *p.* 164. ſiquidem in hujusmodi cauſſis admodum fallax humana eſt ſollertia, per *c.* 14. *X. de probat.* & *c.* 6. *X. de frigid. & malefic.* Conf. BOEHMER. *Diſſ. de ſentent. in rem judicat. haud transeunt.* §. 29. *p.* 32. *ſeq.* Hinc porro colligimus, utique Medici fidem labaſcere, ſin rei defenſor ejus in ſecando jure arguere queat oſcitantiam aut incuriam, v. AMMANN. *Medic. Crit. Diſc.* 11. *p.* 14. *ſeq.* quale exemplum occiſi pulmonem punctim incidentium, quo facto de vulnere ab homicida illato non conſtabat, exagitant STRYK. *de jure ſenſ. Diſſ.* 1. *c.* 2. *N.* 34. & SCHOEPFFER. *Diſſ. de hamorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 85. aut, ſin evincere poſſit, Medicum, ſive ex imperitia, ſive quod favori aut odio aliquid dederit, falſa narraſſe. v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 1. *Q.* 5. *N.* 26. REINHARTH. *Diſſ. de fid. & legal. Med. in inveſt. vuln. lethal.* §. 9. *p.* 17. *ſeq.* Elegantiſſimum poſterioris generis defenſionis ſpecimen urget QUINTILIAN. *Declam.* VIII. *p.* 137. *An deſperantibus*, ait, *credi debuerit, vos æſtimabitis, qui negarunt ægros poſſe ſanari, nec in hoc probaverunt, qui evaſit, nec in illo, quem non languor occidit;* cui non diſſimile eſt, quod de obſtetrice, embryonem, mulieris uterum ferentis calce percuſſæ, moriturum judicante, altero tamen (gemellos enim edebat) poſt ſemeſtre vivo, al-

tero mortuo nato, refert AMMANN. *in Jren. Numæ Pomp. & Hippocr. p.* 120. *seq.* At enim vero, vix videtur esse, ut, etiamsi alteruter vulneratorum in publico loco, veluti templo, foro, balneo, comparuerit, id Medicorum judicium infringere valeat. Quamvis enim non Jure solum divino, ob *Exod.* XXI: 18. 19. sed & moribus patriis, ex placitis *Stat. Brem.* 101. Wert een Mann geschlagen / dat he legerhafftig wert / un kumt he up / un wert besehen van guden Lüden to der Kercken / edde to dem Marckede / offte to dem Staven / un storve he darna / de ehme schlagen hadde dorffte nenen Mort beteren / sunder Schläge / offte Wunden / offte he de' hadde; Conf. WACHMANN. KREFFTING. & ALMERS. *not. ad d. Stat.* atque *P.* Koch *Concord. Stat. lib. Reip. Brem. T.* 6. §. 26. imo & hujus Groninganæ Provinciæ consuetudine a capitis supplicio illud homicidam liberet, non tamen crederem, hujusmodi egressum, utpote non raro vulnerantis blanditiis extortum, alteri reo, sin iste nihilo secius occubuisset, favere, & latum de vulnere judicium diluere, aut infirmare. Magis dubio procul reo foret præsidii in eo, sin peritiorum Medicorum suffragio priorum sententiam improbaret., v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.*41. FELTMANN. *de cadav. inspic. C.*41. *N.*5. *&* 6. quale Collegii Medici Academiæ Juliæ Responsum, quo JCti ibidem moti extraordinariam pœnam ob admissum infanticidium decernendam judicarunt, exhibet KRESS. *in Comm. ad C. C. C. Art.* 179. §. 3. *in not. p.* 592. *seqq.* Ubi vero hujusmodi quid emergit, tunc sententia, ut ex falsis testimoniis lata, revocatur, quem in modum Scabinos Lipsienses, a Medicis meliora, quam a Chirurgis, edoctos, decretum mutasse, memorat CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 26. *N.* 48. quod tamen alii DD. ultra simplicem, alii ultra binas vices fieri posse negant. v. STRYK. *in V. M. ff. tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 4. *p.* 755. *seq.* FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 41. *N.* 5. *&* 6. Si autem talia Medicorum fidei obmoveri nequeunt, vel unius integra & inconcussa perstat auctoritas, plenamque absolvit probationem.

§. L.

§. L.

Porro illud etiam Medicis circa teſtimonium perhibendum peculiare eſt, ut, quum teſtes ſe ſiſtere debeant neceſſario, argum. *l.* 11. *C. de teſt.* & in judicio audiri, per *l.* 3. *§.* 4. *ff. eod.* v. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* 1. *Diſp.* XLIII. *Th.* 33. *p.* 536. NOODT *Comm. ad ff. tit. de teſt. Opp. T.* II. *p.* 481. nec ſcriptis teſtimoniis credatur, per *d. l.* 3. *§.* 3. *ff. eod.* ſiquidem ſcripta nihil probant, per *l.* 4. *C. eod.* & *can.* 15. *Cauſ.* 3. *Q.* 9. v. BRUNNEMANN. *Comm. ad Cod. tit. de teſtib. Q.* 2. præterquam in cauſſis ſummariis, parvi momenti, & præparatoriis; v. BRUNNEM. *Comm. ad Cod. tit. de teſt. Q.* 8. hi tamen in cauſſa maximi diſcriminis uſu fori plerumque ſcriptum teſtimonium, quod einen *Obductions*-Schein, ein *Viſum Repertum*, ein *Medicinal-Atteſt*, vocamus, ad Acta mittere poſſint. v. die Königl. Preuß. *Crim.* Ordn. *C.* 3. §. 9. Conf. REINHARTH. *Diſſ. de fid. & legal. Med. in inveſt. vuln. lethal. §.* 9. *p.* 17. *ſeqq.* Quid quod, quum *§.* XLVIII. monuerimus, vix niſi publico teſtimonio probatos, aut Doctoralibus ornatos inſignibus, huic negotio admoveri, non videtur hærendum eſſe, quin, quoniam his Pragmaticorum error, argum. *l.* 15. *ff. de Jurejur.* id indulſit præcipui, ut ad eos, licet non adeo conſtet, an illi ex Pauli mente perſonæ ſint egregiæ, ad jurandum, & teſtimonium dicendum domum mittendum eſſe Secretarium vel Commiſſarium exiſtimaverint, quod & in Supremo Imperii Tribunali, ſecus atque in terris Boruſſicis, obſervatur, v. BERLICH. I. *Concluſ. practic.* 34. *N.* 10. PAGENSTECHER. *not. ad Lauterbach. tit. de teſt. not.* 57. *p.* 969. idem beneficium Medicis Doctoribus etiam, ſin ſententiam ſuam forſan jurejurando confirmare, aut eandem illuſtrare, debeant, competat. Conf. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* 11. §. 1. *p.* 24.

§. LI.

Præterea id quoque singulare est, quod, quum nulli testi, nisi jurato, credatur, per *l.* 9. *pr. & l.* 18. *C. de test.* nec quidem in minimis, unde SENECA *de Ira L.* II. *c.* 29. ait: *De parvula summa judicaturo tibi res sine teste non probaretur: testis sine jurejurando non valeret;* v. NOODT. *Comm. ad ff. tit. de test. Opp. T.* II. *p.* 480. *seq.* WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* I. *Disp.* XLIII. *Th.* 32. *p.* 536. SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 66. *& N.* 73. *seq.* nisi partibus volentibus ipsis jurisjurandi religio a judice remissa sit, per *l.* 9. *pr. l.* 16. *pr. & l.* 18. *C. de test.* & *c.* 39. *&* 51. *X. de testib. & attest.* Medici tamen capitale hoc testimonium, ex plerorumque judiciorum consuetudine, non prævio juramento, quamvis hoc *C. C. C. Art.* 149. verbis: die denn zuvor dazu beeydigt werden sollen / sancire videatur, confirment, sed plurimum ex intervallo jurent, se ita ex artis suæ præceptis sentire; daß sie dergestalt außagen / wie sie es auf ferneres Begehren eydlich zu erhalten getrauen. Conf. die Königl. Preuß. *Crimin.* Ordn. *C.* 3. *§.* 11. REINHARTH. *Diss. de fid. & legal. Med. in invest. vuln. lethal. §.* 7. *p.* 12. SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 58. *seqq.* Sin vero Medici ad id muneris obeundum publica auctoritate sint constituti, cujus generis sunt die Land-und Stadt-Physici, die Stadt-Chirurgi, atque ita, quum officium auspicarentur, ut fieri assolet, peculiaris sacramenti religione fuerint obstricti, singula testimonia in his caussis jurejurando denuo non jubentur corroborare, sed exhibito ad Acta exemplo Codicillorum, quibus hæc ipsis munia demandata sunt, sententiæ suæ plenam fidem conciliant. Sancit id explicitis verbis die Königl. Preuß. *Crimin.* Ordn. *C.* 3. *§.* 11. atque DD. una quasi mente huc conspirant, v. CARPZOV. *Prax. Crim. P.* I. *Q.* 26. *N.* 40. *&* 41. STRYK. *U. M. ff. ad tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 2. *p.* 755. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 149. *§.* 1. *not.* 3. *p.* 449. *seq.* FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 43. *N.* 9. *& c.* 50. *N.* 12.

SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C. 2. N. 61. seqq.* REINHARTH. *Diss. de fide & legal. Med. in invest. vuln. lethal. §. 7. p.* 13. quippe quum sacramenti, sub ipsis muneris primordiis præstiti, ea merito esse censeatur virtus, ut ad omnes futuros actus se extendat. v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 36. STRYK. *de jure sens. Diss.* 1. *c.* 2. *N.* 30. & 37. BRUNNEMANN. *Process. Civil. C.* 20. *N.* 63. FELTMANN. *Jus Georg. de inclus. animal. C.* IV. *Sect.* 5. *N.* 6. *p.* 45. Et hanc quidem ob caussam non dissentio, sin quis ipsum jusjurandum a Medico, quum docendi ei concederetur facultas, præstitum sufficere arbitretur, modo illa formula fuerit conceptum, ut eo etiam de officio suo in secando & inspiciendo vulnere disertis verbis commonitus sit. Suffragantur KRESS. *in Comm. ad C. C. C. Art.* 149. *§.* 1. *not.* 3. *p.* 450. REINHARTH. *l. c.* STRYK. *de jure sens. Diss.* 1. *c.* 2. *N.* 32. aliique; sed contra eunt FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 50. *N.* 2. *seqq.* & SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 64. *seqq.* quamvis me non perspicere fatear, cur sanctius vinculum esse credant jurisjurandi, quo Physicus obligatus est, quam quo Collegium Medicum Academicum Doctorem eam in rem speciatim obstrinxit. Neque tamen id cupio dissimulare, circa hanc rem maxima ex parte Judiciorum moribus standum esse. Sane in Dicasteriis Wurtembergicis, v. REINHARTH. *l. c.* uti & in terris Brandenburgicis, v. die Königl. Preuß. *Crim.* Ordn. *C.* 3. *§.* 11. ejusmodi juramenta haudquaquam adtenduntur; & frequentius esse, ut horum non habeatur ratio, contendit SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 65. Quin nec Imperii Tribunali fides, quam, quum Doctores renunciarentur, Medici jurarunt, satisfacit, siquidem ab hoc singulari adiguntur formula, quam *Rec. Imp. Wormat. d. a.* 1495. *& d. a.* 1521. §. 22. & *Ordinat. Camer. P.* 1. *T.* 85. exhibent. v. DIETHERR. *Contin. Thes. Besold. p.* 51. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. tit. ad L. Corn. de Sicar. §* 13. *T.* III. *p.* 1233. FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 51. *N.* 1. *seqq.*

seqq. REINHARTH. *l. c.* Ubi vero hæc vigent placita, ibi utique Medici, a Republ. ad id muneris jurejurando non constricti, judicium suum religiosa adseveratione firmare coguntur. Et hos quidem innuisse videtur CAROLUS V. *Imp. in C. C. C. Art.* 149. Conf. STRYK. *U. M. ff. tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 2. *p.* 755. quamvis in eo tamen fori usus plurimum ab illa secessum fecerit, quod hodie vix, antequam secarunt, aut vulnera inspexerunt, Medici jurent, sed magis, sin res ita postulet, ex intervallo. Patet id ex verbis der Königl. Preuß. *Crimin.* Ordn. *C.* 3. §. 11. sollen schuldig seyn zu beschweren / daß sie nemlich die Sache *in facto* also beschaffen gefunden / und sie glauben / daß ihr *Judicium* denen *Regulis artis Medicæ vel Chirurgicæ conform* sey. Et hinc æque, ac ex formula jurisjurandi, quæ in Supremo Germaniæ Judicio exigitur, v. *Rec. Imp. Worm. d. a.* 1495. *& d. a.* 1521. §. 22. atque *Ordin. Cam. P.* 1. *T.* 85. in proclivi est ad intelligendum, illud partim de credulitate, partim de veritate concipiendum esse. v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 34. *seq. & N.* 37. *seqq.* CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 26. *N.* 38. *seq.* STRYK. *U. M. ff. tit. ad L. Corn. de Sicar.* §. 2. *p.* 755. FELTMANN *de cadav. inspic. C.* 41. *N.* 5. *& C.* 51. *N.* 3. SCHOEPFFER. *Diss. de hæmorrhag. vulnerat. C.* 2. *N.* 76. *seqq.* SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 45.

§. LII.

At in eo etiam Medicorum conditio habet aliquid privi, ut, quum, si testes sibi invicem obloquantur, sive in re ipsa, sive quoad loci aut temporis peristases, in diversa abeant, nihil censeatur esse probatum, nisi factum ejus sit indolis, ut potuerit iterari, v. STRUV. *Synt. Jurispr. Exerc.* XXVIII. *Th.* 48. modo nempe non cumulative, quod DD. vocant, sed vel diversificative, vel obstative dissentiant: testimonia Medicorum tamen, etiamsi ab invicem discrepent, sustineantur. Neque illud solum obtinet, siquidem inter Medicos & Chirurgos non potest convenire, sed &, sin inter

ter ipſos Medicos ſententiarum naſcantur divortia. Quomodo autem ſuſtineantur illorum judicia, ea quidem de re non una DD. mens eſt. Quando Chirurgi Medicorum ſententiæ non ſubſcribunt, ſunt, qui illorum ſtandum eſſe judicio arbitrantur, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1175. *N.* 40. ſunt iterum, qui horum partes tuentur, v. FARINAC. *Crimin. P.* v. *Q.* 127. *N.* 107. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* 1. §. 22. ſunt denique, qui judicis arbitrio hos conflictus dirimendos eſſe exiſtimant. v. FELTMANN. *de inſpic. cadav. C.* 43. *N.* 4. *&* *C.* 49. *N.* 4. *ſeqq.* & MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 45. *&* 46. Verum enim vero, quum de Medicorum & Chirurgorum peritia univerſe non videatur eſſe ſtatuendum, a judicis autem officio decretum in hujusmodi cauſſis alienius ſit; neque hic de glande legenda, aut calce fodienda, vel tribus poſthumi capellis, ſed de capite & ſanguine hominis, agatur, adeoque vel maxime circumſpecte hic verſandum ſit, v. BOEHMER. *Diſſ. de cauſſ. ard. & major. C.* 2. §. 14. *ſeq.* tutiſſima via erit, ut peritiorum, v. g. Collegii Medici alicujus, conſilio hæc litigia componantur. v. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 147. §. 1. *not.* 3. *p.* 437. *ſeq.* Conf. MASCARD. *de probat. Concl.* 1175. *N.* 39. Nec longe aliud dicendum eſſe exiſtimo, ſin ipſorum Medicorum varia ſint de vulnere judicia. Quamvis enim non neſcius ſim, eſſe, qui, ita compoſitis rebus, contra vulnerantem pronunciandum arbitrentur, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 43. FELTMANN. *de cadav. inſpic. C.* 49. *N.* 5. STRYK. *V. M. ff. ad L. Corn. de Sicar.* §. 3. *p.* 755. id tamen, niſi me fallunt omnia, toti Juris analogiæ plane adverſa fronte repugnat. Quum enim, ex Antonini Pii Imp. Conſtitutione, ſi parium numero judicum diſſonæ proferantur ſententiæ, pro reo ſtatuendum ſit, per *l.* 38. *pr. ff. de re jud.* propenſioresque eſſe debeamus ad liberationem, per *l.* 47. *ff. de O. & A.* atque ex D. Trajani, Optimi Principis, Reſcripto, in *l.* 5. *ff. de pœn.* ſatius ſit, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare; certe, non video, cur acerbius

quid de homine, de cujus delicto non satis constat, decernendum credi possit. Ita censuit Collegium Medicum Rostochiense apud AMMANN. *Medic. Crit. Cas.* x. *lit. C. p.* 90. Conf. CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 26. *N.* 28. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 44. FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 49. *N.* 6. At, quum ita scelera sæpe mansura essent impunita, & delictorum cresceret frequentia, v. FELTMANN. *l. c. N.* 7. alia via publicæ saluti erit consulendum. Hac vero fini alii peritioris judicium sequendum esse arbitrantur, v. STRYK. *V. M. ff. ad L. Corn. de Sic.* §. 3. *p.* 755. quod uti non improbandum est, sin ita capias, ut is reliquorum semper quasi Præses, ejusque calculus Minervæ, seu votum decisivum, sit; ita contra non videtur admittendum esse, sin ita cum FELTMANN. *de cadav. inspic. C.* 43. *N.* 4. *seq.* intelligas, ac si judicis debeat esse æstimatio, quem peritiorem velit renunciare, isque ex arbitrio hunc vel quinque, aut pluribus, aliter sentientibus, præferre possit. Quum enim in ipsis caussis, quæ ad Jus pertinent, sin majoris momenti sint, judices peritiores soleant in consilium vocare, v. BOEHMER. *Diss. de causs. ard. & major. C.* 2. §. 13. quanto minus de peritia peritorum in arte arbitrium sibi arrogare poterunt, præprimis, quum ipso Medico, PATINO, alicubi *in Epistolis*, fatente, Charlataneria, quam Galli vocant, quarta fere Medicinæ pars sit, multaque sæpe videantur, quæ reapse longe sese habent aliter. Consultissimum ergo & in Medicis videtur, imparem numerum huic negotio admovere, arg. *l.* 1. *pr. &* §. 8. *ff. de ventre inspic.* & plurium stare judicio, v. STRYK. *V. M. ff. ad L. Corn. de Sic.* §. 3. *p.* 755. sin vero omnes in diversa abeant, Collegii Medici desuper sequi consilium, v. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 147. §. 1. *not.* 3. *p.* 437. *seq.* sin demum nec huic liqueat, extraordinariam pœnam reo infligere, v. KRESS. *l. c. ad Art.* 130. §. 4. *not.* 1. *p.* 360. *& ad Art.* 149. §. 1. *not.* 4. *p.* 450. & CARPZOV. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* 26. *N.* 28. atque ad id omni modo contendere, ne Medicorum testimonium fiat elusorium.

§. LIII.

§. LIII.

Denique id etiam fori invexit obſervantia, ut obſtetricum teſtimonium Medicorum fides plerumque ſuperet. Quamvis enim hæ ipſæ quoque, ob illa, quæ §. XLII. *&* *C.* I. §. V. eam in rem jam occupata ſunt, quodammodo Medicinam facere videantur, quin & ſuper arte ſua ubivis fere locorum a Medicis examinentur, v. HERT. *Diſſ. de inſpect. ocul.* §. 30. *Opuſc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 257. SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 13. quod in dem Churfürſtl. Brandenb. *Medicinal-Edict d. d.* 12. *Nov.* 1685. §. 13. in MYLII *Corp. Conſtitt. Magdeb. P.* III. *N.* 265. *p.* 692. diſerte cautum eſt, imo & in der Ernew. Apoth. Ordtn. der Stadt Bremen *d. a.* 1665. *C.* I. §. 2. ſancitum, atque de earum ſalario æque extra ordinem jus dicatur, quod §. XLII. dixiſſe memini, illisque, earumque teſtimoniis, utpote artis peritis, fides habeatur; v. RULAND. *de Commiſſar. Part.* I. *L.* IV. *c.* 17. *N.* 17. MASCARD. *de probat. Concl.* 1131. *N.* I. *&* *Concl.* 1215. *N.* 2. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* I. §. 18. AMMANN. *Iren. Numa Pompil. & Hippocr. p.* 98. *ſeqq.* quin, quamvis illarum præcipua, ubi de infanticidio ſuſpicio oritur, ſit auctoritas, v. die Königl. Preuß. *Crimin.* Ordn. *C.* III. §. 10. *&* II. & *C. C. C. Art.* 35. Conf. HERT. *Diſſ. de inſpect. ocul.* §. 28. *Opuſc. Vol.* I. *T.* III. *p.* 253. & FELTMANN. *de cadav. inſpic. C.* 2. *N.* II. aut, ubi quæ ſtuprum paſſa eſſe dicitur, per *c.* 4. & 14. *X. de probat.* v. HERT. *l. c.* & SATTLER. *Diſſ. cit. Th.* 14. aut, ubi quam uterum ferre fama eſt, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1131. *N.* 4. *ſeqq. & Concl.* 1215. *N.* 5. AMMANN. *Iren. Num. Pompil. & Hippocr. p.* 105. CUJAC. *Obſervatt. L.* XVII. *c.* 27. vel, ſin dubitetur, num partus maturus ſit, nec ne, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1131. *N.* 2. *&* 3. & HERT. *l. c.* atque in reliquis hujus generis cauſſis: Medicorum tamen earum ſententiæ plurimum derogat. Neque enim ea tantum in re iſtorum lautior eſt conditio, quod ex illo ordine vel unicum modo judici fi-

dem facere §. XLVII. jam dictum sit, quum contra, binarum demum obstetricum consensum quid probare, DD. placuerit; v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1215. *N.* 5. sed & eo argumento, quod, licet Glossarum Compilatores Medicos non majoris, ac obstetrices, esse voluerint auctoritatis, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 414. Judiciorum tamen moribus his illi fere adjungantur, istisque major, ac artis admodum rudibus haud raro femellis, tribuatur fides. v. KRESS. *Comm. ad C. C. C. Art.* 35. *not.* 3. *p.* 93. & SIMON. *Diss. de jurib. obstetric. Th.* XI. Confirmat illud Academiæ in Thuringia Salanæ præjudicio, quum virgini status quæstio mota esset, RICHTER. *Vol.* II. *Cons.* 56. *N.* 7. & 42. nec valde dissimilia habet AMMANN. *in Iren. Numa Pompil. & Hippocr. p.* 109. *seq.* Conf. SIMON. *Diss. de jur. obstetr. Th.* XI. & ZACCH. *Quæst. Med. leg. T.* III. *Cons.* 41. Addunt his, quæ hactenus enarrata sunt, JCti plura, Medicis quæ credunt esse in testimonio dicendo singularia, eosque nec dictorum rationem reddere debere, unum alterius judicio subscribere, & se ad illud referre, eos die feriata examinari posse, v. MASCARD. *de probat. Concl.* 1039. *N.* 15. *seqq.* quæque hujus generis sunt coetera, & nonnunquam, nec tamen semper, ita sunt comparata.

§. LIV.

Quandoquidem igitur, quæ Judiciorum usus Medicis indulsit, lustravimus: videamus, num & Civilia Jura anomali quid circa illorum testimonium caverint? Ita sane videtur. Quamvis enim nemo, ac ne Magistratus quidem, vel Prætor, in judicio adulterii causa, a testimonio dicendo excusetur, per *l.* 21. §. 1. *ff. de test.* quin imo ex Justiniani Imp. sanctione unusquisque non in criminalibus tantum, sed & pecuniariis, caussis eam in rem cogi possit, per *l.* 16. *pr.* & §. 1. *C. de test.* v. NOODT *Comm. ad ff. tit. de test. Opp. T.* II. *p.* 480. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* I. *Disp.* XLIII. *Th.* 38. *p.* 538. & *in Commentatt. Cathedrar. ad l.* 19. *C. de test.*

test. p. 597. eadem Ejusdem tamen Imp. Constitutione, in *d. l.* 16. *pr. C. de test.* quosdam, etiam Medici ordinis, ab hac necessitate immunes pronunciatos esse, fit verosimile. Ait enim in *d. l. Exceptis tamen personis, quæ legibus prohibentur ad testimonium cogi, & etiam illustribus, & his qui supra illustres sunt, nisi sacra forma interveniat.* Nam, si conjecturis, quæ vero valde propinquæ sunt, aliquid dandum est, ex hac sane Lege Comites Archiatrorum a necessitate testimonii perhibendi videntur fuisse liberi. Comparares eos non incongrue Medicis, quos vocamus, corporis, denen Leib-Medicis. Ita enim in formula apud CASSIODORUM uni ex illis rescribitur: *Indulge te quoque Palatio nostro, habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis solet pretiis comparari;* & in eadem ἁπλῶς de Archiatris: *Habeant Præsulem, quibus Nostram committimus sospitatem.* v. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* XXVII. *p.* 264. Florebant quippe hi intra penetralia Regalis aulæ, per *l.* 12. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & inter salutis magistros soli habebantur *eximii*, teste CASSIODOR. *Variar. L.* VI. *Form.* 19. *p.* 207. v. BULENGER. *de Imperio Rom. L.* IV. *c.* 30. *p.* 477. atque τιμιώτητων gaudebant elogio, v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l. un. Cod. Theod. de Comit. & Archiatr. S. Pal. T.* II. *p.* 106. reliquisque Archiatris erant superiores, per *l.* 11. *C. de Prof. & Med.* Sin enim Archiatri scholarum quinque stipendiorum curricula emensi essent, v. *l.* 2. *C. de privil. scholar.* aut per viginti annos Constantinopoli cum laude docuissent, argum. *l. un. C. de Professor. qui in Urbe Constantin.* imo & Archiatri Palatini, Comitivæ honore donabantur, per *l.* 12. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* modo primi ordinis, per *l.* 16. 17. 18. 19. *eod. & l. un. Cod. Theod. de Comit. & Archiatr. S. Pal.* modo secundi, per *dd. ll.* 16. 17. & 18. *C. Th. de Med. & Prof.* modo etiam majoris gradum dignitatis adscendebant, per *dd. ll.* 16. & 19. *eod.* v. GOTHOFRED. *in paratitl. ad tit. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 22.

§. LV.

Et hæc quidem hactenus clara legum ſententia nituntur: ſed illud, in quo cardo & vis, ejus quod probandum, vertitur, magis eſt obſcurum; num ſcilicet hi Comites, ubi ad iſtum gradum emerſerant, Spectabilibus, an Illuſtribus, fuerint annumerati? Illud contendit BELLON. *Supputat. L.* I. *c.* 13. & de horum titulorum diſcrimine diſſerit VULTEJ. *de Jurispr. L.* I. *c.* 6. Conf. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph.* 15. *p.* 18. Sed mihi quidem paullo videtur aliter, quod brevibus exponam. Vocantur Archiatri Palatini Comitiva primi ordinis *nobiles* in *l. un. Cod. Theod. & Juſtin. de Comit. & Archiatr. S. Pal.* vocantur Comites Archiatrorum Viri *Spectabiles* in *l. un. Cod. Theod. qui a præbit tiron. excuſ.* æquantur Vicariis in *l. un. C. de Prof. qui in Urbe Conſtantin.* v. GUTHER. *de Offic. dom. Auguſt. L.* I. *c* 15. *p.* 67. quæ dignitas inter maximas Imperii erat, v. ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 4. *N.* 26. nec ulli literarii ordinis ad Theodoſii & Valentiniani usque tempora tributa legitur, v. CONRING. *Antiqq. Acad. Diſſ.* VI. *p.* 168. in Comites Archiatrorum tamen, quod Vindiciani exemplum in *l.* 9. *Cod. Theod. de Metall. & Metallar.* teſtatur, reapſe collata eſt, v. GOTHOFRED. *Comm. ad d. l.* 9. *T.* III. *p.* 498. *& ad l.* 15. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 46. quin adeo Vicariis & Ducibus provinciarum, modo honore Comitivæ regimen eſſent nacti, adſimilantur, per *l. un. C. de Comit. & tribun. ſcholar.* ut inter eos nihil intereſſet, niſi tempus, quo quis adminiſtraſſet, vel Comitivæ indeptus eſſet inſignia, per *l. un. utriusque Cod. de Comit. & Archiatr. S. Pal.* At enim vero Vicarii erant in ordine Spectabilium, v. GUTHER. *de Offic. dom. Aug. L.* I. *c.* 15. *p.* 63. Spectabilis autem dignitas Illuſtri inferior olim habebatur, v. BRISSON. *de V. S. L.* XVII. *p.* 968. & Spectabiles Comites Archiatrorum fuiſſe, ipſa titulorum Codicis Theodoſiani ſeries indigitat, ut ita non videatur, illis in *l.* 16. *C. de teſt.* proſpectum eſſe.

§. LVI.

§. LVI.

Sed neque id tamen adeo est exploratum. Sane labente Seculo mire hos dignitatum gradus turbatos, summaque profundis mixta esse, quis non animadvertit? Sub Valentiniano, Valente & Gratiano, peculiari titulo tantum Præfectus Urbi, Præfectus Prætorio, & Magistri militum, Illustres erant, v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 1. *Cod. Theod. de Præfect. Præt. sive Urb. T.* 11. *p.* 79. sed, uti Theodosius Junior his Præpositum S. Cubiculi adjiciebat, v. GOTHOFR. *ad l. un. Cod. Theod. de Præpos. S. Cubic. T.* 11. *p.* 82. ita Theodosius M. illis Quæstores, Magistros Officiorum, Comitem sacrarum largitionum & rerum privatarum, jam adjunxerat. v. GOTHOFR. *ad l.* 2. *Cod. Theod. de Quæstor. Magistr. Offic. T.* 11. *p.* 86. Quin temporis successu bene multi Spectabiles Illustri dignitate decorati sunt, v. *l. un. in fin. C. de ratiocin. oper. public.* quemadmodum Theodosii Junioris ævo & Comites ærarii ea jam fruebantur, per *l.* 15. *C. de susceptor. præpos. & arcar.* v. GUTHER. *de offic. dom. Aug. L.* 1. *c.* 10. *p.* 39. Atque hinc apparet, non satis accurate CASSIODOR. *L.* VI. *Form.* 12. calculum ponere, quando Spectabilium atque Illustrium ordinem discernit, & Comitivæ honorem vicinum fuisse Illustribus, eosque proximitate contigisse, ac Spectabiles anteisse docet. v. BRISSON. *de V. S. L.* III. *p.* 147. Erant enim utique nonnulli Comites vere Illustres, ceu de Comite ærarii, & de Comite rerum privatarum, modo diximus, atque de hoc compluribus legum auctoritatibus confirmat BRISSON. *l. c. p.* 145. Certe temporis tractu mirum quantum augebantur hi honorum tituli, & Imp. noster multos ex Clarissimis Spectabiles esse jussit, ut Prætorem Pisidiæ, Prætorem Lycaoniæ, Justinianeum Prætorem Thraciæ. v. *Nov.* 24. 25. *&* 26. Conf. GUTHER. *de offic. dom. Aug. L.* 1. *c.* 9. *p.* 38. Quid quod, prope absum, quin adfirmare ausim, sequiori isto Seculo hæc dignitatum discrimina usus fere fuisse promiscui. Movet, quo magis id mihi

mihi persuadeam, *l.* 3. *C. de Advoc. divers. judicum*, quæ Anastasii est, in cujus *pr.* Comes Orientis Vir Illustris, at idem *§.6. d.l.* Vir Spectabilis audit. Movet magis *Nov.* XXIII. *c.* 4. & *l.* 3. *§.* 2. *C. Ubi Senat. vel Clar. conven.* ubi præfectura illustrissima vocatur, quam tamen dignitatem tantum illustrem fuisse, supra dictum, siquidem Illustres inter, & eos, qui supra Illustres erant, haud exiguum antea constitutum discrimen. v. GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* 1. *C.* 10. *&* 11. *p.* 38. *seqq.* Quin, quam strenue Clarissimorum, Spectabilium & Illustrium, imo supra Illustrium, elogia circa Justiniani ævum commixta fuerint, abunde docet GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* 1. *c.* 4. *p.* 22. *seq.* Ubi igitur hi dignitatum limites Imp. nostri ævo adeo fuere sublati, sane, si non verum, vero tamen proximum est, *l.* 16. *C. de test.* utpote quæ Justinianum auctorem agnoscit, quibusdam Comitibus Archiatrorum quoque consultum esse, eosque ad testimonium perhibendum cogi non potuisse. Id minimum tam certum, quam quod est certissimum, illos, sin majoris gradum dignitatis adscendissent, quod quandoque factum esse, ex *l.* 16. *&* 19. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* cognoscimus, utique ab invita testandi necessitate fuisse exemtos. Istos enim, quibus apices dignitatum super spectabilitatem erant, illustres fuisse, ex *Nov.* XXIII. *c.* 4. luce meridiana apparet clarius. Nec alio, ac antea quidem, jure, quod ad hanc caussam adtinet, æstimatos esse, qui, absoluti militia, honorario titulo dignitatem adhuc tenebant, modo Comitivæ honore regimen nacti fuissent, aut talem Imperatoriæ Jussionis meruissent prærogativam, ut, quod non egerint, egisse viderentur, & sine administratione honorariis decorati fuissent codicillis, ex *l. un. C. de Comit. & tribun. scholar.* & ex *l.* 3. *§.* 2. *C. Ubi Senat. vel Clariss. conven.* satis innotescit; quod & æquitati consentaneum est vel maxime. v. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 18. *p.* 20. *seq.*

§. LVII.

§. LVII.

Neque tamen cum his pari passu ambulasse videntur Archiatri, qui Comitivam primi ordinis quidem meruerant, sed casu ad altiora non pervenerant. Hi etenim inter Comites Ægypti, vel Ponticæ diœceseos, quorum par erat dignitas, habebantur, per *l. un. C. de Comit. & tribun. scholar.* qui Comites Provinciarum illarum Rectoribus adsidebant, atque ex minori laterculo emittebantur. v. GUTHER. *de offic. dom. Aug. L.* 1. *c.* 15. *p.* 62. Quemadmodum vero, quotquot ex majori emittebantur laterculo, vel erant Illustres, vel Spectabiles, ita, qui ex minore, Clarissimi tantum audiebant. v. GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* 1. *c.* 4. *p.* 20. *& L.* III. *c.* 9. *p.* 584. Hinc facile intelligitur, qui sint illi Clarissimi Comites scholarum, quibus in *l.* 2. *C. de privil. scholar.* privilegia confirmantur, & quomodo hi a Viris Spectabilibus Comitibus scholarum, quarum in *l.* 1. *C. eod.* mentio fit, distent, quum, qui regimen nacti, Vicariis & Ducibus, reliqui Comitibus in *d. l. un.* comparentur. Non eo sane inficias, Consules etiam, Consulares, Prætores, Prætorios, qui tamen supra Illustres erant, nonnunquam inter Clarissimos collocari; v. GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* 1. *c.* 4. *p.* 23. sed, sicuti temporum diversa facies sæpius hos dignitatum movit terminos, ita plurimum tamen Clarissimi ab Illustrium & Spectabilium loco longe videntur abfuisse. In *l.* 1. *C. Ubi Senat. vel Clariss.* manifesto *non illustri, sed clarissima tantum, dignitate præditi* ab invicem sejunguntur. Colligo inde, hos Comites Archiatrorum, vz. qui non administraverant, *l.* 16. *C. de test.* non potuisse invocare, atque ejus favore a testandi necessitate se liberare. Aliter forsan res sese habuit in illis, qui testimonialium suffragio muniti missionem meruerant, & honorarios Codicillos impetraverant, quod ex collatis *l.* 3. *§.* 2. *Cod. Justin. Ubi Senat. vel Clariss.* & *l.* 15. *&* 16. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* non sit improbabile. Quum vero ne omnes quidem Comites Archiatrorum ejus dignitatis fuisse,

ut ad eos *l.* 16. *C. de test.* pertinuerit, dictum sit, multo minus reliquos Archiatros ad eam confugere potuisse, in proclivi est. Quod vero hi non ab ordinario judice, sed a proprio, ad testimonium perhibendum cogi debuerint, illud dubio procul ex præscriptione fori, quæ ipsis indulta, & quam mox exponemus, fuit. Ita quidem censeo, nec tamen meliora edoctus pertinaciter conjecturis his inhærebo. Optime mihi conscius sum, ut e re GUTHERIUS, at, quam in his literis versatus Vir! *de offic. dom. Aug. L.* III. *c.* 9. *p.* 585. quærat: *Quotusquisque est; qui in re tam obscura sæpius non labatur?*

§. LVIII.

Quoniam tamen quosdam ex Comitibus Archiatrorum Illustres fuisse suspicati sumus, hi sane ad testimonium cogi prohibebantur, nisi sacra forma interveniret, per *d. l.* 16. *C. de test.* Neque id solum argumento dignitatis, in qua constituti erant, videtur esse invectum, sed &, quia, quod §. LIV. ex Cassiodoro observavimus, erant Præsules illorum, quibus Principes suam committebant sospitatem, adeoque palam est, illis ob medendi curam a Comitatu Imperatorum haud facile licuisse discedere, per *l.* 2. *C. quib. non objic. long. temp. præscr.* Prius quam ergo ad testimonium perhibendum cogi possent, Imperatoriæ Majestatis impetrandum erat Rescriptum, siquidem hoc *sacræ formæ* nomine venire ex *l.* 20. *C. de SS. Eccl.* & ex inscriptionibus *Nov.* CLII. CLX. CLXII. CLXV. & CLXVII. satis fit perspicuum. Nec aliud innuunt *impetrati divini apices, primæ vel secundæ formæ*, in *l.* 2. *Cod. Theod. de Castrensian.* & *forma Oraculi Principum*, in *l.* 1. *Cod. Theod. de rei vendit.* Conf. GOTHOFR. *Comm. ad l. ult. Cod. Theod. de re jud. T.* I. *p.* 390. Erant enim formæ, Epistolæ, seu Constitutiones Principum, quæ ab illis Codicillis impetrabantur. v. GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* II. *c.* XI. *p.* 377. Quoniam vero jam Alexandri Imp. ævo etiam a Præfectis Prætorio Orientis & Illyrici formæ dabantur, illæque servabantur, per *l.* 2. *C.*

de off.

de off. Præf. Prat. Orient. & Illyr. qualis & gloriosissimi Præfecti Bissi generalis formæ, inscriptio *Nov.* CLXVII. meminit: hinc factum est, ut Imperatoriæ formæ sacræ formæ appellari cœperint. Quum enim a Juliani ætate, alieno etiamnum, aut publice nondum recepto sub prioribus Imperatoribus, quamquam Ethnicis, more, pleraque, quæ Deo, ejusque cultui, dicata erant, vocabula, vel elogia, in Imperatores effrena adulatione transferrentur; v. SPANHEM. *Observatt. ad Juliani Orat.* I. *p.* 23. illorumque Constitutiones Consulta, statuta, oracula cœlestia, & divinæ pragmaticæ sanctiones vocarentur, v. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* I. *Disp.* IV. *Th.* 20. *p.* 25. *seq.* cui vaniloquio quam impense præcipue Christiani Imperatores indulserint, vel unica *l.* 10. *C. de SS. Eccl.* quæ Theodosii & Valentiniani Impp. est, exemplo sit: fieri aliter vix potuit, quin Imperatorum Rescripta sacrarum formarum, ut a formis Præfectorum discernerentur, nomen induerent. Conf. Viri de Re Patria publica meritissimi, POSTII *Diss. de divinis Impp. titulis.* Quoties autem hæ sacræ interveniebant formæ, toties & ii, quos sacra Impp. pietatis sublimaverat oratio, vel amplissimæ sedis administratio illustraverat, quorumque de caussis Impp. cognitionem nullius alterius judicis, nisi suæ providentiæ, esse voluerant, vel sacri tantummodo cognitoris, (quem Magistrum officiorum fuisse, mox dicetur) cui Illorum Serenitas hujusmodi negotii audientiam vice sua sacris apicibus mittendis mandabat, uti est in *l.* 3. *pr. C. Ubi Senat. vel Clariss. conven.* utique ad testandum cogi poterant. Æquissimum enim erat, ne, sub prætextu concessi privilegii, vel flagitiorum cresceret auctoritas, vel publica vacillaret utilitas, quæ Leonis & Zenonis Impp. verba sunt in *l.* 2. *C. de privil. scholar.*

§. LIX.

At enim vero, quamvis §. LIV. dictum sit, Comitum Archiatrorum illa fere quodammodo fuisse munia, quæ jam Medicorum corporis sunt; quum tamen beneficium illud

l. 16. *C. de test.* quibusdam ex iis forsan ratione dignitatis tantum indultum, hæc vero eo ævo plane fuerit diversa ab illa, quæ hodie est, istud sane nostro Seculo Principum Archiatris minime convenit. Non eo hæc scribo animo, quasi negarem, Medicos Regum illustres personas esse, v. WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. C.* 14. §. 87. *Q.* 53. *p.* 245. quin omnes Medicos, Doctorum ornatos insignibus, privilegiis Nobilium frui, v. BOOT *Diss. de privil. Med. C.* II. §. 4. *seqq.* quum Doctores in *Reform. Polit. August. d. a.* 1530. §. 15. *&* 17. *& d. a.* 1548. §. 12. nec non in *Ordin. Camer. d. a.* 1500. §. 1. & in *Ordin. Regim. August. d. a.* 1500. §. 5. pari cum Nobilibus censeantur jure: sed, quoniam hodie Illustrium elogii, quod olim ne Ducibus quidem Provinciarum tribuebatur, plane diversa est ratio, & omnis ille vetus dignitatum ordo vix Imperio nostro Romano-Germanico aptari potest. Hinc nullus dubito, quin Principum Archiatri utique a Magisterio Officiorum (von dem Hof-Marschalls-Amt) ad testimonium dicendum cogi possint.

§. LX.

Superpondii loco liceat illud adfine problema tribus quasi verbis expendere, num Medici aut Chirurgi, a judice interrogati, obligentur ad testandum de secretis ipsis ab ægrotis, consilium petentibus, indicatis, nec ne? Posterius post Azorium MEIBOMIO *in Comm. ad Hippocr. Jusjur. C.* 19. *p.* 191. placuit, a qua sententia parum quoque alienus videtur WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doctor. c.* 18. §. 139. *Q.* 92. *in fine p.* 398. prius ZACCHIÆ *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 3. *N.* 9. *& Q.* 5. *N.* 26. nec, ut apparet, immerito, tulit calculum. Largior, Medicum erga ægrotum falsiloquiis licite uti posse, ceu recte tum Plato, tum Chrysostomus, censuerunt, v. GROT. *de J. B. & P. L.* III. *C.* I. §. 15. *N.* I. *ibique* GRONOV. *in not.* modo ejus conducat saluti; unde non inepte, sin ita capias, Neoptolemo apud SOPHOCL. *in Philoct. v.* 107. *p.* 477. interroganti,

'Ουκ

Ὀυκ αἰσχρὸν ἡγῇ δῆτα, τὰ ψευδῆ λέγειν;

Nonne igitur turpe duceres, falſa dicere?

reſpondet Ulyſſes:

Ὀυκ' εἰ τὸ σωθῆναι γε τὸ ψεῦδος φέρει·

Non: ſin ſaluti falſum illud conferat:

quin CLEM. ALEX. *Strom. L.* VII. Chriſtiano falſiloquiis ſe expedire non vertit vitio, modo ita iis utatur, quemadmodum Medicus pro ſalute erga ægrotantem. Conf. MEIBOM. *Comm. ad Hippocr. Jusj. C.* 22. *p.* 213. *&* 214. Do & illud, Medico integrum eſſe, decumbentem circumvenire, ſicuti Imperatori exercitum, aut gubernatori nautas, quod MAX. TYR. *Diſſ.* III. *p.* 29. ait, cujus rei non illepidum exemplum apud *Gaſp. a* REJES *in Elyſ. juc. quæſt. camp. Q.* 12. exſtat, pluraque ſuggerit BESOLD. *in Theſ. Pract. Addit. p.* 52. quamvis, cur GROT. *de J. B. & P. L.* III. *c.* I. §. 15. *N.* I. illud publice vocatis indulgeat, non cœteris, quum eadem in utrisque, ſalus quippe ægroti, æquitatis ſit ratio, non magis perſpiciam, quam PALLADIO *Comm. ad Hippocr. Epid. L.* VI. *Sect.* 4. *Aph.* 9. id ipſum perjurio licite firmari contendenti, quisquam, puto, ſubſcribet. Conf. MEIBOM. *l. c. p.* 214. Denique, nec id pernegabo, Medicum non ſemper teneri, quod Callianaci cuidam Galenus exprobrat, v. TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 416. ut in periculo conſtituto vitæ, in quo verſatur, diſcrimen oſtendat, ſiquidem *magis* utique, *quantum ad artem*, (SENECÆ *Epiſt.* 96. verba ſunt) *peccat, ſi deficere ægrum non intelligit, quam ſi ſe intelligere diſſimulat*, nec cuivis datum eſt, ut adeo accurate, ac de Veſalio ex Thuano BESOLD. *in Theſ. Pract. Addit. p.* 52. refert, ipſum mortis ægroti momentum animus ei præ-

ſagiat.

ſagiat. Conf. tamen aliter ſentientes *a* REJES *in Elyſ. juc. quaſt. camp.* *Q.* XI. SPECKHAN. *Quaſt. Jur. Cent.* I. *Q.* 30. WALTHER. *de ſtat. jur. & privil. Doct. c.* 18. §. 139. *Q.* 89. *p.* 394. ZACCH. *Quaſt. Med. leg. L.* VI. *T.* I. *Q.* 6. *N.* 17. & *Q.* 8. *N.* 21. At in judice plane diſpar eſt ratio, neque contra hunc vel minimum jusjurandum Hippocratis, quo Medicus ſecreta ægrotantium vitia celare jubetur, operari poteſt, quandoquidem, ſin extra judicium interrogetur, utique illud ei incumbit, ſecus, ſi magiſtratus in veritatem inquirat. In Medicis publica auctoritate conſtitutis, v. g. denen Land-und Stadt-Phyſicis, Stadt-Chirurgis, eo minus id dubium videri poteſt, quum hi, officium auſpicantes, plurimum jurejurando, daß ſie in Sachen/ darum ſie erfordert/ niemands zu Lieb noch zu Leyd/ die Wahrheit ſagen wollen/ adſtringi ſoleant. v. *Rec. Imp. Wormat d. a.* 1521. §. 22. Neque reliquos ab hac neceſſitate immunes pronunciandos eſſe exiſtimarem, quum non ſit Medici, æſtimare, num judex jure teſtimonium poſtulet, nec ne? Vix enim Magiſtratus id exiget, niſi vel publica ſalus, vel cauſſæ, quæ inde pendent, id ſuadeant. Verum tunc ſane, quoniam communis incolumitas ſuprema boni civis lex eſt, publice autem intereſt, tum ne juſtitiæ fraus fiat, tum, ut caveatur, ne peſtifera lues latius ſerpat, & partem Reipubl. ſinceram trahat, quibus ſolis fere caſibus Medicorum de ægroto exſpectatur teſtimonium, hinc, quum ex duobus malis minima oporteat eligere, & ex his ipſis excerpere id, quod iis ineſt boni, v. CICER. *de Off. L.* III. *c.* I. conſequens eſt, Medicum omnino obſtrictum eſſe, ut de occultis quoque ægrotantium vitiis teſtimonium perhibeat, & ſingulorum publicæ ſaluti poſtponat.

§. LXI.

Quum igitur hactenus de iis, quæ Medicis circa teſtimonium perhibendum ſingularia, dictum ſit, prono fluit amne, ut, a quonam judice inviti cogendi ſint, inveſtigemus. Disquirendum itaque eſt, an, & qui, olim fori præſcriptione

gaviſi

gavisi sint, atque num & hodie isto jure gaudeant? Ea autem in re subit sane mirari, Virum JCtorum elegantissimorum præteritæ ætatis, Conringii merito judicio, principem, GOTHOFREDUM *in Comm. ad l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 25. non audiendos esse putare illos, qui in *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* quæ magnam partem ex *l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* quam C. II. §. XXXII. fere integram dedimus, conflata est, fori præscriptionem, Medicis & Professoribus tributam esse sibi persuadent. At enimvero, quum summus JCtus hanc suam sententiam nullis quidem fulciverit argumentis, quid hujus rei sit, videamus. Vix autem hac in re expedite licebit progredi, nisi prius de personarum, quarum *d. l.* 6. *C. de Prof & Med.* meminit, conditione, adeoque de Medicis, & maxime Archiatris, vel ex Archiatris, nonnulla fuerint prælibata.

§. LXII.

Quamvis vero ita hæc paullo altius repetere necessum ducamus esse, non tamen e re foret, *Ferdin.* ABDUENS. *contra Jurisprud. vitup. p.* 12. gerris Siculis vaniores nugas, a ZACCHIA *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 2. *N.* 17. & *Q.* 4. *N.* 30. atque *a* REJES *in Elys. juc. quæst. camp. Q.* 2. ex meritis castigatas, dum Archiatros, quasi omnis mali & mœroris principes essent, ita dictos insulsissime perhibet, refellere; aut insipidam illam CHASSANÆI *in Catal. glor. mundi Part.* VI. *Consid.* 13. hujus vocis etymologiam & interpretationem, dum ostiarium palatii Principis, quasi principem atrii, ea significari censet, a TIRAQ. *de Nob. c.* 31. *N.* 18. eo, quo digna erat, cachinno explosam, exagitare. Elegantior sane est ea sententia, Archiatros dictos esse, quoniam erant ἀρχόντων ἰατροὶ, quæ vocis origo Mercuriali, v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 222. Brodæo, MATTIO, *Opinion. L.* I. *c.* I. *in Gaud.* ROBERTI *Misc. Ital. Erud. T.* IV. *p.* 346. & GOTHOFREDO, *in Comm. ad l.* 4. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 30. arrisit. Sed neque illa tamen satis videtur esse

esse commoda, nec rationem extricare valeo, cur iis non potius ex vocabulo ἀρχὴ, quod magistratum denotat, v. SELDEN. *de Synedr. L.* II. *p.* 166. *&* VITRING. *Archisynagog. p.* 135. & ἰατρὸς, nomen illud inditum existimarem. v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 222. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* XXVII. *p.* 264. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 2. *N.* 17. a quibus abit GOTHOFRED. *l. c.* Certe, uti Archisynagogus Synagogæ principem, v. PETIT. *Var. lect. c.* 24. VITRING. *Archisyn. p.* 101. VALES. *in Euseb. p.* 1456. Ἀρχιτελώνης magistrum societatis publicanorum, v. WASER. *de numm. Hebr. L.* I. *c.* 18. Architriclinus servorum triclinarium præpositum, v. PIGNOR. *de serv. p.* 114. CASAUBON. *contra Baron. Exerc.* III. *§.* 19. SELDEN. *in Uxor. Hebr. p.* 125. significant, ita & hæc Archiatri appellatio nata esse videtur. Conf. MENAG. *l. c. p.* 222. *seq.* Habebant enim ipsæ etiam serviles Medicorum familiæ Romæ suos præpositos, quod jam Vespasiani obtinuisse ætate, vetus titulus apud GRUTER. *Inscr. T.* I. *p.* DLXXXI. *Inscr.* 7. facit, ut suspicer. Ita vero ille incipit:

D. M.

T. FL. PÆDEROT
AUG. LIB. ALCIMIANO
SUPERPOSITO. MEDI
CORUM.

Conf. PIGNOR. *de serv. p.* 77. PITISC. *Lex. Ant. Rom. T.* I. *p.* 157. *&* 158.

§. LXIII.

Erant igitur Archiatri quasi Medicorum Principes, v. (BOEKELM.) *in Med. Rom serv. §.* 3. *p.* 12. & primi artis, quemadmodum illos SYMMACH. *L.* X. *Ep.* 40. vocare videtur, v. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* LVII. *p.* 353. & GOTHO-

GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 9. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 38. erant magiſtri ſalutis, quos cœteri Medici reverebantur, teſte CASSIODOR. *Variar. L.* VI. *Form.* 19. *p.* 207. quosque a reliquis medendi rationem poſtulaſſe, & eorum quaſi cenſores fuiſſe, probabile eſt. v. MATTII *Opinion. L.* I. *c.* I. *in Gaud.* ROBERTI *Miſcell. Ital. Erud. T.* IV. *p.* 347. Unde non capio, quid CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* XXVII. *p.* 264. ſibi velit, dum omnes omnino primarios Medicos Archiatros dictos eſſe arbitratur; at ſimul, certum eorum numerum & gradum dignitatis fuiſſe, largitur. Archiatri enim duplicis erant generis, quorum alii Urbium Principum, ſeu Regiarum, Romæ & Conſtantinopoleos, erant, v. *l.* 8. *C. de metat.* & GOTHOFR. *in Comm. ad l.* 4. *& l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 30. *& p.* 35. qui & Archiatri ſimpliciter vocabantur, v. *Eund. in paratitl. ad d. tit. ibid. p.* 22. alii Palatini. v. (BOEKELM.) *Med. Rom. ſerv.* §. 3. *p.* 12. *ſeq.* BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* I. §. 6. *p.* 8. Roma vero tot habebat Archiatros, quot Urbis erant regiones, videlicet quatuordecim, v. *l.* 8. *Cod. Theod. de Prof. & Med.* Conf. GOTHOFRED. *in paratitl. ad tit. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 22. *& in Comm. ad l.* 8. *eod. ibid. p.* 34. *ſeq.* exceptis iis, quos *Portus Syxti*, uti eſt in *l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* vel, ceu GOTHOFRED. *in Comm. ad d. l.* 8. *T.* v. *p.* 35. reſcribendum monet, *Porticus Xyſti*, & Virgines Veſtales, ſibi peculiares delegerant; v. GOTHOFRED. *in Comm. ad d. l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 35. *&* 36. Sed nec altera Urbs Regia, quæ nempe a Conſtantino nomen traxit, ex conditoris inſtituto, ſuis deſtituebatur Archiatris, quorum tamen inire numerum, quum in legibus utriusque Codicis ea de re altum ſit ſilentium, non adeo eſt in proclivi. v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 3. *l.* 4. *& l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 28. 30. *&* 35. Magis illud videtur eſſe expeditum, quod hi Archiatri dubio procul in his Urbibus regiis medicinam etiam docuerint, & profeſſi ſint. Quamvis enim longe alia CONRIN-

GIO *Antiqq. Acad. Diss.* VI. *p.* 167. placuerint, in omnibus Impp. Constitutionibus nullam artis Medicæ Professorum fieri mentionem existimanti, quin *Suppl.* XVI. *p.* 235. strenue contra REINES. *var. lect. L.* III. *c.* XI. *p.* 519. contendenti, Archiatrorum tantum fuisse facere medicinam, non docere, solamque Alexandriam scholam Medicam habuisse, nec inter Constantinopolitanos Professores quemquam artis medicæ fuisse, ex *l. un. C. de stud. lib. Urb. Rom. & Constant.* concludenti: quo minus tamen induci possim, ut ei calculum addam, non unum facit argumentum. Quemadmodum enim dubio, quod ex *l. un. Cod. de stud. liber. Urb. Rom. & Constantin.* obmovetur, *C.* II. *§.* XXIII. jam est satisfactum, ita & alterum vacillat, Archiatrorum muneris non fuisse, ut docerent. Quorsum enim, quæso, pertinere putabis verba, quæ in fine *l.* 3. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & *l.* 6. *C. Justin. eod.* exstant: *quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant;* sin huc pertinere negabis? Quin imo diserte ipsi etiam Archiatri S. Palatii salutaris & necessariæ artis Professores vocantur in *l.* 14. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & SYMMACH. *L.* X. *Ep.* 40. planissimis verbis significat, Valentinianum Seniorem lege quadam *Medendi Professoribus dedisse ordinem successionis.* Dedit autem ille Imp. ordinem successionis Archiatris in *l.* 9. *Cod. Theod. & l.* 10. *Cod. Justin. de Med. & Prof.* Hinc & merito nostræ subscribit sententiæ GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 3. *& l.* 9. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 28. *&* 38. licet *Ipse in Comm. ad l.* 4. *eod. ibid. p.* 30. humani quid passus videatur, dum omnes Medicos in Urbe Archiatros dictos esse credit, atque MERCURIAL. *var. lect. L.* IV. *c.* I. erroris arguit, quod eos in Collegio & Schola Medicorum aliorum præsides fuisse existimaverit. Uti enim illud exinde satis confutatur, quod Valentinianus & Valens Impp. in *l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* certum Archiatrorum in Urbe numerum constituerint, ita & Mercurialis sententiam ex eo, quod supra *C.* II. *§.* XXIII. exhibui, antiquitatis monumento haud parum confirmari arbitror.

§. LXIV.

§. LXIV.

Ad hanc autem Archiatriæ dignitatem nemo poterat emergere, & in Archiatri defuncti locum promotionis meritis adgregari, *quam primis, qui in Ordine reperirentur, septem, vel eo amplius, judicantibus idoneus adprobaretur*, per *l.* 9. *Cod. Theod. & l.* 10. *Cod. Justin. de Med. & Prof.* Quis hic Ordo sit, id quidem non adeo est expeditum. Ex CONRINGII mente, *Antiqq. Acad. Diss.* IV. *p.* 111. *&* 116. de ordine Decurionum hæc fuissent intelligenda, sed mutavit, nec immerito, sententiam in *Suppl.* XXVII. *p.* 264. & in *Suppl.* LVII. *p.* 353. atque ea multo rectius ad ipsum Archiatrorum ordinem pertinere censuit. Illud etenim præcipue tenendum est, ne leges, quæ de surrogatione Archiatrorum in Urbe, cum illis, quæ de immunitatibus Medicorum in municipiis sanciunt, commisceamus. Sin enim hi recte ponantur limites, omnia erunt plana & perspicua, quemadmodum, sin hos moveas terminos, ut quadrata rotundis misceantur, necessum est. Quum enim *§. anteced.* dictum sit, Archiatros tantum in Urbibus Regiis fuisse, certe verba *d. l.* 10. ordinem Decurionum neutiquam possunt indicare. Accedit disertissimum SYMMACHI *L.* X. *Ep.* 40. testimonium, ubi de Medicis ait: *Lege cautum est, ut primi artis ejusdem de novorum scientia judicarent.* Idem porro suadet luculentissima Valentiniani & Valentis Impp. sanctio in *l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* dum edicunt; *quod si Archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis, aut aliqua fortuna decerpsisset, in ejus locum non patrocinio Præpotentium, non gratia Judicantis, alius subrogaretur, sed horum omnium fideli circumspectoque delectu, qui & ipsorum consortio, & Archiatriæ ipsius dignitate, & Imperatorio Judicio dignus haberetur.* Quin ipsa illa *l.* 10. in qua exponenda versamur, quaque *l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* ex parte derogatum est, manifestissimum hujus rei præbet indicium, siquidem Impp. postulant, ut Archiatri *septem, vel eo amplius, judicantibus idonei adprobarentur.* At vero, quum, quod *ante-*

ced. §. ex *l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* observatum est, quatuordecim Romæ fuerint Archiatri, hinc prona est conjectura, Impp. in *d. l.* 10. ea fini septenarium suffragiorum numerum placuisse, quoniam septem calculi reliquos, sin nempe unus Ordini exemtus esset, superabant. v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 8. *& 9. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 37. *&* 38.

§. LXV.

Sin autem ita quis majoris partis tulisset suffragia, *quicunque erat admissus, non ad priorum numerum statim veniebat, sed eum ordinem consequebatur, qui, cœteris ad priora subvectis, ultimus poterat inveniri,* quod *l.* 9. *Cod. Theod. & l.* 10. *Cod. Justin. de Prof. & Med.* a Valentiniano Seniore Imp. cautum est. Utut vero æquissima hæc erat sanctio, infregit eam tamen speciali privilegio Valentinianus Junior, & Joannem, Ordine quantumvis refragante, in Epicteti Archiatri locum surrogavit. At postea tamen ad hujus legis mentem rediit, dataque ad Præfectum Urbi epistola illum jussit, ut, *si quid impetratis subreptitiis in judicio suo vidisset actitatum, rescissis omnibus quæ per gratiam gesta viderentur, eorum tenorem super Archiatris ordinandis, quæ a divæ memoriæ Patre Suo constituta essent, a Se quoque confirmata, ex hujus auctoritate Rescripti faceret omnifariam custodiri,* per *l.* 13. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* Dignus est, qui super hac re videatur GOTHOFREDUS in sæpius jam laudato quantivis pretii *Comm. ad l.* 9. *&* 13. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 38. *&* 45.

§. LXVI.

Simul ac vero Archiatri ita rite in numerum recepti erant, commodorum, quæ hanc Archiatriæ dignitatem comitabantur, fiebant participes. Ita Constantinus M. in *l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & *l.* 6. *Cod. Justin. eod.* mercedes & salaria iis reddi jubet. Erogabantur ea ex viribus Reipublicæ, videnturque per aliquod tempus iis fuisse denegata, sed ab hoc

hoc Imp. forsan restituta. v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* I. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 23. 26. *&* 27. Praeterea illis etiam annonae ex populi commodis, seu annonis popularibus, distribuebantur, per *l.* 8. *&* 9. *Cod. Theod. & l.* 9. *&* 10. *Cod. Justin. de Prof. & Med.* v. GOLDAST. *in parad. de hon. Med. §.* 6. & GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* I. 8. *&* II. *Cod. Theod. de Med. & Prof. p.* 26. *seq.* 37. *&* 42. quarum modum in Oratoribus & Grammaticis definitum reperimus in *l.* II. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* secus ac in Archiatris. Nec mirandum sane est, has ipsas de annonis Justiniano priorum Principum sanctiones in nostro Codice denuo exscriptas legi. Quamvis enim hic Imp. stipendia, liberalium artium Magistris olim constituta, in omnibus civitatibus sustulerit, Medicosque necessariis ad vitam excluserit, & annonas, quas Romani Principes ex aerario iis largiti erant, ademerit, teste PROCOP. *in Hist. Anecd. p.* 113. *&* 114. & Zonara, apud ALEMANN. *in not. p.* 106. Conf. CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* XVIII. *p.* 239. ab Eodem tamen illae Medicis aut confirmatae aut restitutae sunt, ea Constitutione, quae inter Imperatorias prima, *c.* 22. ceu *C.* II. §. XXXV. jam narrasse memini. Videtur autem cura dividendae Archiatris annonae ad Praefectum Urbi pertinuisse. Innuunt id tituli *l.* 8. *&* 9. *Cod. Theod. & l.* 9. *&* 10. *Cod. Justin. de Prof. & Med.* idemque tum ex eo confirmatur, quod labentis Imperii temporibus annonae Urbis Romae cura ei fuerit demandata, de qua tamen sine Praefecto annonae, qui ejus dispositioni suberat, nihil poterat statuere, v. BRISSON. *de V. S. L.* XIV. *p.* 838. GOTHOFRED. *in Notit. dignitat. Cod. Theod. T.* VI. *p.* 322. GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* II. *c.* 3. *p.* 328. tum exinde, quod haec annonarum divisio dubio procul ad publicam pietatem pertinuerit; de cujusmodi caussis jam Antoninorum temporibus Praefectus Urbi cognoscebat, per *l.* I. §. 2. *ff. de obseq. parent. & patron. praest.* Tanto enim magis publicae rei & salutis intererat, ut haec commoda frumentaria Archiatris rite dependerentur, siquidem

dem hac tempeſtate eo deliciarum Romæ ventum erat, ut Nobiles amicos ægrotantes non adirent, nec percunctatum miſſos, quam corpore lavacro purgato, domum reciperent, quod AMMIAN. MARCELL. *L.* XIV. *c.* 16. refert: At Archiatri ea fini ex publico annonas percipiebant, ne tenuiorum abdicarent curam, id quod ſibi velle verba *l.* 8. *Cod. Theod. & l.* 9. *Cod. Juſtin. de Prof. & Med. honeſte obſequi tenuioribus malint, quam turpiter ſervire divitibus; quos etiam ea patimur accipere, quæ ſani offerunt pro obſequiis, non ea, quæ periclitantes pro ſalute promittunt;* jam obſervavit GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 8. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 35. & 37. Conferantur cum his, quæ ad hanc legem §. XXV. & XXVI. dicta ſunt.

§. LXVII.

Quum autem hi Urbium Archiatri cœteris cenſerentur præſtantiores, hinc factum, ut Imperatores ſibi ex iis Medicos ſumerent. v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 223. *ſeqq.* Neque longe diverſa cauſſa eſt, cur tractu temporis Archiatri appellatio Medicis Cæſarum quaſi peculiaris & propria fuerit. Sane priſcis temporibus id nominis in aula Principum non videtur eſſe auditum, ſiquidem nulla horum, frequens Medicorum Cæſarum, in monumentis antiqui ævi eſt mentio. Ita apud GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* DLXXXI. *Inſcr.* 9. titulum ΤΙΒΕΡΙΩΙ ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΟΥΙΡΕΙΝΑΙ ΜΕΝΕΚΡΑΤΕΙ ΙΑΤΡΩΙ ΚΑΙΣΑΡΩΝ, & *ibid. Inſcr.* 10. alterum, ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΩ ΑΛΚΙΜΩ ΙΑΤΡΩ ΚΑΙΣΑΡΟΣ inſcriptum, reperimus. Neque poſtea elogium illud iis adeo erat privum, quin nota diſcriminis ab Archiatris urbium ſecernendi fuiſſent. Hinc Archiatri S. Palatii in *l.* 14. & 19. *Cod. Theod. de Med. & Prof. & in inſcr. tit. utriusque Cod. de Comit. & Archiatr. S. Pal.* dicuntur, qui ſcilicet intra penetralia Regalis aulæ florebant, *l.* 12. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* qui militabant intra Palatium, *l. un. utriusque Cod. de Comit. & Archiatr. S. Pal.* ſeu in Sacro Palatio Principis. *l.* 15. 16. & 18. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* v. GO-

v. GOTHOFRED. *paratitl. ad tit. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 22. BULENGER. *de Imperio Rom. L.* IV. *c.* 30. *p.* 478. Nec ab his alios fuiſſe ſuſpicor *ex Archiatris* in *l.* 2. *Cod. Theod. & l.* 6. *Cod. Juſtin. de Prof. & Med.* in quibus legibus per Archiatros, Urbium Archiatros, per ex-Archiatris, Archiatros Palatinos, tanquam ex Archiatris lectos, intelligendos eſſe arbitror. Neque enim *Marii* MATTII *Opinion. L.* I. *c.* I. *in Gaud.* ROBERTI *Miſcell. Ital. Erud. T.* IV. *p.* 346. *ſeq.* mihi probatur conjectura, quaſi ex-Archiatris ea fuiſſent impoſita munia, quæ Ἐξιάτρων in Medicos fuiſſe ſuſpicatur. Licet enim vel maxime daremus, apud HESYCH. *in voce.* Ἐξιάτρὸς pro Ἐκθύτικος, Ευθύνικος legendum eſſe, atque ARISTOTEL. *Polit. L.* III. *c.* 7. *p.* 277. ad Exiatros reſpexiſſe, dum ait: ὥσπερ οὖν ἰατρὸν δεῖ διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ἐν τοῖς ὁμοίοις, *quemadmodum medicum oportet dare rationes in medicis, ita & alios in ſimilibus*, quamvis & hoc quoque vero parum videatur ſimile: ex-Archiatris ea tamen neutiquam convenirent, ut nempe, ſicuti Exiatri a Medicis, ita hi ab Archiatris medendi rationem poſtulaverint. Id enim muneris Comitis Archiatrorum fuiſſe, §. *ſeq.* ſtatim dicetur. Neque magis forſan τοῦ πάνυ Cujacii, v. MATTII *Opin. L.* I. *c.* I. *in Gaud.* ROBERTI *Miſcell. Ital. Erud. T.* IV. *p.* 345. *ſeqq.* nec non GOTHOFREDI *in paratitl. ad tit. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 22. acquieſcendum eſt ſententiæ, dum ex-Archiatris vocatos eſſe arbitrantur, qui Archiatria Palatina eſſent defuncti, & ex Palatio, ſeu Comitatu Principis, dimiſſi. Vetant enim id poſtrema verba *l.* 6. *Cod. de Prof. & Med. Mercedes etiam eis & ſalaria reddi jubemus*, *quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Quemadmodum enim hæc ad Archiatros rude donatos, & militia abſolutos, pertrahi nequeunt: ita in Archiatros Palatinos, Principi adhuc obſequentes, optime congruunt, ſiquidem hi diſerte ſalutaris ac neceſſariæ artis Profeſſores audiunt in *l.* 14. *Cod. Theod. de Med. & Prof.*

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Utrique Archiatrorum generi, vz. tam Urbium, quam Palatinorum, præerant Comites Archiatrorum. Erat enim Κομήτων, seu Comitum, appellatio in aula Impp. minime infrequens, v. MURATOR. *Anecdot. Græc. T.* I. *Disquis.* I. *p.* 284. ceu vel exemplo Comitum Domesticorum, Excubitorum, fœderatorum &c. notum est. Quando autem hæc Archiatriæ Comitiva nata sit, id quidem non adeo liquet; sed propius tamen a vero aberrare videbor, sin ejus natales ad Sec. IV. fere medium referam. Quæ de loco, quam hæc Comitiva inter dignitates tenuit, & de Comitum horum officio apud Principes, dici potuissent, ea magnam partem §. LIV. *&* *seqq.* jam occupavimus. At non tamen existimaverim, quod GOTHOFRED. *in Comm. ad l. un. Cod. Theod. de Comit. & Archiatr. S. Pal. T.* II. *p.* 106. contendit, Comitivam hanc solam dignitatis notam fuisse, qua Impp. Medicos bene meritos nobilitaverint. Ita enim eorum officium apud Ostrogothos a CASSIODORO *Variar. L.* VI. *Form.* 19. *p.* 207. delineatur: *Quapropter a præsenti tempore Comitivæ Archiatrorum honore decorare: Ut inter salutis magistros solus habearis eximius: & omnes judicio tuo cedant, qui se ambitu mutuæ contentionis excruciant. Esto arbiter artis egregiæ, eorumque distingue* (vel, *discinge*, quod FORNER. *in not. p.* 560. legendum mavult) *conflictus, quos judicare solus solebat affectus.* Quin *ibid.* eosdem Præsules & judices Medicorum vocat. Recte quidem monet GOTHOFRED. *l. c. p.* 106. *&* 107. hanc formulam ad Comites Archiatrorum sub Regibus Gothorum pertinere: nec tamen MERCURIAL. *var. lect. L.* IV. *c.* I. BULENGER. *de Imperio Rom. L.* IV. *c.* 30. *p.* 477. & CONRING. *Antiqq. Acad. Suppl.* XXVII. *p.* 264. conjecturas putem esse de nihilo, haud prorsus dissimilia forsan eorum in aula Impp. fuisse munia. Quotumquemque enim fugit, Theoderici, Gothorum Regis, Edictum ubique Romanam Themidem spirare, quod, ut ille majestatem

Roma-

Romanorum comiter venerabatur, ne quidem valere voluit, *nisi*, uti præfatur, *salva juris publici reverentia*, *& legibus omnibus cunctorum devotione servandis*, quin apud CASSIODOR. *Variar. L.* III. *Form.* 43. usum Juris Romani diserte confirmavit. v. HEINECC. *Histor. Jur. L.* II. *c.* I. §. II. 13. & 16. Est igitur vero, si quod aliud, proximum, Comitem Archiatrorum in iis, quæ ad artem spectabant, eorum quasi præsulem & judicem fuisse, at in reliquis caussis non item.

§. LXIX.

Et hæc quidem de personis, quibus privilegium fori indultum, prælibasse sufficiat: Jam in ipsum illud beneficium inquiramus. Comites Archiatrorum quod adtinet, in eos, sin ad illustrem pervenissent dignitatem, aut talem prærogativam Imperatoriæ jussionis meruissent, ut, quod non egissent, egisse viderentur, per *l.* 3. §. 2. *C. Ubi Senat. vel Clariss. conven.* in criminalibus caussis nullius alterius Judicis, nisi Imperatoriæ pietatis, videtur fuisse cognitio, per *l.* 3. *pr. C. eod.* aut sacri cognitoris, quoties ad ejus judicium specialis emanaverat jussio, aut Impp. Serenitas hujusmodi negotii audientiam ei vice sua, missis sacris apicibus, mandaverat, per *l.* 3. *pr.* & §. 2. *C. eod.* Fuisse hunc sacrum cognitorem Magistrum Officiorum, ex collatis *l.* 2. *l.* 3. §. 2. & *l.* 3. *pr. Cod. Ubi Senat. vel Clariss. conven.* patescit. Hic enim, siquidem denuo ex Gothorum institutis judicare licet, Principis a latere plurimum hærebat. Ita quippe de ejus apud Gothos muniis disserit CASSIODOR. *Variar. L.* VI. *Form.* 6. *Ad eum*, ait, *palatii pertinet disciplina &c. Aspectus Regi haud irritus, promissor collocutionis nostræ, gloriosus donator aulici consistorii, quasi quidam lucifer, nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultum nostræ Serenitatis attribuit. Causarum præterea maximum pondus in ejus audientiæ finibus optima securitate reponimus.* Paucis interjectis iterum: *His laboribus æstimatis potestatem maximam huic decrevit antiquitas.* Nec tamen huic cognitori contra Viros Illustres, quorum ordini hos Comites

nonnunquam annumeratos esse §. LVI. diximus, aut eorum substantias, statuendi aliquid concessa erat facultas, sed hoc solummodo vice Principis auditori licebat, ut intentatum apud se crimen, si patefactum esset, ad Principalem referret notionem: ultionis autem tantis inferendæ dignitatibus modus non nisi in Principis resideret arbitrio, per l. 3. §. 1. C. *Ubi Senat. vel Clariss. conven.* Quid quod, sin in crimen, cui per Procuratorem respondere non licebat, vocarentur, tunc, ne quas ante probationes paterentur injurias, sedendi etiam in aliqua Secretarii parte, quæ judicibus inferior, altercantibus vero superior esse videretur, habebant licentiam, per *d. l. 3. pr. C. Ubi Senat. vel Clariss. conven.* exceptis iis, qui sine administratione honorariis decorati erant codicillis, etiamsi vel maxime supra memoratam Imperatoriæ jussionis prærogativam impetrassent, per *d. l. 3. §. 2. C. eod.* Quin autem in civilibus & pecuniariis caussis eadem obtinuerint, tanto minus dubito, quanto magis constat, & supra §. LIV. *seqq.* docuimus, Illustres ad testimonium perhibendum cogi non potuisse, nisi interveniente sacra forma; quamvis in Senatoribus inter eos, qui in Urbe & suburbanis degunt, atque inter eos, qui in provinciis, discrimen constituat *l. 2. C. eod.* & istis eadem indulgeat, hos in foro domicilii conveniendos esse sanciat. Præterea, quum, qui honorario titulo, absoluti militia, illustrem dignitatem adhuc tenebant, reliquis honore pares essent, atque in tantum ejus dignitatis, cujus meruerant missionem, obtinerent insignia, ut his omnibus præferrentur in ordine atque consessu, qui posteriori tempore regendas dignitates suscepissent palatinas, per *l. 4. C. de privil. eor. qui in S. Pal. milit.* hinc illos eodem, quo antea, jure gavisos esse, est exploratum.

§. LXX.

At vero, quum illi Comites Archiatrorum, qui Comitivam quidem meruerant, sed, adorata Imperatoriæ divinitatis purpura, casu ad altiora non pervenerant, nec regimen Comi-

Comitivæ honore nacti erant, inter Illustres non numerarentur, (quam in rem itidem nonnulla *§.* LVII. jam occupata sunt) sed inter Clarissimos subsiderent, arg. *l. un. C. de Comit. & tribun. scholar.* facile patet, illos non eo argumento, quo Illustres, ordinarium forum declinare potuisse. Nec hi ipsi tamen alium, ac quidem Magistrum Officiorum, agnoscebant judicem. Manifestum id est ex Leonis & Zenonis Impp. ad Eusebium, Magistrum Officiorum, rescripto in *l. 2. C. de privil. scholar.* quo sancitur, ut, qui Virorum Clarissimorum Comitum meruissent dignitatem, deinceps, usque ad finem vitæ, foro ejus celsitudinis tantummodo subjacerent: nec ex alterius cujuslibet sententia civile subire litigium compellerentur. Caussas criminales autem quod spectat, Constantinus M. quidem in *l. 1. C. Ubi Senat. vel Clariss. conven.* edixerat, ut, quicunque non Illustri, sed Clarissima dignitate tantum præditus virginem rapuisset, vel fines aliquos invasisset, vel in aliqua culpa, seu crimine, fuisset deprehensus: intra provinciam, in qua facinus perpetratum, publicis legibus subjugaretur, nec fori præscriptione uteretur; siquidem omnem hujusmodi honorem reatum excludere existimabat: at, quos diximus, Impp. in his etiam caussis Clarissimos Comites scholarum non ab ordinario judice in jus vocari voluisse, non inepte inde colligitur, dum in *d. l. 2. C. de privil. scholar.* in criminalibus controversiis, & in publicis tributis, ita tantum adversus tales Viros provincias moderantium congruam jurisdictionem voluerunt observari, ne, sub prætextu concessi privilegii, vel flagitiorum cresceret auctoritas, vel publica vacillaret utilitas.

§. LXXI.

Neque ad aliud forum Archiatros, & Palatinos, & Urbium, vocari potuisse arbitror, siquidem ad Magistrum Officiorum tota Palatii disciplina pertinebat, isque omnes scholarum regebat ordines. Ita CASSIODOR. *Variar. L.* VI. *Form.* 6. id ei apud Gothos incubuisse testatur; *Ad eum*, inquiens, *palatii*

palatii pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prospere differenat. Nec in Impp. aula diversa ejus fuisse munia, ex Glossis Basilicis, quæ illum ἡγεμόνα τῶν αὐλικῶν, *ducem aulicorum*, vocant, intelligitur. Conf. BULENGER. *de Imperio Rom. L.* III. *c.* 12. GUTHER. *de off. dom. Aug. L.* II. *c.* 20. *p.* 475. *seqq.* Quandoquidem itaque Palatii cura ipsi erat demandata, eum Archiatrorum Palatinorum judicem fuisse, minime est ambiguum. Non magis etiam circa Archiatros Urbium hærendum est, quoniam supra §. LXIII. dictum, illos quasi Præsules scholarum Medicorum fuisse, scholarum vero ordines ejus parebant jurisdictioni, per *l. fin. C. de privil. schol.* Et hæc quidem fori prærogativa, ut in criminalibus magis adhuc, quam in pecuniariis caussis, videtur obtinuisse, per *l.* 4. *C. de agent. in reb.* illos tamen ea in provinciis uti non potuisse, probabile est, arg. *d. l.* 4. Magister enim Officiorum, quum ob negotiorum molem omnibus caussis, ad se pertinentibus, dirimendis non sufficeret, Provinciarum Moderatoribus sæpius illarum cognitionem delegabat; arg. *l. fin.* §. 3. *C. de privil. schol.* quorum sententiis sin partes nollent acquiescere, integrum iis erat, ad Magistrum Officiorum & Quæstorem S. Palatii appellando provocare, per *l.* 38. *C. de appellat.*

§. LXXII.

Hæc igitur sunt judicia, coram quibus Comites Archiatrorum & Archiatri, si modo in re obscurissima id, quod verum, semper licuit divinando assequi, olim conveniendi fuisse videntur. Atque huc, si quid video, digitum intendit illa *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* qua Medici & maxime Archiatri, vel ex Archiatris, in judicium deduci, eximi, aut exhiberi vetantur, vel, uti in *l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* est, in jus vocari prohibentur. Quin in *h. l.* 1. illud fori privilegium severa ea comminatione munitum est, *ut, si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a Magistratibus, vel Quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc pœnam*

susti-

sustineant. Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debeat a suo domino verberari, coram eo, cui fecerit injuriam: vel si dominus consensit, viginti millia nummorum fisco inferat: servo pro pignore, donec summa hæc exsolvitur, retinendo. Quamvis vero GOTHOFREDUS, qui *in Comm. ad d. l.* 1. *T.* v. *p.* 25. *seq.* hanc pœnalem sanctionem eleganter exponit, eam ad privilegium fori plane non pertinere, sed *d. l.* personas Archiatrorum tantum sacrosanctas reddere voluisse contendat, at meo tamen judicio, ob ea, quæ §§. *antecedd.* disseruimus, id neutiquam sit probabile, præprimis, quum Tribonianus a *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* quæ maximam partem ex *d. l.* 1. conflata est, universam illam clausulam, qua pœnæ modus definitur, quæque eo forsan respicere videri posset, resecuerit, atque contra legem peccantes arbitrio judicis plectendos esse voluerit. Quin imo, quid disertius verbis; *in jus vocari prohibentur, in judicium deduci, eximi vel exhiberi vetantur*, dici potest?

§. LXXIII.

Sed alius magis anceps adhuc restat scrupulus, num scilicet idem fori privilegium *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* ad reliquos etiam ex Medico ordine, præter Archiatros & Comites Archiatrorum, pertinuerit? Dubitandi ansam præbet *d. l.* 6. principium, ubi de *Medicis* & maxime *Archiatris*, *vel ex Archiatris*, cavetur. At, quum, quod jam plus simplici vice monitum, *d. l.* 6. ex *l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* nata sit, illa dubio procul in consilium advocanda est. Videtur autem Constantinus in *d. l.* 1. per Medicos, quorum, nulla Archiatrorum facta mentione, tantum meminit, non alios, nisi Archiatros, intellexisse, quod tum inde comprobatur, quoniam *Medicos*, *Grammaticos & Professores* alios *literarum* conjungit, tum inde etiam, quia absonum foret, sibi persuadere, Imp. magis Medicis, quam iis, quos eorum quasi censores fuisse §. LXIII. indicavimus, consulere voluisse. Suspicor hinc, Tribonianum nimis anxie verbis adhærentem

Medicos Archiatris incautius addidisse. Neque enim in ipsa ea *l. 6. Cod. de Prof. & Med.* vocula, *maxime*, qua Tribonianus hanc legem interpolavit, & cum *l. 2. Cod. Theod. de Med. & Prof.* in unam conflavit, v. GOTHOFRED. *in not. ad l. 1. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 23. id sibi vult, ac si Medicorum & Archiatrorum par esset ratio, sed innuit illa, quod in Medicis aliter res sese habeat. Non infrequens sane in Juris nostri libris voculæ hujus is est usus, siquidem recte a RICHTER. *de adverb. Jur. voce: Maxime*, STRAUCH. *Lexic. partic. Jur. voce: Maxime*, *N.* 2. *p.* 120. & BRISSON. *de V. S. L.* XI. *p.* 611. atque *Anonymo Auct. Lex. Jurid. p.* 608. *seq.* observatum est, eam sæpius idem, quod *ita demum*, valere, & sic accipiendam esse, non, quasi alias idem juris sit, sed tanquam alias idem non sit. Ita utique *l.* 9. *ff. de Usurpat. Usucapionem recipiunt* maxime *res corporales*, *l.* 3. *ff. de Concubin.* & *l.* 2. *C. an serv. pro suo fact.* intelligendæ sunt. Nec aliter in *d. l.* 6. Tribonianum voce usum esse, illud præterea confirmat, quod ad unam omnes reliquæ sanctiones, quibus Medicorum commodis fuse prospectum est, de hoc fori privilegio omnino taceant. Adhæc mirifice huic sententiæ postrema verba *d. l.* 6. *C. de Prof. & Med.* favent, quippe quæ sanciunt, ut personis, quarum sub initium mentio facta est, ea fini mercedes & salaria reddantur, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant. Hic vero finis spectat ad Archiatros, quorum erat docere, non ad Medicos, quorum munia sanando absolvuntur. Denique idem exemplo Doctorum legum, seu Professorum Juris, posset illustrari, quibus itidem in *d. l.* 6. fori præscriptio indulta, quum tamen de Advocatis nullibi hujusmodi quid cautum esse reperiatur. Sed hæc æque, atque quæ hanc in rem addi possent plura, quum res minime ambigua videatur, missa facio.

§. LXXIV.

Ultimo jam loco videamus, quæ hodie circa hoc privilegium fori ſint placita. Mea equidem ſententia propius aberrare videbor, ſi Comites Archiatrorum iis, quos hodie Leib-Medicos vocamus, Archiatros Palatinos autem, aulicis, quos Hof-Medicos dicimus, aſſimilavero. Neque tamen his pleraque, quæ in iſtis obtinuerunt, convenire dixero, aut Romano pede & modulo omnia metiri cupio, quippe qui haud difficile me induci patior ad credendum, hodie non ipſos Principes de cauſſis Medicorum corporis, quemadmodum eos olim de controverſiis quorundam Comitum Archiatrorum feciſſe probabile eſt, cognituros eſſe. Hodie enim non tantum Medicos corporis inter & Aulicos, atque olim quidem inter Comites Archiatrorum & Archiatros Palatinos, conſtitutum eſt diſcrimen; quin alicubi locorum ea, quæ olim ad ſolos Comites Archiatrorum ſpectabant, jam cum Medicis aulicis, ſive malis Archiatris Palatinis, communicata ſunt. Res omnis exemplo reddetur perſpicua. Erant antiquitus Comites Archiatrorum quaſi præſules & judices Archiatrorum, in his, quæ ad artem ſpectabant, ceu §. LXVIII. obſervavimus; at nunc quidem vix eo modo id iis indulgebunt Medici aulici. In cæteros autem Medicos id judicium quarundam Regionum legibus non ſolis Medicis corporis tributum, ſed hos inter & Aulicos diviſum eſt. Sic *Edicto Regio Potentiſſ. Regis M. Britanniæ, Hannoveræ d. 8. Maji*, 1731. promulgato, arbitrium de Medicorum peritia, nullo habito diſcrimine, in Medicos Aulicos collatum, ſiquidem nemini in iſtis terris, niſi horum teſtimonio comprobato, Medicinam facere fas eſt. Accedit altera ratio, cur ea, quæ ſupra de Comitum Archiatrorum foro dicta, ad Medicos corporis hoc ſeculo vix trahi poſſint: illa nempe, quod neminem evincere auſurum exiſtimem, Medicos Principis corporis curam gerentes hodieque ita, ac olim, Illuſtres perſonas eſſe. Qui enim ex Comitibus Archiatrorum quondam

dam Illustres erant, illi certe Magistro Officiorum dignitate fere censebantur pares, quippe qui Ipse etiam ex Illustrium erat ordine. v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 1. *Cod. Theod. de Quæstor. Magistr. Offic. T.* 11. *p.* 84. *&* 85. At, quis hodie primorum Principum Medicorum eam prope esse diceret dignitatem, qua Mareschallus Aulæ, cujus, parum abest, quin eadem nunc sint munia, quæ ad Magistrum Officiorum quondam pertinebant, gaudet. Quum vero huic, æque ac olim Magistro Officiorum, totius Palatii disciplinæ cura demandata sit, id inde nostro etiam mansit Seculo, ut & hodienum Archiatri, sive illi Principis regant valetudinem, sive Palatini, Aulæ ministris curandis vacantes, eousque fori adhucdum gaudeant privilegio, ut plurimis in aulis coram Tribunali Mareschalli Palatini, für dem Hof-Marschalls-Amt/ conveniendi sint.

§. LXXV.

Archiatrorum Urbium autem officium quum olim in eo præcipue fuerit situm, ut medicam artem profiterentur, aliosque ea instituerent, per *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* & *l.* 14. *Cod. Theod. eod.* quam in rem §. LXIII. disseruimus; hinc nullo negotio perspicitur, illos non incongrue Medicinæ Professoribus hodie assimilari. Et hi hoc etiam Seculo fori gaudent privilegio, nec tamen eo, de quo hactenus disseruimus, a Constantino M. primum in *l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* indulto, & in Justinianeo Codice *l.* 6. *de Prof. & Med.* repetito. Quum enim scholarum Ordines fere non amplius Mareschallo, quem in Magistri Officiorum locum successisse non improbabile est, pareant, facile patet, ea, quæ hactenus percensuimus, placita, Medicinæ Professoribus non posse applicari. Gaudent autem fori privilegio eodem, quo reliqui Professores, vz. ex decantatissima illa *Auth. Habita C. Ne fil. pro patre*, ex qua id unicum fere propitia Themide erui potest. v. MENCKEN. *ad Lauterbach. tit. de Judic. n.* 139. *p.* 277. RICHTER. *Decis. P.* 11.

Dec. 100. *N.* 42. STRUV. *Syntagm. Jurispr. Exerc.* IX. *Th.* 59. *p.* 335. *seq.* Et hoc quidem privilegium recte DD. eo extendunt, ut Professores non magis condictione ex L. Diffamari, quam directa actione, ad judicem ordinarium trahi posse existiment, v. RICHTER. *Decis. P.* II. *Dec.* 100. *N.* 24. *seqq.* & 42. quin & ob *c.* 12. *X. de foro compet.* ipsos sua voluntate alterius judicis jurisdictionem, neque agendo, neque defendendo quidem, prorogare, aut huic exemtioni renunciare posse censeant. v. RICHTER. *Decis. P.* II. *Dec.* 100. *N.* 43. *seq.* At illud tamen largiuntur, Professores ob bona in oppido sita Senatus oppidani forum declinare non posse, v. STRYK. *ad Lauterbach. tit. de Judic. n.* 139. *p.* 277. quin & ipsos, eorumque uxores ac liberos, secundum Statuta civitatis, quoad immobilia, quæ ibi possident, judicandos esse, sunt, qui perhibeant, quamvis alii jura territorii, sub quo Urbs sita, malint esse adtendenda; v. STRUV. *Synt. Jurispr. Exerc.* XXXVIII. *Th.* 45. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 12. *p.* 13. *seq.* & denique nec in foro contractus hoc privilegium opponi posse, non abs re arbitrantur. v. STRUV. *in Syntagm. Jurispr. Exerc.* IX. *Th.* 42. *& in Evolut. Controvers. Jur. ad d. Th. p.* 171.

§. LXXVI.

Quandoquidem igitur sic fori præscriptionem, quæ Medicis indulta, lustravimus, ex lege, quam nobis ipsi §. XXXI. scripsimus, jam de iis, quæ circa illos ob absentiam Reipubl. caussa obtinent, dicendum est. Hac vero de caussa Archiatris in Comitatu Principis absentibus, a quo ob medendi curam discedere nequeunt, præscriptionem non posse objici, Diocletiano & Maximiano in *l.* 2. *C. quib. non objic. long. temp. præscr.* placuit, quum justæ absentiæ ratio, & necessitatis publicæ obsequium, illos ab hujusmodi præjudicio defendat. Quandoquidem vero nulla alia, nisi justa absentia, legis est ratio, Reipubl. caussa autem ii soli abesse intelligantur, qui non sui commodi caussa, sed coacti absunt, per *l.* 36. *ff. ex*

quib. cauſ. major. hinc recte colligitur, Medicos, ſin propriæ utilitatis gratia peregre abierint, non magis hoc beneficium implorare poſſe, quam mercatorem, qui frumenti coëmendi cauſſa, & ut inde levetur annona, iter fecit, quia in frumento *invehendo mercator non cogitavit, quantum auxilii allaturus eſſet* Reip. *ſed quantum lucri ſibi*, ceu eleganter SENECA *de Benef. L.* VI. *c.* 14. in pari cauſſa philoſophatur. v. FELTMANN. *de Dea Podag. C.* 31. *§.* 44. *p.* 173. *&* WISSENBACH. *in Commentatt. Cathedrar. ad l.* 1. *C. quib. non obj. long. temp. præſcr. p.* 94. At, quum eadem, quæ in Archiatris, in Medicis etiam caſtrenſibus æquitatis ratio ſit, atque officium, quod gerunt, & publice proſit, & fraudem eis adferre non debeat, hi ipſi etiam, ſi quis in eorum bona involaverit, reſtitui jubentur, per *l.* 33. *§.* 2. *ff. ex quib. cauſſ. major.* Et hoc quidem beneficium ad uxores etiam eorum, ſi cum ipſis degant, pertinere, arg. *l.* 1. *C. de uxor. milit. & qui Reip. cauſſ. abſ.* conficitur. v. RIVINI *Diſſ. ad Modeſtini caſ. enucl.* §. 14. *p.* 19. *ſeq.* At, quoniam hæc Jura Medici cum reliquis, qui Reipubl. cauſſa abſunt, communia habent, de iis non magis, ac de teſtamentis in procinctu ab illis factis, ſiquidem & in hac cauſſa non proprio, ſed jure militari, utuntur, aut tempore peſtis conditis, quia ea quoque in re nihil a reliquis iis privi indultum eſt, v. ZIEGLER. *de teſtam. temp. peſt. privil. Th.* 8. *p.* 9. *ſeq.* diſſerere fert animus. Ita enim, quod longum nimis foret, ſingula abſentium Reip. cauſſa jura eſſent percenſenda, quando nullam aliam, præter illam, quam indicavimus, horum beneficiorum rationem eſſe, diſerte Antoninus Imp. in *l.* 1. *C. de Prof. & Med.* ſignificat, dum Medicum militum, quamdiu Reipubl. cauſa abſit, munera civilia ſuſcipere non cogi, reſcribit: cum autem abeſſe deſierit, poſt finitam eo jure vacationem, ſi in eorum numero eſſet, qui ad beneficia Medicis conceſſa pertinent, ea immunitate uti.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Diſpiciamus ergo, quisnam ille numerus Medicorum ſit, & quas immunitates iis Principum liberalitas conceſſerit? Auguſtum Medicis immunitatum præcipuum auctorem fuiſſe, ſupra *C.* II. §. XXVII. quantum ſatis, jam narravimus. v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 229. *ſeq.* BRISSON. *Select. ex Jur. Civ. Antiqq. L.* II. *c.* 3. *p.* 1084. BOOT *Diſſ. de privil. Med. C.* II. §. I. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* I. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 24. Quum autem hic, teſte DIONE CASS. *L.* LIII. *p.* 517. τὴν ἀτέλειαν (quam SUID. *voce:* Ἀτέλεια. *T.* I. *p.* 368. ἀλητουργησίαν, ſeu immunitatem a publicis muneribus, interpretatur) καὶ ἑαυτῷ, καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις, ἔλαβεν, *immunitatem non ipſi* (Ant. Muſæ) *ſolum, ſed omnibus eandem artem exercentibus, non tunc modo, ſed in poſterum quoque tempus, conceſſiſſet;* at poſtea, aucto eorum numero, e re publica eſſe videretur, ne hoc colore promiſcue unusquisque ex Medicorum ordine munera ſubire tergiverſaretur, hinc factum eſt, ut ſucceſſu temporis iſtæ immunitates nonnullis Medicorum ordinibus tantum fuerint conceſſæ, per *l.* 6. §. 2. *ff. de Excuſat.* & *l.* I. *ff. de decr. ab ord. fac.* v. *D.* GOTHOFRED. *in not. ad l.* 5. *C. de Prof. & Med.* Apparet hinc, quam egregie falſus ſit CONRING. *Antiqq. Acad. Diſſ* VI. *p.* 167. dum Medicis in univerſum ſimpliciter omnibus (ipſa Ejus verba exhibeo) jam Honorii & Theodoſii ætate abunde a multis Seculis de immunitatibus cautum fuiſſe perhibet. Neque enim Jura noſtra aliis, niſi Archiatris, ex Archiatris & Comitibus Archiatrorum, per *l.* 6. & II. *C. de Prof. & Med.* Medicis περιοδευταῖς, per *l.* 6. §. I. & 2. *ff. de Excuſat.* & §. 15. *Inſt. de Excuſat. tutor.* ac denique Medicis caſtrenſibus, per *l. ult. ff. de jure immun.* & *l.* I. *C. de Prof. & Med.* a muneribus excuſationem tribuerunt. At, quoniam de Archiatris, ex Archiatris, & Comitibus Archiatrorum paſſim jam dictum eſt, hinc, ut denuo de iis diſſeramus, nihil ad-

 tinet,

tinet, sed potius, ut nonnullis legibus facem præferre allaboremus, Medicorum Periodeutarum & castrensium conditionem paucis investigabimus. Aliter quippe sentimus, ac NOODT. *in Comm. ad ff. tit. de Excusat. Opp. T.* II. *p.* 570. hæc fere inspectione & lectione liquere posse, nec interpretatione egere, existimans.

§. LXXVIII.

Habent ergo *Medici*, *qui* περιοδευταὶ, *id est*, *circulatores*, *vocantur*, *quemadmodum a reliquis muneribus*, *ita & a tutela*, *& a cura*, *requiem*, per *l.* 6. *§.* I. *ff. de Excusat.* Erat enim adeo honorifica illa Periodeutarum appellatio, ut GALENUS *de composit. medicam. secund. loc. L.* V. Magnum (quod Medici nomen est) cognomine τῦ περιοδευτῦ addito laudet. v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 209. ZELTNER. *Diss. de Period. vet. Eccl. restit.* §. 6. *seqq.* Nec inepte hanc vocem interpretantur, qui *circuitorem*, seu *circitorem*, ea significari censent, v. MENAG. *l. c. p.* 209. *seqq.* & HUBER. *in Prælect. ad tit. Inst. de Excus. tut. §.* II. *p.* 85. *& Digress. Justin. L.* III. *c.* 23. *§.* 2. *p.* 216. *seq.* LUDEWIG. *Diss. de Periodeut. vet. Eccl. §.* 2. quamvis nec AUGUSTINI *ad Modestin. p.* 195. improbanda sit expositio, qui περιοδευτὴν *circumforaneum*, non incommode vocari posse arbitratur, quæ sententia etiam HUBERO atque MENAGIO *ll. cc.* non displicuit. Neque enim Medici circumforanei appellatio olim erat opprobrio, sed videtur haud vile fuisse elogium. Non ad CICERON. *Orat. pro A. Cluent. c.* 14. *Oratt. T.* II. *P.* I. *p.* 122. *seq.* (quem locum *C.* I. *§.* V. exhibui) adeo provoco, quippe quum is, cujus ille meminit, pharmacopola, non Medicus, circumforaneus fuerit: sed magis in rem præsentem confert illud Gubii, in Umbria, L. Sabini L. L. Primigenii inventum monumentum, quod MENAGIO *l. c. p.* 210. & SPONIO, *dans les Recherch. Cur. d'Antiq. Diss.* XXVII. *p* 426. debeo. Is autem ita collaudatur:

ORTUS.

ORTUS. AB IGUVIO. MEDICUS. FORA. MULTA. SECUTUS.
ARTE. FEROR. NOTA. NOBILIORE. FIDE.
ME. CONSURGENTEM. VALIDA. FORTUNA. JUVENTA.
DESTITUIT. RAPIDIS. IMPOSUITQUE. ROGIS.
CLUSINO. CINERES. FLAMMÆ CESSERE. SEPULCHRO.
PATRONUS. PATRIO. CONDIDIT. OSSA. SOLO.

Vides igitur, circumforanei nomen olim non æque, ac hodie, fuisse odiosum. v. HUBER. *Digress. Justin. L.* III. *c.* 23. §. 2. *p.* 216. *seq.* & GONZAL. *a* TELLEZ *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 5. *Opp. T.* I. *p.* 482. Posses tamen & eos, si ita malles, Medicos circumambulantes vocare, v. GONZAL. *a* TELL. *l. c.* siquidem τῦ περιοδευτῦ vocabulum ex περὶ, quod in compositis sæpe *circumquaque in orbem*, uti in ambarvalibus vocibus, περικαθαίρειν, περιθύεσθαι, περιμάττεσθαι, significat, v. CASAUBON. *ad Theophrast. Char. p.* 304. & ὁδὸς, *via*, natum est. Ita SUIDÆ *in voce:* Περίοδος. *T.* III. *p.* 90. περίοδος est περιέλευσις, κύκλος, *circuitio, circuitus;* quemadmodum & HERODOT. *L.* VII. *p.* 288. voce utitur, inquiens: Οἱ δὲ Σπαρτιῆται μαθόντες ἐκ τῶν αὐτομόλων τῶν Περσέων τὴν περίοδον, *cum autem Spartani circuitum Persarum ex transfugis cognovissent;* & DEMOSTHEN. *in Philipp.* apud SUIDAM *l. c. p.* 90. *seq.* periodicos morbos interpretatur, qui certo tempore remittunt & redeunt. Nec aliter XENOPH. *in OEconom.* apud MENAG. *l. c. p.* 211. Medicum περιιόντα καὶ ἐπισκοποῦντα τοὺς κάμνοντας, *circumeuntem & visentem ægrotos*, vocat; ad quæ verba obiter observare juvat, non ex his solum, sed & ex PLUTARCH. *in Apophth. Lacon. Opp. T.* I. *p.* 410. qui itidem ἰατροῦ ἐπισκεπτομένου meminit, comprobari, quam male ab HERALDO *Animadv. in Salmas. L.* V. *c.* 20. negetur, ἐπισκοπὴν de Medicorum visitatione usurpari. Hi enim illi sunt, quos Galenus ægrotos περιτρέχειν, *percurrere*, & SENECA *de Benef. L.* VI. *c.* 14. ægros *perambulare* ait.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Si autem cui circitorum & circumforaneorum nomen nimis videretur abjectum, & infra Medici dignitatem; Periodeutas hos non incongrue Visitatores appellares. v. HUBER. *Prælect. ad tit. Inst. de Excus. tut.* §. 11. *p.* 85. *& Digress. Justin. L.* III. *c.* 23. §. 2. *p.* 217. Erat enim eorum muneris, ut ægrotos visitarent, quemadmodum de Comite Archiatrorum CASSIODOR. *Variar. L.* VI. *Form.* 19. ait: *Visitatio tua sit sospitas ægrotantium;* nec tamen, quod FORNER. *in not. ad Cassiodor. l. c. p.* 560. & SALMAS. *Exercitt. Plinian. T.* I. *p.* 596. contendunt, ut per varias urbes discurrerent, v. HUBER. *ll. cc.* & MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 218. *seq.* quamvis nec hodie haud obscuri nominis desint Medici, quibus ea magis placeat interpretatio. Videntur enim potius per Periodeutas significari Medici, qui regionatim, & per omnes unius Urbis vicos, faciebant Medicinam, ut ab illis discernerentur, qui λόγῳ, ὀυκ ἔργῳ, ἰατροί, seu λογιάτροι, *verbo* tantum, *non opere Medici*, sedentariam adamantes vitam, in domestico & umbratili otio Medicinæ magis studebant, quam eam faciebant. v. HUBER. *ll. cc. &* MENAG. *l. c. p.* 219. *seqq.* (BOEKELM.) *Med. Rom. serv.* §. 4 *p.* 15. HENEL. *ab Hennenfeld Ot. Wratislav. C.* 49. *p.* 428. GONZAL. *a* TELL. *in c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 5. *Opp. T.* I. *p.* 482. Forsan etiam ideo solis Periodeutis Jus nostrum immunitatem tribuit, ut his, quorum munus molestius, magis faveret, quam iis Medicis, qui uni genti, (de quibus Medicis familiaribus §. XIV. dictum) quod Romæ non infrequens erat, operam suam addicebant, v. HUBER. *Digress. Justin. L.* III. *c.* 23. §. 2. *p.* 216. *seq.* (BOEKELM.) *Med. Rom. serv.* §. 4. *p.* 15. PIGNOR. *de serv. p.* 72. *seq.* aut iis, qui, commodioris vitæ studio, curæ vicanorum, seu eorum, qui in eodem secum vico habitabant, tantum vacabant.

§. LXXX.

§. LXXX.

Et recte quidem nos Periodeutas, Visitatores, seu Circuitores, interpretatos esse, vel ex *l.* 42. *§.* 9. *C. de Episc. & Cler.* fit perspicuum. Præterquam enim, quod & hæc vocabula ibi Interpreti placuerint, idem officium ejus Clerici Periodeutæ evincit, quippe quod in circumeundo per omnes universæ regionis Ecclesias, & de earum statu inquirendo, situm erat. v. MEURSII *Glossar. Graco-barb. p.* 532. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 212. *seqq.* LUDEWIG. *Diss. de Periodeut. vet. Eccl. §.* 7. *&* 9. ZELTNER. *Diss. de Periodeut. vet. Eccl. restit. C.* 11. *§.* 8. *seqq.* Unde non displicere fateor elegantem BERNEGGERI *in not. anecdot. ad Meursii Glossar.* quæ MSS. in Bibliothecæ Guelpherbytanæ Codice asservantur, conjecturam, Clerici Periodeutæ partes forsan parum dissimiles ejus muniis fuisse, quem S. SABAS *in typico S. Lauræ* ἐξυπνιαστὴν seu ἐξυπνιστὴν, *excitatorem*, vocat, cujus erat, in vigiliis & ἀγρυπνίαις circumire, & somnolentos excitare. Conf. JUSTELL. *in not. ad Cod. Canon. Eccles. univ. p.* 217. Quemadmodum enim primæ Ecclesiæ membra vel maxime figurato illo militum Christianorum elogio gavisos esse constat: ita haud difficulter hæc perpendentem calculum mihi adjecturum esse confido, sin suspicari ausim, priscam Ecclesiam institutum istud forsan a castris Romanis accepisse mutuo. Erant enim & in iis Equites Circuitores, sive malis Circitores, aut Circulatores, qui ad visendas & explorandas vigilias mittebantur, &, si qua emersisset culpa, renunciabant. Ad vivum horum vigilum munia depingit STAT. *Thebaid. L.* x. *v.* 383. Inquit:

monitu Ducis acer agebat
Amphion equites, noctem vigilataque castra
Explorare datus, primusque per avia campi
Usque procul (necdum totas lux solverat umbras)
Nescio quid visu dubium incertumque moveri

Corpora.

Corporaque ire videt: subitus mox fraude reperta
Exclamat: cohibete gradum quicunque. Sed hostes
Esse patet.

v. VEGET. *de re milit.* L. III. c. 8. & BARTH. *in animadv. ad Statii l. c.* T. III. p. 1181. Et hanc quidem sollertiam primævos Christianos esse imitatos, tanto magis mihi persuadeo, quo magis & ipsa hæc equestris circitura περιοδία, περιοδεία & περιόδευσις audiebat, v. RHODII *Diss. de Acia c. 6.* p. 79. Nam & his ipsis Clericis Periodeutis non ἀπὸ τῦ περιοδεύειν, quod *sanare morbos* infimæ Græciæ sonasse tradit SALMAS. *Exercitatt. Plinian.* T. II. p. 739. quæ etymologia quibusdam arrisit, sed a περιοδεύειν, quod *circuire* significat, nomen inditum est. v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c. 35.* p. 215. *seq.* LUDEWIG. *Diss. de periodeut. vet. Eccl.* §. 2. & 7. ZELTNER. *Diss. de periodeut. vet. Eccl. restit.* C. II. §. 8. *seqq.* Hæc vero circuitionis & visitationis sparta plurimum delegabatur Presbyteris, qui aliquando etiam titulum habuerunt, ubi ea peracta se receperant. Periodeutas porro illos, sunt, qui cum Chorepiscopis eosdem fuisse autumant, sed, quam erronee, vel eo apparet argumento, quod iis in Ecclesiasticorum ordine post hos, aut, sin accuratius loqui amemus, post τὸν νομοδότην, locum fuisse constet; v. MEURS. *Glossar. Græco-barb.* p. 532. PERTSCH. *Elem. Jur. Canon.* L. I. T. 31. §. 423. MENAG. *Amœn. Jur. Civ.* c. 35. p. 214. *seqq.* quæ omnia, nisi partim id a scopo nostro videretur alienius, partim autem dicenda *God. Th.* LUDEWIG. *in Diss. de Periodeutis veteris Ecclesiæ*, & ZELTNERI *in Diss.* quam *Theologum circuitorem, seu de Periodeutis veteris Ecclesiæ restituendis votum* inscripsit, jam occupasset industria, fusius exponere non ingratum futurum arbitrarer.

§. LXXXI.

Revertamur igitur in viam, & ad Medicos nostros circumforaneos. Fuere utique non pauci, & ii ipsi, quod mireris,

ris, non infimi subsellii Viri, qui cum Periodeutis nostris, nescio quo moniti somnio, Parabolanos, quorum *l.* 42. & 43. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* & ex his derivatæ *l.* 17. §. 1. & *l.* 18. *Cod. Justin. de Episc. & Cler.* meminerunt, & quorum quingenti primum, mox sexcenti, ad curanda debilium ægra corpora per arbitrium Antistitis Urbis Alexandrinæ deputabantur, v. NÆV. *select. Jus concern. ad d. l.* 18. *de Episc. & Cler.* & GOTHOFRED. *in Comm. ad d. l.* 42. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler. T.* VI. *p.* 83. REINES. *Synt. Inscr. ant. Cl.* I. *ad Inscr.* 3. *p.* 15. MEURSII *Glossar. Græco-barb. p.* 510. eosdem fuisse existimarunt. Subscripserunt huic errori præter Glossatorum nationem HENEL. *ab Hennenfeld Ot. Wratislav. c.* 49. *p.* 428. & LAURENT. *var. antiq. Erud. L.* II. *Diss.* 21. *p.* 128. parumque ab eodem immunes videntur GREGOR. *Tholos. in Synt. Jur. univ. L.* XVIII. *C.* 25. *N.* 2. atque TIRAQUELL. *de Nobil. C.* 31. *N.* 414. *seq.* Verum non illud adeo mirandum, eos circa Parabolanorum conditionem lapsos esse, quam, quod ne de nomine quidem inter JCtos convenire possit. Alii illos Parabolanos audire, præeunte Codice Justinianeo, merito defendunt, alii Theodosianum, qui tamen dubio procul in mendo cubat, v. MEURS. *Glossar. Græco-barb. p.* 510. sequuntur, & Parabalanos eos vocare magis amant: iterum alii Julii Firmici auctoritate Parabolarios, denique Socrati assentientes Parabolos illos salutant. v. (BOEKELM.) *Med. Rom. serv.* §. 2. *p.* 11. *seq.* ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 2. *N.* 25. TIRAQUELL. *de Nobil. C.* 31. *N.* 419. *seq.* SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 93. *N.* 1. 2. & 9. Neque pauciora circa nominis originem sententiarum sunt discrimina. Sin Accursium audire lubet, næ is elegantem, & Accursiano dignam ingenio, profert etymologiam; quippe qui contemtim eos ita appellatos, eo quod multas haberent parabolas, quodque, ut quisque loquacior est, ita & doctior Medicus vulgi opinione existimetur, perhibet. At, valeant hæ nugæ, certatim a GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 42. *Cod. Theod. de*

Episc. Eccl. & Cler. T. VI. *p.* 83. HENEL. *ab Hennenf. Ot. Wratislav. C.* 49. *p.* 428. *seq.* LAURENT. *var. ant. Erud. L.* 11. *Diss.* 21. *p.* 127. PITISC. *Lexic. Ant. Rom. T.* 11. *p.* 374. ZACCH. *Quaest. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 4. *N.* 30. explosae, quamvis iis exponendis operam insumserint SPECKHAN. *Quaest. Jur. Cent.* 1. *Q.* 93. *N.* 4. *seqq.* WALTHER. *de stat. jur. & privil. Doct. C.* 18. §. 139. *Q.* 92. *p.* 397. *seq.* TIRAQ. *de Nob. C.* 31. *N* 415. *seqq.* Non majore plausu illorum excipienda conjectura, qui eos a parabola Christi de benigno Samaritano *Luc.* x: 30. *seqq.* nomen traxisse suspicantur: v. PITISC. *Lexic. Ant. Rom. T.* 11. *p.* 374. BRISSON. *de V. S. L.* XIV. *p.* 758. quemadmodum nec istorum omne tulit punctum, qui Parabolanos servos medicos, atque a παρὰ & βῶλος, quasi juxta glebam, seu adscriptitios glebae, nuncupatos fuisse conjiciunt, iisque per omnem vitam a famulitio Ecclesiarum & Xenodochiorum, uti servis rusticis ab agricultura, non licuisse discedere divinantur. v. HENEL. *ab Hennenf. Ot. Wratislav. C.* 49. *p.* 429. LAURENT. *var. ant. Erud. L.* 11. *Diss* 21. *p.* 127. SPECKHAN. *Quaest. Jur. Cent.* 1. *Q* 93. *N.* 8. TIRAQ. *de Nob. C.* 31. *N.* 420. (BOEKELM.) *Med. Rom. serv.* §. 2. *p.* 12. Denique nec TIRAQUELLI *de Nob. C.* 31. *N.* 419. & 421. Codicis Theodosiani lectionem, qui Parabalanos legit, probantis, iisque a παρὰ & βάλανος (qua voce glans significatur, quaque Medicos pro eo medicamento, quod Suppositorium vocamus, uti affirmat) appellationem inditam esse credentis, sententia, & LAURENTII *var. ant. Erud. L.* 11. *Diss.* 21. *p.* 127. opinio, Medicos bene & multum ratiocinantes a parabolando, quod ex SIRMONDI *ad Capit. Caroli Calvi* observatione ratiocinari significet, ita dictos esse, multorum tulerunt suffragia.

§. LXXXII.

Propius illi vero accedere videntur, qui Parabolanorum nomen ἀπὸ τοῦ παραβάλλεσθαι natum esse autumant. v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 42. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler. T.* VI. *p.* 83.

p. 83. HENEL. *ab Hennenf. Ot. Wratiflav. C.* 49 *p.* 429. *feq.* LAURENT. *var. ant. Erud. L.* 11. *Diff.* 21. *p.* 128. ERASM. *Adag. p.* 233. REINES. *Synt. Infcr. ant. Cl.* 1. *ad Infcr.* 3. *p.* 15. TIRAQ. *de Nob. C.* 31. *N.* 421. SPECKHAN. *Quaft. Jur. Cent.* 1. *Q.* 93. *N.* 3. (BOEKELM.) *Med. Rom. ferv.* §. 2. *p.* 12. BRISSON. *de V. S. L.* XIV. *p.* 758. PITISC. *Lex. Ant. Rom. T.* 11. *p.* 374. Quemadmodum enim τὸ παρὰ fæpe vocis notionem vitiat, ut in παραζῆν, παραβλέπειν, παραφρονεῖν, παρακύειν, v. BOS *Animadv. in Script. Græc. c.* 3. *p.* 17. *feq.* ita & in παραβάλλεσθαι eadem ejus vis eft, quippe quo παρακινδυνεύειν, ῥιψοκινδυνεῖν, *in fumma fe pericula temerarie projicere*, fignificatur. v. BUDÆI *Comm. Græc. ling. p.* 625. & GOTHOFRED. *Comm. ad l.* 42. *Cod. Theod. de Epifc. Eccl. & Cler. T.* VI. *p.* 83. Ita SUID. *in vocibus:* Παράβολος, *&* Παραβόλως. *T.* III. *p.* 26. παράβολον, ἀντὶ τοῦ, οὐ γνήσιος, dici teftatur, & ex JOSEPH. *Antiq. Jud. L.* VII. *c.* 15. qui ventriloquæ vatis παραβολὴν μαντείαν *temerarium vaticinium* vocat, & ex iis POLYBII *Hift. L* II. *c.* 24. Μετὰ δὲ ταῦτα πρὸς ἡλίκην δυναστείαν παραβόλως ἀντοφθαλμίσας, *poftea vero adverfus quantum imperium quanta audacia oculos attollere fuftinuit;* dictis fidem facit. Sunt enim παράβολα fummis objecta periculis, & παράβολος eft homo eminentis & projectæ audaciæ, ut παράβολον ἔργον temerarium facinus dicitur; v. LAURENT. *var. ant. Erud. L.* 11. *Diff.* 21. *p.* 127. *&* 128. ERASM. *Adag. p.* 233. CELLAR. *ad Plin. L.* IX. *Ep.* 26. HOMBERG. zum Bach *Parerg. Sacr. ad Hebr.* XI: 19. HENEL. *ab Hennenf. Ot. Wratiflav. C.* 49. *p.* 430. unde & confectores, qui in arena cum feris depugnabant, Parabolani vocabantur. v. LAURENT. & HENEL. *ll. cc.* CASAUB. *ad Scriptt. Hift. Aug. p.* 69. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 42. *Cod. Theod. de Epifc. Eccl. & Cler. T.* VI. *p.* 83. A periculis itaque, quæ fubire tenebantur, etiam illis Alexandrinis Parabolanis nomen factum effe videtur. Erat enim eorum muneris, ut, nullum difcrimen fubterfugientes, contemta vita, perpetuo ægrotos curarent, v. LAURENT. *l. c. &* MEURS. *Gloff. Græco-barb. p.* 510. SPECKHAN.

Quæst. Jur. Cent. I. *Q.* 93. *N.* I. nec tamen, quod GONZAL. *a* TELLEZ *ad c.* 7. *X. de ætat. & qualit. & ordin. N.* 5. *Opp. T.* I. *p.* 482. & aliis plerisque visum, erant Medici, v. ZACCH. *Quæst. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 4. *N.* 30. quod vel inde evincitur, quoniam *l.* 18. *C. de Episc. & Cler.* horum delectum Antistiti, seu Episcopo, urbis Alexandrinæ committit, quum tamen, uti, Archiatros ab ipsis Archiatris lectos esse, § LXIV. evictum est, ita reliquorum Medicorum probatio ad Decurionum ordinem pertineret, ceu mox plenius dicetur. At enim vero, non adeo longe petitis indigemus argumentis, siquidem ipsa *l.* 42. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* satis diserte innuit, illos ex Clericorum ordine, & paupertinæ sortis homines, fuisse; quod, sin opus videretur, vel inde adhuc magis posset confirmari, quia ad spectacula, ad Curiæ locum, & ad judicium, nisi in caussis propriis, accedere vetantur in *l.* 17. *§.* I. *& l.* 18. *C. de Episc. & Cler.* quæ omnia Clericorum jura esse, quem, quæso, fugit? v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 42. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler. T.* VI. *p.* 83. & HENEL. *Ot. Wratislav. C.* 49. *p.* 431. Quid quod, quum ex Antonini Pii epistola, in *l.* 6. *§.* 2. *ff. de Excusat.* ne maximæ quidem civitates amplius, quam decem Medicis, immunitatem possent indulgere: qua fronte igitur sexcentis Alexandriæ stipendia data esse perhibebis? Parabolanorum enim officium neutiquam sine commodo & emolumento fuisse, tum ex additis *l.* 42. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* & *l.* 17. *§.* I. *C. de Episc. & Cler.* minis, ut legis illius violatores brevibus parabolanis eximendi sint, & competenti supplicio subjugandi, nec unquam in eandem solicitudinem reverti debeant, tum ex illa *l.* 42. *Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* sanctione, qua, ne divites, *& qui hunc locum redimant*, huic muneri admoveantur, cavetur, abunde elucescit. Et ita quidem constare arbitror, quam illi ineptierint, qui Medicis Periodeutis eos annumerarunt, quibus nihil magis cum Medicina fuit commune, quam aniculis, quæ vel hodie lectis ægrotantium, ut eos foveant, & medicinam porrigant, solent assidere.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

De Circulatoribus, qui καθ' ἐξοχὴν id nominis meruerunt, heic loci differere ab argumento præsenti arbitratus essem alienius, nisi & hos summa nomina, BARTHIUM *Advers. L.* VIII. *c.* 19. *p.* 403. & 404. atque SALMASIUM *Exercitatt. Plinian. T.* I. *p.* 596. & *T.* II. *p.* 739. Periodeutis assimilasse animadvertissem. Uti enim *Ille l. c. l.* 6. §. 1. *ff. de Excusat.* ex *l.* 11. *ff de extraord. crim.* interpretandam putat, ita *Hic l. c.* per περιοδευτὰς impostores circumforaneos, illudque hominum genus, quod ludicris artibus vulgo facit mirabilia (quos Galli *charlatans* vocant) designari existimat. At, qui hos eosdem cum Periodeutis esse credunt, næ illi, quæ oppositis distant frontibus, conciliare satagunt. Erant quippe circulatores vaga agyrtarum natio, quæ serpentes circumferebat, variisque præstigiis rudi plebiculæ imponebat, (unde & *jactatio circulatoria* QUINTILIAN. *Inst. Orat. L.* II. *c.* 4. & *L.* X. *c.* 1. dicitur) quibus si cui nocuissent, extraordinarii criminis rei censebantur, atque in eos actio dabatur, per *l.* 11. *ff. de extraord. crim.* v. (BOEKELM.) *Med. Rom. serv.* §. 4. *p.* 15. *seq.* ZELTNER. *Diss. de Period. vet. Eccl. restit. C.* 1. § XI. HUBER. *Digress. Justin. L.* III. *c.* 23. §. 2. *p.* 216. *seq.* STRUV. *Syntagm. Jurispr. Exerc.* XLVIII. *Th.* 87. STRYK. *U. M. ff tit. de extraord. crim.* §. 18. *p.* 644. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. tit. de extraord crim.* §. 8. *T.* III. *p.* 1069. Uti vero hi non medendi caussa Urbes circuibant, sed ut plebem ære, quod per χαλκολόγους, seu æsculatores suos, corradebant, v. CASAUBON. *not. ad Theophrast. Char. p.* 183. nugatoriis technis emungerent, ita facile patet, quam parum ii Medicis Periodeutis comparandi sint. Quid quod, prope absum, ut affirmare ausim, illis ne quidem, uti Periodeutis, a circumeundo, sed ἀπὸ τοῖς κυκλοῖς, a *circulis*, seu foris, nomen inditum esse. Quoniam enim fora olim plurimum rotunda erant, hinc ea κύκλοι vocabantur, quemadmodum hac voce forum mulierum significat *Scholiast. Aristoph.* v. CASAUBON.

BON. *not. ad Theophrast. Char. p.* 125. Ubi vero Circulatoribus uberior esse poterat messis, quam in cœtu credularum anicularum? Huic autem impostorum nationi valde adfines fuisse arbitror illos περιερχομένους Ἰουδαίους ἐξορκιστάς, *circumeuntes Judæos exorcistas*, quorum *Act. Apost.* XIX: 13. meminerunt, quosque JOSEPH. *Antiq. Jud. L.* VIII. *c.* 2. annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species, quam a Salomone indicatam venditabant, naribus dæmoniaci admoto, ad ejus olfactum per nasum dæmonium extraxisse, &, collapso homine, ne rediret, adjurasse, narrat. Conf. de iis DEYLING. *Observatt. Sacr. P.* III. *Obs.* 38. §. 10. *p.* 360. *seq.* & BARTHOLIN. *Miscell. Med. de morb. Bibl. c.* 19. *p.* 82. Hinc satis mirari nequeo, FORNER. *in not. ad Cassiodor. Variar. L.* VI. *Form.* 19. *p.* 560. quin & MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 212. hos circulatores Judæos exorcistas Medicis Periodeutis parum dissimiles fuisse, perhibere. Quo enim pacto Jura Exorcistarum commodis prospexisse docebis, quos tamen diserte non Medicorum, sed impostorum numero habendos esse sanciunt. *Non quis eum etiam*, disertissime inquit Ulpianus in *l.* 1. §. 3. *ff. de extraord. cognit. accipiet Medicum, si incantavit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo impostorum utar) exorcizavit: non sunt ista Medicinæ genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum prædicatione adfirment;* quamvis non nescius sim, esse, qui hæc JCti convitia ad Christianos pertinere existiment. v. BALDUINI *præfat. ad M. Minuc. Felic. Octav. p.* 12. *& in Comm. ad Edict. vet. Princ. Rom. de Christ. p.* 102. GUNDLING. *præfat. ad Balduini Constantin. M. p.* 16. *&* 17. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* II. *Exerc.* XLII. *Th.* 18. *p.* 643. *seq.* ÆROD. *Pandect. rer. judicat. L.* VIII. *T.* 7. *c.* 6. *p.* 476. MASCARD. *de probat. Concl.* 1175. *N.* 3. BECHMANN. *Diss. de opific. & literat. clancular. Posit.* 87. *p.* 52. *seq.* BOOT. *Diss. de privil. Med. C.* 1. §. 9. Et hæc quidem ea sunt, quæ de περιοδευτῶν conditione, & discrimine illos inter, atque parabolanos, circulatores, & exorcistas, monenda esse putavi.

§. LXXXIV.

§. LXXXIV.

Præter Medicos Περιοδευτάς autem, caſtrenſibus quoque Jus noſtrum immunitatem indulſit, & primo quidem aliquam tantum vacationem munerum graviorum in *l. ult. ff. de jure immun.* mox omnium munerum civilium in *l.* 1. *C. de Prof. & Med. Cum te medicum*, inquit ibi Antoninus Imp. *legionis ſecundæ adjutricis eſſe dicas, munera civilia, quamdiu Reipublicæ cauſa abfueris, ſuſcipere non cogeris.* Quamvis vero *d. l.* 1. Medici legionis ſecundæ adjutricis mentionem faciat, non tamen inde, quod LAURENTIO *var. antiq. Erud. L.* II. *Diſſ.* 21. *p.* 129. & REINHARDO *in Theatr. prudent. elegant. ad Lipſii Polit. L.* v. *c.* 15. *§.* 42. *not.* 4. *Part.* II. *p.* 1659. viſum eſt, conficitur, unicum modo in ſingulis legionibus fuiſſe. Neque magis id illa ex Apiano apud GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* DCXXXIII. *Inſcr.* 5. evincit inſcriptio, quæ L. Cæli. Arrianum, Medicum legionis ſecundæ Italicæ, commemorat, quum ea nihil officiat, quo minus in iſta legione certa cohors ejus curæ fuerit demandata. Videtur enim unaquæque cohors Medicum habuiſſe, qui ſauciis operam ſuam addiceret. Ita Callimorphus Trajanum in Parthica expeditione ſequutus Medicus haſtatorum legionis ſextæ fuit, v. BULENGER. *de Imperio Rom. L.* IV. *c.* 30. *p.* 478. ſic T. Vibii Rufi, Medici cohortis quintæ Prætorianæ, & Ti. Claudii Juliani, Medici Clinici cohortis quartæ Prætorianæ, memoriam ſervant antiqua elogia apud SPON. *dans les Recherch. Cur. d' Antiq. Diſſ.* XXVII. *p.* 425. & 435. Quin, ut omnis eximatur ſcrupulus, par hujusmodi monumentorum, quæ GRUTER. *Inſcr. T.* I. *p.* LXVIII. *Inſcr.* I. & 2. & SCHWARZ. *in Diſſ. de Æſcul. & Hyg. Diis* φιλανθρ. *§.* 12. *p.* 23. exhibent, proferemus. Prius eorum in hæc conceptum eſt verba:

ASCLE-

ASCLEPIO. ET
SALUTI
COMMILITONUM
SEX. TITIUS. ALEXANDER
MEDICUS. CHO. V. PR
DONUM. DEDIT
AUG. VIII
T. FLAVIO. SABINO COS

Alterius illa est formula:

ASCLEPIO. ET. SALUTI
COMMILITONUM. COH. VI. PR
VOTO. SUSCEPTO
SEX. TITIUS. MEDIC. COH
VI. PR
D . D

ex quibus utrisque denuo comprobatur, singulis cohortibus Medicum additum esse. Non autem in *dd. ll.* eos solum intelligimus Medicos, quibus hodie id nominis tribuimus; sed & ea appellatione præcipue Chirurgos, quorum in bello utilior fere industria est, quam Clinicorum, quosque & ipsos plurimum olim simpliciter Medicos dictos esse *C.* I. §. III. evicimus, complectimur. v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 226. *seq.* Et in hanc quidem sententiam tanto magis propendeo, quum & legis ratio in Chirurgis eadem, quæ in cœteris, obtineat. Diserte quippe Antoninus Imp. in *d. l.* 1. *C. de Prof. & Med.* hanc tradit rationem, quia Medici militum Reipubl. caussa absunt. Sin itaque Reipubl. caussa abesse desinerent, post finitam eo jure vacationem, si in eorum erant numero, qui ad beneficia Medicis concessa pertinebant, ea immunitate utebantur, per *d. l.* 1. v. NÆV. *select. Jus concern. ad d. l.* 1. At, præter absentiam Reipubl. caussa, forsan

ſan & altera ratio hujus favoris fuit, vitæ ſcilicet, in quo iis ſæpius verſari neceſſum erat, diſcrimen, forſan & tertia, quia dubio procul hi militum Medici ſtipendiis publicis militabant; id quod vel inde colligo, quoniam illi gratuitam militibus præſtabant curam, v. LAURENT. *var. ant. Erud. L.* v. *p.* 404. quod, ut recte fieret, Aurelianus Imp. tribunum quendam jubet in epiſtola, quæ apud VOPISC. *in Aurel. c.* 7. legitur. *A Medicis*, ſcribit, *gratis* (milites) *curentur.* Ut vero hæ æquiſſimæ immunitatis rationes nec in iis, qui hodie ſunt, Medicis caſtrenſibus ceſſant, ita ne nunc quidem immerito ea munerum vacatio ipſis indulgebitur, tantoque magis, quanto impenſius RUDOLPHUS II. *Imp. in Rec. Imp. Ratisbon. d. a.* 1598. *§.* 45. Imperii Germanici Statibus Noſocomiorum, Medicorum, & Chirurgorum caſtrenſium curam commendat, atque iſtud inſtitutum, utpote Chriſtiana pietate apprime dignum, collaudat.

§. LXXXV.

Dixi *§. anteced.* Medicos caſtrenſes, ubi Reipubl. cauſſa abeſſe deſierant, immunitate privatos fuiſſe, *niſi in eorum eſſent numero, qui ad beneficia Medicis conceſſa pertinebant*, per *l.* I. *C. de Prof. & Med.* Cave autem, ne hæc verba in eum ſenſum accipias, quaſi Imp. ſanciverit, eos porro a muneribus vacaturos, ſi Περιοδευταί futuri eſſent. Neque enim omnes quidem Medici Περιοδευταί ad beneficia Medicis indulta pertinebant, ſed ii ſoli, & qui in patria ſua medicinam faciebant, & qui intra numerum erant, per *§.* 15. *Inſt. de Excuſat. tutor.* v. VOET *in Comm. ad ff. tit. de Excuſat. N.* 8. HUBER. *Prælect. ad tit. Inſt. de Excuſ. tut. §* 11. *p.* 85. TABOR *de Metat. Part.* III. *Sect.* I. *c.* 2. *Art.* 2. *§.* 6. *Opp. T.* I. *p.* 91. SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 48. Ne autem circa illum numerum fluctuandi naſceretur occaſio, Antoninus Pius Imp. eum epiſtola, univerſo orbi conveniente, ceu Modeſtinus in *l.* 6. *§.* 2. *ff. de Excuſat.* loquitur, ita definivit; *ut minores civitates poſſent quinque Medicos immunes habere, ma-*

jores autem civitates ſeptem, *qui curent*, (ſiquidem verba; *quatuor*, *qui doceant utramque doctrinam*, vel: *quaternos duabus illis diſciplinis præpoſitos*, quæ interpretatio AUGUSTINO *ad Modeſtin. p.* 196. placuit, ad Sophiſtas, qua voce Rhetores ſignificari exiſtimo, & Grammaticos, pertinent) *maximæ autem civitates decem Medicos: ſupra hunc autem numerum ne maxima quidem civitas immunitatem præſtaret.* Quo vero tanto conſtaret luculentius, quænam Imp. minores, majores & maximæ civitates audirent, ſubdit ſtatim D. Pius in *d. l.* 6. §. 2. *Decet autem maximo quidem numero uti Metropoles gentium*, *ſecundo autem*, *quæ habent vel forum cauſarum vel loca judiciorum*, *tertio autem reliquas.* Conf. AUGUSTIN. *ad Modeſtin. p.* 196. & CONRING. *Antiqq. Acad. Diſſ.* IV. *p.* 113.

§. LXXXVI.

Uti igitur Epiſtola Antonini Pii numerus Medicorum immunium erat circumſcriptus, ita *Medicorum intra numerum præfinitum conſtituendorum arbitrium non Præſidi Provinciæ commiſſum erat*, *ſed Ordini*, *&* *poſſeſſoribus cujusque civitatis: ut certi de probitate morum*, *&* *peritia artis*, *eligerent ipſi*, *quibus ſe liberosque ſuos in ægritudine corporum committerent*, per *l.* 1. *ff. de decret. ab ord. fac.* Neque enim Medici *aliter de immunitate hac fructum habebant*, *niſi decreto Senatus inſcripti fuiſſent numero conceſſo*, per *l.* 6. §. 4. *ff. de Excuſ.* ſiquidem *exceptis*, *qui liberalium ſtudiorum antiſtites ſunt*, *&* *qui medendi cura funguntur*, *Decurionum decreto immunitas nemini tribui poterat*, per *l.* 1. *C. de decret. decur.* hi autem utique *decretum Decurionum*, ſeu *decretum Curialium*, *mereri* debebant, per *l.* 5. *&* 7. *C. de Prof. & Med.* En! quomodo uno ore conſpirent leges, Medicis immunitatem Decurionum arbitrio decernendam fuiſſe. Unde merito nobiscum faciunt NÆV. *ſelect. Jus concern. ad l.* 5. *C de Prof. & Med.* ZACCH. *Quæſt. Med. leg. L.* VI. *T.* 3. *Q.* 4. *N.* 30. *Dion.* GOTHOFRED. *in not. ad l.* 5. *C. de Prof. & Med.* & *Jac.* GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 5. *Cod. Theod.*

Theod. de Med. & Prof. T. v. *p.* 31. & 32. Sed CONRINGIUS, uti *in Antiqq. Acad. Diss.* IV. *p.* 111. *seqq.* & *p.* 116. Decurionibus omne arbitrium tam circa Archiatros, quam circa Medicos immunes, tribuere voluit, quamvis ultimo loco jam aliquantulum nutet, nec sibi ipsi amplius satis confidat, ita *in Suppl.* XXVII. *p.* 264. Archiatros quod adtinet, mutavit mentem, & *in Suppl.* LVII. *p.* 353. in alterum extremum prolapsus est, atque Decurionibus omnia adimenda censuit, adeo, ut & in *l.* 7. *C. de Prof. & Med.* per *Ordinem* ipsos studiorum magistros intelligi cupiat. At omnis iste error, ceu §. LXIV. monuimus, inde natus est, quod leges, quæ de Archiatrorum surrogatione sanciunt, ab iis, quæ de immunitatibus Medicorum statuunt, non satis distincte separaverit. Uti enim illa Archiatrorum ipsorum fiebat judicio, ita hoc privilegium Decurionum decreto omnino tribuendum erat. Præter illud vero Julianus in *d. l.* 7. exigit, ut *Optimorum conspiret consensus.* Quibus verbis nihil aliud præcipi, quam ut Decuriones peritos in arte in consilium adhiberent, atque in hac lege *Optimos* vocari, qui in *l.* 7. *Cod. Theod. de Med. & Prof. Probatissimi* audiunt, erudite, ut ipsi mos erat, observavit GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 5. & 7. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 31. 32. & 33. Conf. CONRING. *Antiqq. Acad. Diss.* IV. *p.* 116. Cur autem in sola hac lege Optimorum postuletur consensus, id meo quidem judicio postrema legis verba, quæ a Codice Justinianeo absunt, produnt, in *l.* 5. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* dum *decretum Curialium ad se tractandum referri* jubet, *ut altiore quodam honore ejus judicio studiis Civitatum accedant.* Quemadmodum enim hac sibi vindicata probatione id merito creditur studuisse efficere, ut Christianos, forsan Ordinis decretum merentes, repellere posset, v. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 5. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 32. ita Imp. dum Optimorum desiderat consensum, non aliud consilium fuisse probabile est, quam ut, tot statutis ambagibus, Christianos a beneficiis arcendi tanto frequentior esset occasio.

 §. LXXXVII.

§. LXXXVII.

Erat vero, siquidem hæc Juliani Imp. placita a sequentibus Imperatoribus non confirmabantur, tam ampla Decurionum circa Medicos potestas, ut, quamvis alias ambitiosa Ordinis decreta improbarentur & rescindi deberent, per *l.* 4. *pr. ff. de decr. ab ord. fac. & l. ult. C. de decret. Decur.* ob medicinam tamen salaria constituere ipsis esset integrum, per *l.* 4. *§.* 2. *ff. de decr. ab ord. fac.* v. SCHILTER. *prax. Jur. Rom. Exerc.* L. *§.* 34. *p.* 240. Quin, etiamsi quis intra numerum præstitutum Medicorum esset, non tamen ordine invito habebat immunitatem, quippe quæ ei Decurionum decreto tribui debebat, per *l.* 5. *C. de Prof. & Med.* Sunt, qui in *d. l.* 5. *ordine imminutos* legunt, sunt qui *ordine invitos* agnoscunt, utrumque non commodo satis sensu; at, sin *invito* legas, quemadmodum in Albornotiana Bibliotheca scriptum fuisse testatur AUGUSTIN. *ad Modestin. p.* 196. omnia planissime fluent. Conf. CONRING. *Antiqq. Acad. Diss.* IV. *p.* 113. Neque mirum, ordine invito Medicos non habuisse immunitatem, quum, quamvis hunc numerum neque sententia Senatus, neque alia qua adinventione, excedere liceret, liceret tamen minuere, quoniam pro muneribus civilibus apparebat hoc tale factum, uti est in *l.* 6. *§.* 3. *ff. de Excusat.* Quid quod, erat etiam in arbitrio Reipubl. ut Medicum, quamvis semel probatum, si circa operationem negligenter se haberet, posset reprobare, per *l.* 6. *§.* 4. & 6. *ff. de Excusat. & l.* 11. §. 3. *ff. de mun. & hon.* atque arg. *l.* 52. §. 1. *C. de Episc. & Cler. & l.* 2. *C. de Prof. & Med.* v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 226. VOET *in Comm. ad ff. tit. de Excusat. N.* 8. NÆV. *select. Jus concern. ad l.* 11. *§.* 3. *ff. de mun. & hon.* ex quibus legibus recte conficiunt DD. hodieque etiam Professorem negligenter officio suo defungentem immunitate privandum esse. v. HUBER. *Prælect. ad tit. Inst. de Excus. tutor. §.* 11. *p.* 86. STRYK. *ad Lauterbach. tit. de Excusat. not.* 18. *p.* 1071. CHRISTIN. *Decis. Belg. Vol.* V. *Dec.* 49. *N.* 13.

N. 13. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph.* 22. *p.* 23. *ſeq.* In hunc tamen cenſum neutiquam illi veniunt, qui ſenio confecti, aut ob valetudinem, vel forſan aliam quandam graviſſimam cauſſam, medicæ arti non amplius vacare, aut muneri ſuo ſupereſſe valent: quoniam ab his omnis abeſt & culpa & dolus. Egregie in rem præſentem Paulus in *l.* 4. *§.* 5. *ff. de ſtatu liber.* differit: *Servire*, inquit, *nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes ſervire, propter adverſam valetudinem impediuntur.* Conf. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph.* 18. *&* 23. *p.* 20. *ſeq. & p.* 24. *ſeq.* Quin, quod veterani Medici iisdem, quibus antea, per reliquum vitæ tempus gaviſi ſint immunitatibus, tanto minus dubium eſſe poteſt, quanto magis conſtat, in ſingulis ſcholis militantes, poſt emenſa quinque ſtipendiorum curricula, Clariſſimorum Comitum dignitatem adeptos, per *l.* 2. *C. de privil. ſchol.* & Comites abſolutos militia eodem, quo prius fuerant, loco numeratos eſſe, per *l. un. C. de Comit. & tribun. ſcholar.* Fruſtra quoque a JCtis hactenus dictis obmovetur *l.* 2. *C. Ut dignit. ord. ſervet.* qua probare ſatagunt, Doctores ipſo actu docentes rude donatis præferri: v. CHRISTIN. *Deciſ. Belg. Vol.* V. *Dec.* 113. *N.* 17. *&* 18. Id enim unice in *d. l.* 2. cavetur, ut in actu poſiti vacantibus (non autem emeritis) in dignitate (nec tamen quoad privilegia) præferrentur; atque hinc patet *d. l.* τὸ κρινόμενον nullatenus demonſtrare.

§. LXXXVIII.

Dixi *§§. antecedd.* Medicos non habuiſſe vacationem a muneribus, niſi, qui intra numerum erant. Habebant tamen ex D. Pii Antonini Conſtitutione Medici, ſin ἄγαν ἐπισήμονες eſſent, & valde aliqui excellerent, etiam ſupra numerum, & in aliena patria moram facientes, immunitatem, per *l.* 6. *§.* 10. *ff. de Excuſat.* v. VOET *in Comm. ad ff. tit. de Excuſat. N.* 8. & HUBER. *Prælect. ad tit. Inſt. de Excuſat.* §. 11. *p.* 85. Ex D. Severi & Antonini enim regula ii tantum, qui in

propria patria docebant & medebantur, a muneribus se poterant excusare, per *l.* 6. *§.*9. *ff. de Excusat. &* *§.*15. *Inst. eod.* v. VOET & HUBER. *ll. cc.* Conf. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 5. *p.* 7. & 8. Excusabantur tamen & illi, qui Romæ iis muniis defungebantur; siquidem hæc Regia Urbs censebatur, & erat quasi communis patria, per *l.* 6. §. 11. *ff. de Excusat.* §. 15. *Inst. eod. l.* 9. *pr. ff. de vacat. & excus. muner.* v. VOET & HUBER. *ll. cc.* atque MENAG. *Amœn. Jur. Civ. C.* 35. *p.* 221. *seq.* Nec deterioris, qui Constantinopoli docebant, aut artem faciebant, conditionis fuisse, suadet *l. un. C. de privil. urb. Constantinop.* qua Honorius & Theodosius Impp. sanciunt, ut Urbs hæc non solum juris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris, prærogativa lætaretur. Videntur tamen utrobique, nisi inter ἄγαν ἐπιςήμονας connumerari mererentur, non aliter immunes fuisse, quam si in numerum recepti essent, arg. *§.* 15. *Inst. de excusat. tutor.* v. MENAG. *l. c.* Sunt, qui, quod Medici tum in patria, tum in regiis Urbibus, excusarentur, iis cum Rhetoribus & Grammaticis privum fuisse putant, atque Legum Doctoribus non, nisi si Romæ docerent, immunitatem indultam esse, ob *l.* 6. *§.* 12. *ff. de Excusat.* arbitrantur. v. HASÆUS *de Beryt. JCtor. Academ. C.* 8. *§.* 3. *p.* 80. At, vix est, ut videatur, Doctores Legum, qui in nova Roma, vel in illa Berytiensium pulcherrima civitate, legum nutrice, quo elogio eam Justinianus in *procem. ff.* §. 7. mactat, profitebantur, inferioris, ac Romæ docentes, sortis fuisse. v. STRAUCH. *Diss. Acad. Diss. ult. de metrop. Beryto C.* 4. *§.* 27. WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P.* 1. *Disp.* LII. *Th.* 9. *p.* 649. & ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 5. *p.* 8. Quare, quod & ipse legis nexus haud dubie suadet, nihil aliud *d. l.* 6. *§.* 12. innuere voluisse existimo, quam, quod anteriores *§§.* etiam de Medicis statuerant, vz. Legum Doctores in aliqua provincia, v. g. Beryti, docentes remissionem non habere, nisi & hæc eorum sit patria, Romæ docentes tutela & cura remitti, etiamsi hæc illorum patria non sit, quippe quæ communis

munis omnium eſt. Aut ita *d. l. 6. §. 12.* interpretanda eſt, ut in provincia, v. g. Alexandriæ, vel Cæſareæ, Jus docentes immunitate nunquam fruerentur, ſiquidem ſolæ Romana, Conſtantinopolitana & Berytenſis JCtorum ſcholæ privilegiis munitæ erant. Conf. STRAUCH. *Diſſ. Acad. Diſſ. ult. de metrop. Beryt. C. 4. §. 27.*

§. LXXXIX.

Quandoquidem itaque hactenus, quinam illi Medici fuerint, quibus a muneribus vacatio indulta, inveſtigavimus, reliquum eſt, ut, a quibus muneribus ſeſe excuſare potuerint, disquiramus. Quoniam vero Arcadius Chariſius, in libro ſingulari de muneribus & honoribus, cujus fragmentum in *l. 18. ff. de mun. & hon.* ſervatum eſt, triplicem munerum civilium ait eſſe diviſionem, quorum quædam perſonalia, alia patrimoniorum, alia mixta ſint: hanc merito eſſemus ſequuti, niſi Ipſe in *d. l. 18. §. 28.* fateretur, hæc omnia una ſignificatione munerum civilium, ſeu publicorum, comprehendi, atque ſuper hac re miri inter ipſos DD. eſſent conflictus. Sequemur nihilo minus, ut pote, hunc ordinem, neque tamen cum quoquam finium regundorum judicio experiemur. Ex munerum perſonalium claſſe Medici præcipue a tutela & cura excuſantur in *l. 6. §. 1. ff. de Excuſat. & §. 15. Inſt. eod.* v. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph. 5. p. 7.* quæ, quamvis non ſint Reipublicæ munera, per *l. 6. §. 15. ff. de Excuſat.* ſunt tamen publica munera, per *pr. Inſt. eod.* de quibus Romani Juris argutiis v. STRYK. *ad pr. Inſt. de excuſ. tut.* & WISSENBACH. *Exerc. ad ff. P. 1. Diſp.* LII. *Th. 3. p.* 646. Inviti porro ad legationes cogi non poterant, per *l. 6. §. 8. ff. de Excuſat.* quamvis, illos eas volentes ſuſcipere potuiſſe, exemplo a Philoſophis ducto, ſupra C. 11. §. XXXV. comprobatum ſit, v. AUGUSTIN. *ad Modeſtin. p.* 200. item a Sitonia & Eleonia, ſeu frumenti, vini & olei emtione ac præpoſitione, per *d. l. 6. §. 8.* Cætera, quæ in *d. l. 6. §. 8.* ſequuntur, vix commode intelligentur, niſi

Græca

Græca in conſilium advoces. Ita vero Græce ſonant: Ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχῶν, ἀγορανομιῶν, ἱεροσυνῶν, ἐπισταθμιῶν, *immunes eſſe a munere Gymnaſiarchiæ, Ædilitatis, Sacerdotii, metati.* v. GOTHOFRED. *Comm. ad l.* 3. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 28. Vacabant ergo a Gymnaſiarchia, ſeu præfectura Gymnaſiorum, de quo munere v. SALMUTH. *in not. ad Panciroll. rer. memorab. P.* 1. *Tit.* 26. PITISC. *Lex. Ant. Rom. T.* 1. *p.* 887. AUGUSTIN. *ad Modeſtin. p.* 198. *J. A.* SCHMID *Diſſ. de Gymnaſ. literar. Athenienſ.* WALCH. *Diſſ. de Gymnaſ. literar. veter. Romanor.* uti & ab Ædilitate, quippe quæ & ipſa ſatis moleſtum munus erat, tum, quoniam ad Ædilium curam ſpectacula, venationes, &c. pertinebant, v. LANDI *Numiſm. vett. Rom. miſcell. explic. in Gaud.* ROBERTI *Miſcell. Ital. Erud. T.* 1. *p.* 386. *& p.* 485. *ſeq.* & SIGON. *de antiq. jur. civ. Rom. L.* 1. *C.* 20. *p.* 226. *ſeq.* in quibus edendis ab iis, etiamſi cœtera vel optimi Viri eſſent, Pop. Rom. immenſos ſumtus erogari poſtulabat, v. CICER. *de Off. L.* 11. *c.* 16. *ibique Commentatt.* tum, quia & ædificia publica, templa atque viæ, ejus demandata erant ſolicitudini. v. GUNDLING. *in Gundlingian. P.* XVI. *N.* 1. §. 22. *ſeq. p.* 50. *ſeq.* PANCIROLL. *rer. memorab. P.* 1. *Tit.* 21. HENEL. *ab Hennenf. Ot. Wratiſlav. C.* 4. *p.* 28. *ſeq.* AUGUSTIN. *ad Modeſtin. p.* 198. *ſeq.*

§. XC.

Illa præterea beneficia vacationi a perſonalibus muneribus videntur eſſe accenſenda, ut neque cogerentur judicare, neque nolentes in militia numerari, per *l.* 6. §. 8. *ff. de Excuſat.* v. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph.* 5. *p.* 6. *ſeq.* aut ad eam vel ipſi comprehendi, per *l.* 3. *&* 10. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* vel eorum liberi inviti trahi poſſent, per *l.* 16. *eod.* nempe ut tirones in tirocinium militiæ, quum illa tironum præſtatio reliquis familiis urbanis indici ſoleret, per *l.* 7. *Cod. Theod. de tiron.* quæ tamen præbitio tironum magis in patrimoniorum viribus, quam in perſonarum muneribus, con-

conlocatur in *d. l.* 7. Conf. GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 3. *& in not. ad l.* 10. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 28. *&* 39. Denique & Medicis nolentibus a muneribus Senatoriis, atque Curialibus, sese excusandi data est licentia, primum forsan Juliani Imp. Constitutione, quæ in *l.* 4. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* mutilata legitur, quam vero ex JULIANI *Ep.* xxv. *Opp. p.* 398. pleniorem *C.* 11. §. xxxii. exhibuimus, mox & succedentium postea Principum legibus, per *l.* 16. *& l.* 19. *Cod. Theod. de Med. & Prof. & l.* 11. *Cod. Justin. eod.* v. MENAG. *Amœn. Jur. Civ. c.* 35. *p.* 229. MUND. *de muner. & honor. C.* 1. *N.* 83. *p.* 24. GOTHOFRED. *Comm. ad l.* 2. 4. *&* 19. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 27. 30. *&* 48. quamvis ita iis nonnunquam Senatoria, vel Consularis dignitas, pro præmio daretur, ut inter Adlectos, & sic, licet Senatoria dignitate censerentur, a muneribus tamen Senatoriis essent immunes. v. GOTHOFRED. *Comm. ad l.* 10. *Cod. Theod. de Prætor. & Quæstor. T.* 11. *p.* 44. *& ad l.* 12. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 43. Postremo, ne in muneribus, quorum hodie vix nomina adhuc sunt reliqua, enarrandis longus videar, id monuisse sufficiat, Medicis & a cœteris omnibus muneribus personalibus immunitatem indultam esse. Id quippe, meo judicio, *d. l.* 6. §. 8. *ff. de Excusat.* verbis: *neque ad alium famulatum eos cogi*, significat, unde & AUGUSTIN. *ad Modestin. p.* 200. ea ita: *nullum denique provinciale aliudve munus subire cogendos*, enunciavit. Neque enim, quod ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Professs. Aph.* 5. *p.* 7. placet, per ista solus famulatus Comitum Principis indicatur, sed omne munus personale, quod *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* verbis: *nec ullo fungi munere*, & *l.* 11. *C. eod. sint ab omnibus muneribus publicis immunes*, confirmant. Est quippe in Medicis non adeo dispar ratio ab artificibus; illi vero ab universis muneribus vacant, siquidem in discendis artibus otium sit accommodandum: quo magis cupiant & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire, per *l.* 1. *C. de excusat. artif.*

§. XCI.

Quandoquidem vero ista ratio in muneribus patrimoniorum exspirat, atque iis Medici ab otio, discendis artibus impendendo, non valde avocantur, hinc dubium nonnullis visum est, num & ab his essent immunes? Negantium partes tuentur NÆV. *select. Jus concern. ad l. 6. C. de Prof. & Med.* & BOOT *Diss. de privil. Med. C.* 11. §. 12. medias amplectitur, nec ante Constantinum hanc quidem immunitatem iis datam esse defendit GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* 1. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 24. At, uti ex speciebus immunitatum indubie patrimonialium, quas statim percensebimus, Constantini M. ævo longe antiquioribus, ista admodum convellitur sententia, ita magis placet, in universum affirmare, ab his quoque vacationem Medicis datam esse. Subscribunt *Ill. de* COCCEJI *in Diss. de censu emigrat.* §. 12. *Exercitatt. Curios. T.* 1. *Diss.* 42. *p.* 500. ZAUNSCHLIFFER. *Diss. de privil. Profess. Aph.* 7. *p.* 9. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 51. Ut enim primo evincatur, diu ante Constantini M. ævum Medicis vacationem a quibusdam saltim muneribus patrimoniorum datam esse, denuo Antonini Pii Epistolam in *l.* 6. §. 8. *ff. de Excusat.* excito. Ibi enim Medicis immunitas ἱερωσυνῶν, seu Sacerdotii, tributa est, ad quod privilegium, Adriano adhuc imperante, Phavorinum, in patria ad sacerdotium electum, jam provocasse narrat PHILOSTR. *de vit. Sophist. L.* 1. *c.* 8. §. 2. *p.* 489. *seq.* Illud vero Sacerdotii munus tantum patrimonii esse, non ambigi, Diocletianus & Maximianus Impp. in *l.* 8. *C. de muner. patrimon.* clarissime definiunt. v. AUGUSTIN. *ad Modestin. p.* 199. Accedit Pauli, Antonini æqualis, auctoritas in *l.* 10. §. 2. *ff. de vacat. & excus. mun.* ubi angariarum præstationem, de qua v. *tot. tit. Cod. Theod. de curs. publ. angar. & parangar. T.* 11. *p.* 506. *seqq.* & RIGALT. *Glossar. p.* 12. & 13. liberalium artium Professoribus, quibus communia fere semper cum Medicis a JCtis Romanis jura tributa sunt, remissam

esse

esse testatur. v. CONRING. *Antiqq. Acad. Diss.* VI. *p.* 165. At vero angariæ erant munus patrimoniorum, ceu ex *l.* 18. *§.* 21. *ff. de mun. & hon.* satis patet. Quid quod, & ἐπισταθμιῶν ἀτέλεια, seu immunitas a metato, & necessitate hospites recipiendi, dubio procul non diversæ fuit indolis, per *l.* 3. §. 14. *ff. de mun. & hon. & l.* 3. *C. de muner. patrimon.* unde & in *Eclog. Basil. L.* LIV. *Tit.* 4. *c.* 3. οὐσιακὴ λειτουργία, sive munus, quod facultatibus obimus, vocatur; v. TABOR *de metat. P.* II. *c.* I. *§.* 13. *Opp. T.* I. *p.* 39. *seq.* quin adeo ad istam classem pertinuit, ut, quamvis cui & personalium & civilium munerum immunitas concessa esset, ab hospite tamen recipiendo non excusaretur, per *l. ult.* §. 29. *ff. de mun. & hon.* & *l.* 3. *C. de muner. patrimon.* v. TABOR *de metat. P.* I. *c.* 7. §. 2. *Opp. T.* I. *p.* 26. Verum enim vero, ab hoc quoque munere patrimonii Medicis jam Vespasiani, Hadriani, & Antonini Rescriptis vacatio data, per *l. ult.* §. *ult. ff. de mun. & hon. & l.* 6. *§.* 8. *ff. de Excusat.* atque arg. *l.* 10. *§.* 2. *ff. de vac. & excus. mun.* quæ a subsequentibus Impp. duntaxat confirmata est in *l.* 8. *C. de metat. l.* 6. *& l.* 11. *C. de Prof. & Med. l.* 3. 10. 16. *&* 18. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* v. AUGUSTIN. *ad Modestin. p.* 199. TABOR *de metat. Part.* III. *Sect.* I. *c.* 2. *Art.* 2. *§.* 6. *Opp. T.* I. *p.* 90. *seq.* GOTHOFRED. *in Comm. ad l.* I. 3. *&* 19. *Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* V. *p.* 24. 28. 29. *&* 48.

§. XCII.

Juribus a Constantini M. ævo autem conditis Medicis ab omnibus muneribus vacationem datam, multo minus dubium est, atque quidem superius. Quid enim sanctiones *l.* 6. *& l.* 11. *C. de Prof. & Med.* quibus *ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel civilibus, vel publicis, immunes* esse præcipiuntur, sibi vellent, siquidem vacationem a muneribus patrimonialibus ambitu suo non complecterentur? Est quippe functio, explicante PALÆMONE *in Gloss.* tributorum exsolutio, unde & in Impp. Constitutionibus plus

ſimplici vice intributiones & collationes hac appellatione veniunt. v. BRISSON. *de V. S. L.* VI. *p.* 380. Hinc conſequens eſt, Medicos, eorumque viduas & liberos, immunes eſſe a tributis, per *l.* 6. *& l.* 11. *C. de Prof. & Med.* v. STRYK. *ad Lauterbach. tit. de vac. & excuſ. muner. not.* 13. *p.* 1696. quod & diſerte *l.* 2. 15. 16. *&* 19. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* confirmant, dum eos ab omni Senatoria & glebali conlatione atque deſcriptione, & ab omni auri, argenti & equorum præſtatione, immunes pronunciant. Quum autem & cenſus emigrationis indubie tributi ſit ſpecies, non videtur hærendum, quin & ab hoc, ipſi æque, ac eorum viduæ & liberi, per *dd. ll.* immunes æſtimandi ſint. v. *Ill. de* COCCEJI *Diſſ. de cenſu emigrat.* §. 12. *Exercitatt. Curioſ. T.* 1. *Diſſ.* 42. *p.* 500. *ſeq.* & ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph.* XI. *p.* 12. *ſeq.* Neque majorem ſcrupulum injicit exſolutio vectigalium; nec unquam mihi probabitur illud nonnullorum DD. placitum, quo Medicos a reliquis, non ab iis, quæ ad refectionem pontis vel aggeris colliguntur, immunes eſſe perhibent. v. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profeſſ. Aph.* 10. *p.* 12.

§. XCIII.

Meliore illa tamen DD. ſententia videtur ſubnixa eſſe fundamento, Medicos ratione rerum, quas in civitatibus ſuis poſſident, tantum, & ab ordinariis modo tributis, immunes eſſe. v. STRYK. *ad Lauterbach. tit. de vac. & excuſ. mun. not.* 13. *p.* 1696. STRUV. *Syntagm. Jurispr. Exerc.* L. *Th.* 74. RICHTER. *Deciſ. P.* II. *Dec.* 70. *N.* 59. SATTLER. *Diſſ. de jur. & privil. Med. Th.* 51. Hinc extraordinaria munera utique ſubire tenentur, per *l.* 1. *C. de indict. & l.* 1. *C. ut nem. lic. in empt. ſpecier. ſe excuſ.* Improbum quippe foret, ſi quis adeo acerbe hæc privilegia tuenda putaret, quemadmodum Polemonem Philoſophum, qui Antoninum, poſtea Imp. tum adhuc Proconſulem Aſiæ, ut qui in ejus domum ſe receperat, noctu, ipſe a peregrinatione rediens, domo migrare coëgit, factitaſſe narrat PHILOSTRAT. *in vit. Sophiſt.*

phist. L. 1. *c.* 25. §. 3. *p.* 534. cujus incivilis facti memoria forsan *l.* 2. *C. de quib. mun. vel præstat. nem. se lic. excus.* caussam dedit. Necessitas enim nullam habet legem, unde & in summa necessitate, ubi omnes intelligunt, tributa, si salvi esse cupiant, conferri deberi, quantumvis privilegio muniti ab hac collatione non sunt immunes, *per l.* 1. *&* 3. *C. de quib. mun. vel præstat. nem. se lic. excus.* v. SCHED. *de Diis Germ. Syngr.* 11. *c.* 12. *p.* 424. quod in Germania tum legibus Imperii publicis, tum & praxi, æque ac in Gallia, omnino comprobatur. v. LAUTERBACH. *Coll. Theor. Pract. tit. de vac. & excus. mun.* §. 6. *T.* III. *p.* 1529. STRUV. *Synt. Jurispr. Exerc.* L. *Th.* 73. GOTHOFRED. *Comm. ad l.* 1. *Cod. Theod. qui a præb. tiron. T.* IV. *p.* 141. SPECKHAN. *Quæst. Jur. Cent.* 1. *Q.* 23. *N.* 2. RICHTER. *Decis. P.* II. *Dec.* 70. *N.* 59. MUND. *de mun. & hon. C.* 6. *N.* 575. *seqq. p.* 342. *seq.* ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 8. *p.* 10. SATTLER. *Diss. de jur. & privil. Med. Th.* 57. Præcipue huc in Germania nostra refertur, sin Imperium bellum in Turcas moliatur, quandoquidem, ita constitutis rebus, nemini a collatione tributi, quod die Türcken-Hülffe appellamus, sese excusare licet, ubi tamen caveri solet, ut id salvo in reliquis eorum jure fiat; doch Ihnen an ihren alten Gebrauch und Herkommen sonst in alle Weg unschädlich und unnachtheilig. v. *Rec. Imp. d. a.* 1542. §. 16. *&* 17. Conf. *Ill. de* COCCEJI *Diss. de censu emigrat.* §. 12. *Exercitatt. Curios. T.* 1. *Diss.* 42. *p.* 501. RICHTER. *Decis. P.* II. *Dec.* 70. *N.* 59. MUND. *de mun. & hon. C.* 6. *N.* 582. *p.* 343. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 8. *p.* 11. Ut vero par utilitatis publicæ favor sit, qui necessitatis, id quidem, quum omnia munera ad Reipubl. tendant commoda, adeoque ita omnis evanesceret immunitas, non facile cum KLOCK. *de Contribut. C.* 12. *N.* 224. & ZAUNSHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 9. *p.* 11. ausim affirmare.

§. XCIV.

Diximus hactenus, Medicos ab omnibus muneribus civilibus immunes esse: dispiciamus denique, quibusnam Medici ordinis hæc Jura ex Impp. Constitutionibus & hodie competere videantur? Certe, de alieno liberales sunt, qui quibusvis Medicis practicis hæc beneficia vindicant; v. TABOR *de metat. P.* III. *Sect.* I. *c.* 2. *Art.* 2. §. 6. *Opp. T.* I. *p.* 90. *seq.* multoque minus illud admittendum est, ut ea plane ad Pharmacopœos pertrahantur, quod, sed levibus admodum argumentis, quibus enervandis ut immoremur non est necesse, evincere studuit FRITSCH. *in Diss de jure circa pharmacopolia civitat. C.* 2. §. 7. *seqq. p.* 42. *seqq.* Equidem ita sentio, Periodeutas numerarios, quos vacationem a muneribus habuisse supra probavimus, non alios Antonini tempore fuisse, quam, qui succedente ævo Archiatri populares Romæ & Constantinopoli vocabantur, quibus in provinciis autem Medicorum nomen etiam postea hærebat. Habebant enim & municipia Medicos publice conductos, quod Massiliensium exemplo §. XXXVIII. comprobavimus. Et hi sane illi Periodeutæ videntur fuisse, nec dissimile eorum officium, quod Archiatrorum Romæ erat. Suadet id ipse numerus illorum, siquidem Romæ erant quatuordecim Archiatri, quod §. LXIII. diximus, at in maximis Urbibus, seu metropolibus, erant decem Medici Periodeutæ, quod §. LXXXV. monuimus. Siquidem vero Archiatrorum & Periodeutarum non dissimilia fuere munera, certe hæc beneficia ad nullos Medicos, quam publice conductos, gratisque pauperes curantes, & alios arte instituentes, quoniam hæc bina Archiatrorum munia fuisse §. LXIII. & LXVI. ostendimus, pertinuisse videntur. Non adeo ad *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* provoco, quamvis & hæc sententiæ huic faveat, sed magis in rem præsentem confert *l.* II. *C. de Prof. & Med.* ubi per verba: *nec non etiam Medicos*, nulli alii, nisi Archiatri populares, & Medici Periodeutæ, his in provinciis similes, intelligi possunt. Jubent id postre-

postrema legis verba: *Hæc autem & Professoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus;* quum non omnes Medici fuerint Professores, adeoque ea necessario ad ἰατροσοφιστάς referenda sint. Conf. GOTHOFRED. *in Comm. ad l. 3. Cod. Theod. de Med. & Prof. T. v. p. 29.* Quin abionum admodum foret, sin totum Medicorum ordinem Impp. verbis: *nec non etiam Medicos*, significasse crederemus, quoniam ita, quum Archiatri populares appellatione eorum, *qui in S. Palatio inter Archiatros militarunt*, non comprehendantur, dandum esset, eos majorem cœterorum Medicorum, quam Archiatrorum popularium, rationem habuisse. Communicarunt tamen eadem privilegia cum Comitibus Archiatrorum, illaque & ad horum omnium liberos atque uxores pertingere voluerunt, per *l. 11. C. de Prof. & Med.* v. GOTHOFRED. *Comm. ad l. 10. Cod. Theod. de Med. & Prof. T. v. p. 39.* STRUV. *Syntagm. Jurispr. Exerc.* L. *Th.* 73. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph. 20. p. 22.* BOOT *Diss. de privil. Med. C. 11. §. 9. seqq.* Hanc itaque ex dictis colligimus summam, quod, quum hæ immunitates non aliis, nisi Archiatris, Comitibus Archiatrorum, &, quos istis similes fuisse probavimus, Periodeutis, ratione officii, indulta sint, nec hodie ea Medicos, nisi qui paria fere obeunt munera, sibi vindicare posse. At, quum in eorum locum hodie fere Medici Aulici, Professores & Physici, successerint, quod ex iis, quæ §. LXIII. & *seqq.* dicta sunt, apparere puto, hinc hoc Seculo vix alios ad hæc privilegia adspirare posse existimo. v. TABOR *de metat. & epidem. Part. III. Sect. I. c. 2. Art. 2. §. 6. Opp. T. I. p. 90. seq.* Si singularum provinciarum circa has immunitates placita excutere vellem, nescio sane, an magnam a B. L. initurus essem gratiam, quandoquidem maxime in privilegiorum argumento fortissima consuetudinis vis est. Quare monuisse sufficiat, Physicum a Camera Imperii conductum, iisdem, quibus Supremi hujus Tribunalis membra, privilegiis & immunitatibus frui. v. BLUM. *Process. Camer. Tit.* XX. *§. 4.*

§. XCV.

§. XCV.

Quoniam autem iniquissimum foret, illa, quæ Jura in alicujus favorem invexerunt, in ejusdem odium detorquere: hinc factum est, ut, licet Medici a muneribus excusarentur, ab honoribus tamen volentes non arcerentur, quam in rem Constantinus Imp. in *l. 1. Cod. Theod. de Med. & Prof.* ita sancit: *Fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.* Quodnam munera & honores inter sit discrimen, non est hujus loci excutere; at illud utique observatu dignum videtur, quod, quum, etiamsi cui muneris publici vacatio data, honores tamen non remissi essent, per *l. 12. ff. de mun. & hon.* in Medicis id singulare obtineat, ut hi neutrum, neque munera, neque honores, inviti suscipere cogantur. v. GOTHOFRED. *Comm. ad l. 1. Cod. Theod. de Med. & Prof. T.* v. *p.* 24. *&* 25. ZAUNSCHLIFFER. *de privil. Profess. Aph.* 6. *p.* 8. *seq.*

§. XCVI.

Hæc itaque illa sunt, quæ super hoc argumento præcipue differenda esse memini. Mos in Academiis receptus, quum Doctoris ambirem privilegia, huic deproperatæ opellæ dedit natales. Sin ei adeo licet esse felici, ut æquus Lector illam ita ferat, ne magis limata & digesta, ubi Deus meliora concesserit otia, exspectare gravetur, voto meo affatim erit satisfactum, & abunde, quod mihi gratuler, habere existimabo.

T A N T U M.

CON-

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

PROOEM. Medicina olim a Regibus ſacta. Ejus laudatores & vituperatores. Opellæ hujus occaſio. Scriptores ſimilis argumenti. Ratio ordinis.

CAP. I. DE SIGNIFICATIONE VOCUM: MEDICUS, HONOR, PRIVILEGIUM, JUS SINGULARE. §. I. Ἰατρός Medicum Chirurgum ſignificat. Vocum ἰατρική, & σακτάν, qua Thebani Medicum vocant, origines. §. II. *Medici* vocabulum olim & morbos & vulnera curantes complectebatur. Singulorum corporis membrorum Medici. Rhodius notatus. Medici Clinici. Clinici in priſca Eccleſia. § III. Medici Chirurgi; frequentiores ex iis Ophthalmici ſeu Ocularii. Collyria cur in inſtrumento Medici legato cenſeantur in *l.* 18. §. 10 *ff. de inſtr. & inſtrum. leg.* Aliud Medicorum Ocularìorum genus. §. IV. Medici dentium, aurium, fiſtularum. Medici olim quandoque ad venas ſupplicii cauſſa incidendas advocati. Medici gladiatorum & ludorum. §. V. Obſtetrices Medicæ vocatæ. Diſcrimen inter pharmacopolas & pharmacopœos. Hi erant Medici, iſti fæx hominum. §. VI. Medici exſecantes & circumcidentes. Venefici non Medici, ſed Medicamentarii, vocabantur. *Medicamentum*, φάρμακον, *virus*, *venenum*, ſunt voces ἐκ τῶν μέσων, quæ tamen ſæpe addita aliqua voce ad certum ſenſum rediguntur. Exorciſtæ non ſunt Medici *l.* 1. §. 3. *ff. de extraord. cogn.* Medicinæ magicæ & per carmina. Cato harum ſtudioſus. Medici magici. Magorum nomen olim hono-

norificum & Philoſophis Orientalibus proprium. Medici incantatores. *Exorcizare* quid? §. VII. Quando Chirurgorum & Medicorum partes ab invicem ſeparatæ? § VIII. Quando Medici morborum *Phyſici* dici cœperint? Phyſici Urbici & Provinciarum unde nomen traxerint? §. IX. Vernacula vox Artzt neque ab ἰατρός, neque ab ἀρχιστος, ſed ab *Artiſta*. Magiſtri Philoſophiæ ſequiori ævo Artiſtæ audiebant. Origo graduum Academicorum. Theologi ſæpius olim Magiſtri, non Doctores, dicebantur. Magiſterii honores diutius in Medico & Philoſophico, quam cœteris ordinibus, ſubſtitere. §. X. *Honor* quid? Virtutis & Honoris Romæ junctæ gemellæ ædes. Τιμή apud Athenienſes quid? *Honores* τιμή & δῶρα, ſacrificia. *Honor* & τιμή pro magiſtratu & imperio. Τίμιος, Dominus, quibus titulis tam in Græcia, quam Romæ, ſuperiores ſalutabantur. *Honor* pro ſignificatione reverentiæ. Gallicum: *compliment*, unde? Deæ Honoris ſacra. *Honores* an dicantur proventus agrorum? § XI. Dona *honores* vocantur. *Munus* an & honorem, qui ab obſequio proficiſcitur, deſignet? *Honorati* & *honorarii* in teſtamento. Divites *honeſti* & τιμητοί, τιμή *cenſus*. Cenſuales claſſes Athenienſium cur τιμήματα dictæ? Magiſtratus & Urbes unde die Ehrbahre vocati? §. XII. Τιμή, *honor*, *honorarium*, pecuniam, mercedem, præmium valent. Τιμή ἀπὸ τοῦ τίειν. *Honor* an ab ὠνεῖν; Profeſſoribus & liberalium artium Doctoribus merces non exſolvitur, ſed honorarium. Honor, honorarium, μισθὸς, τιμή, δίδακτρον, Minerval, χάρις, σῶστρον, ἰατρεῖον, ἴατρον. Χάρις plus quam gratiarum actionem ſignificat. *Luc.* VI: 32. §. XIII. *Privilegii* etymo-

etymologiæ. *Privilex*. *Priva* olim dicebantur singula. *Privilegium* quid? §. XIV. Privilegia duplicis generis. Defenditur contra Thomasium, dari privilegia odiosa. Lex XII. Tabb. *Privilegia ne inroganto*, explicata. Cicero *privilegii* vocabulo plerumque in deteriorem partem utitur. Odiosorum privilegiorum exempla. Theodosii de iis Constitutio in *l*. 20. *Cod. de pœn.* §. XV. Privilegia benefica. Eorum exempla. Νόμος, *lex singularis*. Discrimen inter privilegia & jura singularia. Horum exemplum.

CAP. II. HONORES, PRIVILEGIA ET JURA SINGULARIA MEDICIS TRIBUTA HISTORICE ENARRANS. §. I. Deus Medicinæ auctor; etiam testimonio Paganorum. §. II. An, & quæ scientia Medica Adamo, Patriarchis & Josepho fuerit? Quinam Josephi servi Medici *Gen.* L: 2. Pollinctores Ægyptii non computabantur inter Medicos. Josephus an ab Ægyptiis divinis honoribus, sub Hermetis Trismegisti, aut Isidis, Apis & Osiridis emblematibus, cultus? §. III. An Moses medicinam in Ægypto didicerit. Num inter Hebræos eam fecerit? Apud Hebræos, ex Ægypto reduces, pleræque curæ miraculo factæ, empiricæ, aut superstitiosæ fuere. De Esdræ, Agrippæ & Syracidis scientia Medica. *Syrach.* XXXVIII: 1. explicatus. Judaizat nonnunquam. Judæorum de Medicina canon. Judæi medicinas magicas licitas credebant. Pueri Molocho offerendi Salamandræ oleo uncti. An Salomo medicinæ operam dederit, de ea librum scripserit, & Chiskias hunc occultaverit? Chiskias an librum medicamentorum exaraverit? Medici Hebræo-

rum Deo exoſi. In horum ſcholis præter legis ſtudium vix quicquam docebatur. De Medici, qui inter Præfectos Sanctuarii xv. recenſetur, officio. Goldaſtus notatus. *Ezech.* XLVII: 12. explicatur. Orientales populi utebantur unctionibus ad tuendam valetudinem. §. IV. Ægyptus artium mater. An & Medicina apud Ægyptios reperta ab Apide, amplificata ab Æſculapio? Medicinæ peritiores Ægyptii divinis afficiebant honoribus. Apis idem cum Serapide & Oſiride. Mizraimus, an idem cum Chamo, Apide & Oſiride? An Iſis, Apis & Oſiris, cum Joſepho iidem? Num Apis Æſculapius, aut Apollo? De Apidis ἀποθέωσι § V Iſis complures medicinas invenit. Dea habita. Num Iſis terram, ſeu rerum naturam, an Lunam deſignaverit? Orus ob vaticinandi & medendi artem Deus eſſe juſſus. Num is Apollo aut Miphlezet? Æſculapius Memphites ob medicam ſcientiam divinitate donatus. Jachen Medicinis clarus, ex cujus ara, ingruente peſte, ignis accendebatur. An ex Sacerdotum Collegio fuerit? §. VI Controverſia Conringium inter & Borrichium, num Hermes Medicinam invenerit? De hujus ſcriptis adulterinis. Iſis ab eo erudita. Hermes an idem cum Aſthoti, primo Thinitarum Rege, aut cum Joſepho? Num Kyrannus Hermetis doctrinas ferreæ columnæ inſcripſerit? §. VII. Ad multas curas faciendas homine a rebus Veneris alieno opus credebatur. Sacerdotes in Ægypto callebant medicinam. Quare iis hæc ſcientia relicta, hique eam celaverint? Sacerdotum Ægyptiorum honores & emolumenta. Petebant medicinam ex obſervatione animalium, ex triviis & templis: De ritu gentium Orien-

Orientalium, & Occidentalium quarundam, exponendi ægrotos. *Depositi*, de quorum salute desperatur. De conscriptis in templis remediis, & incubatione in iis. De sanatione per somnia, seu χρηματισμόν. §. VIII. Reges Ægyptii Medicinæ studiosi. De Necepso, Petosiri & Polydamna. De vitiis Medicinæ Ægyptiorum, & institutis circa eam promovendam. Alexandrina Medicorum schola celeberrima. §. IX. Ante Trojam eversam jam lauta Medicorum in Græcia conditio. Homeri elogia Medicorum. Græca scommata in eosdem. Arcades non utebantur medicaminibus. Colebatur antiquitus vix Medicina, nisi intra Regum Palatia. Erat apud Græcos inter artes liberales, & plurimum cum Philosophia jungebatur. §. X. De lege Atheniensium, ne servi aut feminæ Medicinam discerent. Servi apud eos in numero rerum. Discebant tamen Dominos consectando, qui extra Astum medicinam aliquando faciebant. Ratio, cur fœminis medicina interdictum. Scytharum & Eliacæ mulieres Medicæ. Aptæ sunt fœminæ ad medicinam faciendam. Thessalæ mulieres, veneficæ; artes Æmoniæ, earumque Præses Dea Hecate. Athenienses sanationes magicas aversabantur. Neandri error. Quare dictæ legi derogatum? §. XI. Medicina ex cœlo esse credita. Medici Deorum filii nuncupati. Μαῖα, *obstetrix*, honoris præfamen. Εἰλείθυιαι, *obstetrices*. Juno Lucina parturientium Dea tutelaris. Medica arte claros facile inter Deos locabat Græcia. Minerva Hygiea, Σώτειρα, Pæonia & Medica. Cybele Medicinæ Dea. Num ea Isis? A Diana Artemisia inventa: inde Σώτειρα & Sospita dicta. Juno ἐξακεστήρια, Sispita, Sospi-

Sofpita, Confervatrix, Opifera. De Hepione & Oenone. §. XII. Bacchus cur Medicus creditus? Hygiates vocatus. Prometheus Medicinæ inventor. Item Mercurius; Σῶκος, Arcecius, Maximus Confervator Orbis dictus. Ab Hercule herbæ medicæ inventæ. Arabus medicinas repperit. De Telefphoro, Jove Sofpitatore & poculo Jovis Servatoris. De apparitionibus Deorum in fomniis. Σωτήρων & Σωτειρῶν elogium plurium Deorum. §. XIII. Præcipuus Medicus Deus Apollo. Medica ars ab eo Apollinea & Phœbea. Quis hic Apollo? Unde ita dictus? Apollo ἰητρός & Medicus. Ejus ædes Romæ. Plura Apollinis elogia. Ejus ἀμφιλάφεια. Apollo ἰατρομαντεύς. Cur vaticinandi & medendi artis parens creditus? Apollo Pæon. Pæon non diverfus ab Apolline Deus. §. XIV. Chironis parentes. Cur Hippocentaurus creditus? Unde nomen traxerit? Chirurgicæ & herbariæ Medicinæ præprimis auctor. De ejus honore poft mortem. De Ocyrrhoë, & nonnullis Chironis difcipulis. §. XV. Æfculapius a Chirone eruditus. Nominis etymon. Num artem Græciæ intulerit? An Clinices auctor. Ἀσκληπιάδαι Medici dicti. Æfculapii medicina magica, & lex medendi. Quosvis fanabat. Ejus fcripta Medica & elogia. Ἔφορος τῆς ἰατρικῆς, Archiater, Medicorum Princeps; Ariftophani σκατόφαγος, audit. Cur mortuos fufcitaffe, & a Jove fulmine ictus, creditus? Aftris infertus, & divinitate donatus. Quando coli cœperit? Per eum jurabatur. Ejus lucus in infula Co. Plurima illius templa. In iis remedia confignata, & donaria fufpenfa. De ejus ftatua Epidauria. Fontes, unde plura de eo peti poffunt, indicantur.

§. XVI.

§. XVI. Æſculapii filiæ Medicæ, Ægle, Aceſo, Jaſo, Hygeia, Panacea, Roma. An ab hac Roma condita? Quatuor ultimæ Divis annumeratæ Hygea in iis præcipua. Æſculapio plurimum jungitur. Sol Æſculapius & Hygea junctim in inſcriptione. Quando de Hygea, quando de Salute Dea antiqua monumenta accipienda? De pentagono, Hygeæ ſymbolo, & poculo Salutis. De Melampi Arigivi ſcientia Medica De habito ei ab Anaxagora honore, & templo illi dedicato. § XVII. Medicina Heroum erat empirica & Chirurgica. Medici caſtrenſes hoc ævo nondum cogniti. Heroës carminibus & incantationibus multum tribuebant. Dolomedes Jaſon a Chirone præceptore vocatus. De Medeæ, Circes & Anguitiæ medicina herbaria. Honores Podalirio a Damætho habiti. Neandri lapſus. Machaoni immunitas conceſſa. De utriusque cultu. De Nicomachi, Gorgaſi, & Polemocratis, apotheoſi. Unde Achilli nomen? Num omnes Achilles illuſtres fuerint? Achilles Chironis diſcipulus. Diæteticæ inventor. Inter Deos collocatus. Patroclus ejus diſcipulus Reliqui Chironis diſcipuli. De Agamedæ peritia medica. §. XVIII. Honores in Democedem collati. Empedoclis ſcientia medica. A Siculis ei regnum oblatum. Deus videri cupiens, in Ætnam ſe dedit præcipitem Mox Deus creditus. Democritus Hippocratis præceptor; Medicinæ peritus. Honores ei exhibiti. Hippocratis genus, & jusjurandum. Medicinæ Clinices, ex Æſculapii templo Coo, reſtaurator. Remedia in templis ſcripta. Hippocrates pauperes gratis curabat. Petrarchæ in eum jocus. Quare, & num recte, Artaxerxi operam negaverit?

 rit?

rit? Persarum Reges adorandi erant. Hippocrates Perdiccæ carus. Honores a Græcia ei habiti. De ejus laudibus. §. XIX. Dexippus pacis arbiter. Suidas tentatus. Herophili secta. Num a Phalaride honoratus? Hujus Epistolæ falsi suspectæ. Aristoteles Amyntæ Medicus. Philippi, aut Alexandri, in eum favor. Menecratis fastus a Philippo repressus. Alexander Medicinam amavit. Ejus fiducia in Philippum. Theophrastus ultra bis mille Auditores habuit. Stanlejus notatus. Erasistrati prudentia. A Ptolomæo large donatus. Drelincurtii error. Apollophanis auctoritas apud Antiochum. Apollophanes in Smyrnæorum nummis. §. XX. Porro dicendorum ratio redditur. Non omnibus gentibus eadem honesta & turpia. Majoribus Advocati exosi. §. XXI. Caussæ cur Medicina Romæ primis temporibus neglecta? Romana Resp. ad bellum composita. Cur eloquentiæ Romæ dignitatis principatus datus? Agricultura ars Optimatibus Romanis olim probata; mox in luxum ruebant. Medici ejus ævi tenaciores. Boekelmanni convitia expensa. Romanorum suspicio, Græcos in necem suam conjurasse. *Barbari* qui? Pyrrhi Regis Medici flagitium. Plures Medici veneficiorum hoc tempore ministri. Catonis odium in Medicos; postea tamen depositum. Ratio ejus odii. Cato Scipioni infensus. Hujus eruditio. De incubationibus Romæ in templo Apollinis, Æsculapii & Minervæ. Febris fanum, & Orbonæ ara. Pili Diis inferis positi. Pilæ compitales. §. XXII. An Roma ultra sexcentos annos Medicis caruerit? De Archagatho A. U. C. DXXXV. Romam veniente. *Carnifices Medicorum* qui? An ab

V. C.

V. C. jam Medici Romæ fuerint? Fuere minimum a Sec. IV. Fabula de exilio Medicorum. §. XXIII. Quæ & quotuplices artes liberales Romanorum & Græcorum? Medicina inter quasnam fuerit? *L. ult. ff. de jure immun. l. 4. §. 2. ff. de decret. ab ord. fac. l. 1. pr. ff. de extraord. cogn.* & *l. 1. C. de decret. Decur. l. un. C. de stud. liber. Urb. Rom. & Constantin.* explicatæ. Scholæ Medicorum Romæ. Medici, Magistri liberalium artium, & Professores sæpe conjunguntur. §. XXIV. Num omnes Medici Romæ servi fuerint? Num plerique? Num omnes Medici servi Chirurgi, Ocularii &c. tantum fuerint? An omnes Medici ingenui aut liberti fuerint? Servi diu fecere Medicinam. Hertii error. Non soli ingenui fecere Clinicen. Decimius P. L. Eros. Ant. Musa. Lotiones in febribus. Ingenui fecere etiam Chirurgicen. §. XXV. Fecere & ingenui Romæ medicinam. Quæstus ex mancipiis. Medici fere primi inter servos. *L. 3. C. Comm. de legat. L. 1. §. 5. C. de comm. serv. manum.* expositæ. Medicorum libertorum conditio. Aliquando Superpositi aliorum & Seviri Augustales facti. Judicium de Medicina ingenuorum & servorum. *Imperare* ægri Medico, sed & Medicus ægro, dicitur. Lectio *l. 26. ff. de oper. libert.* §. XXVI. De Medicorum & Medicinæ apud Ciceronem, Pompejum, & M. Antonium, existimatione. §. XXVII. J. Cæsaris in Medicos favor. Item Augusti. Hujus *amicus* Artorius Marcus. Principum *amici* qui? Honores Ant. Musæ ab Augusto & S. P. Q. R. habiti. Ἀτέλεια quid? Annulis aureis quibus uti licuerit? An Medicinæ Doctorum annulus ab Augusti ævo repetendus? Quæ *mutæ artes*

 apud

apud Virgilium? Diverſæ variorum ſententiæ. Nova proponitur. §. XXVIII. Tiberii, Claudii, & Neronis in Medicos animus. Medicorum ejus temporis honoraria. §. XXIX. De Medicorum conditione ſub Veſpaſiano, Tito, & Trajano. Petavii error. Galeni honores. Sponius notatus. §. XXX. Adriani affectus in Medicos, Alexandriam, Athenas, & Athenienſium ſtudia. Antonini Pii in iſtos favor, & de iis leges. Ἰατροσοφιστῶν ſcholæ Alexandrinæ natales. §. XXXI. De Medicorum conditione Antonino Philoſ. Commodo, Severo, Caracalla, Alexandro, Gordiano Jun. Aureliano, Diocletiano & Maximiano imperantibus. §. XXXII. Conſtantini M. leges in Medicorum commoda latæ. An medicinam calluerit? Juliani in Medicos ſtudium. Æſculapium & Serapidem impenſe venerabatur. Privilegia ab eo Medicis conceſſa. Ejus contra Chriſtianos ſtratagema. §. XXXIII. Valentiniani, Valentis, & Gratiani in Medicos benevolentia, atque de iis Conſtitutiones. §. XXXIV. Marcelli penes Theodoſium M. auctoritas. Hujus & Valentiniani atque Arcadii, nec non Honorii & Theodoſii Jun. ut & poſtea Valentiniani III. de Medicis Sanctiones. §. XXXV. Geſii divitiæ & honores, Zenone imperante. Juſtinus num Medicinæ peritus? Juſtinus ἀναλφάβητος, contra Petavium. De Medicorum Juſtinianei ævi conditione. Juſtinianus Medicis parum æquus. Mox annonas reſtituit. §. XXXVI. De Medicis medii ævi. In Ruſſia haud ita pridem nulli, in Suecia & Dania pauciſſimi Medici. Scotorum Reges medicinæ operam dedere. Oxoniæ Doctores Medicinæ Doctoribus Juris præferuntur. Num Drui-

Druides medicinam fecerint? §. XXXVII. In prima Ecclesia pleræque curæ fiebant miraculo, ut dæmonum expulsio, sanatio per manuum impositionem, aut oleum sanctum. De Medicis in Sanctorum ordinem relatis. Clerici olim faciebant medicinam, quæ postea iis interdicta. Reliqua Canonum de Medicis placita per cumulum.

CAP. III. QUO PRIVILEGIA ET JURA SINGULARIA MEDICORUM JURIDICE EXPONUNTUR. §. I. Divisio dicendorum.

SECT. I. *DE PRIVILEGIIS ET JURIBUS SINGULARIBUS ODIOSIS MEDICORUM.* §. II. Delicti definitio & divisio; & porro explicandorum ordo. §. III. Anomalia in Medicis circa culpæ præstationem. Tenentur de levissima. *L.* 11. *pr. ff. ad L. Aquil.* lux. Imperitia in artem profitente culpa. §. IV. Criteria Medici periti varia. Exempla ex Jure. Ea non nimis rigide exigenda. Medicina ars, non scientia. Non sunt imperiti, qui σμικρὰ ἁμαρτάνειν dicuntur. §. V. Quis Medicus imperitus? Imperitos non juvat, se omnia κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν perfecisse. Imperiti sunt agyrtæ, aniculæ, Clerici & Monachi, Judæi, Chirurgi morbos curantes, tonsores. Quando Medico quoad peritiam mors ægroti non imputanda? §. VI. Diligentis Medici criteria. Negligentia culpa est. Remedia recte paranda. Bremensis constitutio. Medicus advertat, ne Pharmacopœus peccet. Non facile ab ægroto discedat, aut plane eum derelinquat. §. VII. Medicus negligens est, qui venire detrectat. Quando cogi possit? Par caussa est, si per internuncios aut epistolas ægro-

ægrotum curet. An eadem obligatio tempore peſtis? §. VIII. Plane non, aut non commode & rite, in Jure paria ſunt. Negligentibus connumerandi Medici e longinquo ſpectantes; juſtum tempus curæ non impendentes; loquacitate ægro moleſti; inter ſe ipſos digladiantes, aut, quo minus alius ſibi adjungatur, obluctantes. Bremenſis eam in rem Conſtitutio. §. IX. An Medicina depoſitis deneganda? Medicina ars magnam partem conjecturalis eſt, non ſcientia. Etiam inviti curandi. §. X. Mortis cauſſam præbet ægrotum deſerens. Alexander M. defenſus. Juris Canonici principium, de non curando Clericum non advocante, impugnatur. Medicorum delicta mox ad culpam, mox ad dolum, propius accedunt. De Medicis morbum verbis aggravantibus, protrahentibus, aut irritantibus. §. XI. DD. poſtulata circa Medici officium expenſa. Quando Medico mortalitatis eventus non imputandus? Exempla Medicos ſanare non valentes occidentium. Æquitas *l. 6. §. 7. ff. de off. Præſ.* §. XII. Num Jura Medici imperitiam vero delicto comparent? Evincitur contra Huberum & Wiſſenbachium; rationes reddi non poſſe, ſi judex male judicans, quaſi, Medicus imperite ſecans verum delictum committeret. Medicorum munus erat publicum; nec voluntarium. Non abſolute verum, judicis dignitatem majorem eſſe, ac Medici. §. XIII. Imperitia & negligentia Medici quaſi delictum eſt. L. Aquiliæ auctor, natales, capita. Occaſio, cur ea de Medicis cautum? Non omne damnum L. Aquilia notatum ad vera delicta pertinet. Quaſi delicta ex culpa, ſine proæreſi, ſunt. Actio de

dejectis

dejectis ex L. Aquilia eſt. *pr. Inſt. de Obl. quæ ex del. naſc.* & *§. 3. Inſt. de L. Aquil.* cum noſtra ſententia conciliantur. Judex male judicans non ſemper quaſi delicti tantum reus. §. XIV. Actionis conducti, olim contra Medicum datæ, fundamentum. Medici familiares. *Merces* operariorum eſt. Actio conducti contra Medicum quando obſoleverit? Actio ex L. Aquilia pinguior. Quando Medicus *occidere*, quando mortis cauſſam præbere dicatur? De actione ex L. Aquilia, in factum, & utili actione L. Aquiliæ. §. XV. Actio ex L. Aquilia mixta eſt. Natura & indoles tam directæ, quam utilis. §. XVI. Actio de damno dato quomodo ab illa L. Aquiliæ diſtet? Diſcrimen inter das Wehrgeld & die Buße. Wergeldum varium. Quantum Jure Saxonico? Wiſigothorum circa Medici culpam placita. Quomodo hodie Medicus culpa ſua læſo ſatisfaciat? §. XVII. Ex delicto naſcitur obligatio ad pœnam. Civilis actio pœnalem non tollit. Pœna Medici imperiti aut negligentis non ordinaria homicidii, ſed arbitraria, eſt. Varii ejus modi a DD. traditi recenſentur. Quando hereditate Medicus in pœnam poſſit privari? §. XVIII. Quare actionis contra Medicos non frequens uſus? Plures contra hanc actionem exceptiones. §. XIX. Publice intereſt, ne imperiti medicinam faciant. Exemplum. Leges & Conſtitutiones hac fini latæ laudantur. §. XX. Ampl. Senatus Bremenſis circa iſta cura. §. XXI. De veris Medicorum delictis. Eorum formæ variæ. Quædam per cumulum enarratæ. Singulare Veſalii exemplum. §. XXII. Quando Medicus perfidia peccans pœna arbitraria, quando ultimo

 ſuppli-

ſupplicio puniendus? Num arbitraria, qui petenti venena propinat? §. XXIII. Medicus perfidia occidens non homicidii, ſed latrocinii, pœna afficiendus. Poteſt eam Princeps mitigare. Poteſt & ob accedentes periſtaſes augeri. §. XXIV. Singulare eſt; quod Medico non liceat cum ægroto paciſci. Hippocrates a mercedis conſtitutione curæ voluit fieri initium. §. XXV. Traditur ratio *l.* 9. *C. de Prof. & Med.* quod ægrotus metu quidvis credatur promittere. Exempla Medicorum ab ægrotis ſtipendia aut dona extorquentium. §. XXVI. Indicatur altera, quia Archiatri annonas percipiebant, & publice conducti erant. Non pertinet *d. l.* ad omnes Medicos, nec eſt cum *l.* 3. *ff. de extraord. cogn.* plane analoga. Tertia, ne contractibus ægroti patrimonium exhauriant. Prohibentur arg. *d. l.* 9. etiam ſpontaneæ promiſſiones. §. XXVII. Rationes *l.* 3. *ff. de extraord. cogn.* Num ad Chirurgos ea non pertineat, nec ad morbos acutos, & ad ſolam emtionem? In *d. l.* jus generale conſtitutum. Reſcripti notæ. Exarari id ſolebat per modum epiſtolæ, quomodo & JCti poſt Auguſtum reſpondebant. §. XXVIII. Negatur contractus Medici cum ægro bona fide celebratos ſubſiſtere, nec reſcindi, niſi actore probante, Medicum ægri conſenſum metu extorſiſſe. Illuſtratur argumento ab Advocatis ducto, quibus nullatenus integrum, cum Cliente ante litem judicatam contrahere. §. XXIX. Extraordinaria perſequutione contractus Medici cum ægroto reſcinditur. Quando Medicus inſuper coërceatur? *Coërcere* quid? Quomodo Medicus legato privari poſſit? Bremenſis Conſtitutio circa vetita de mercede pacta.

§. XXX.

§. XXX. Contractus, quem ægrotus a Medico extorsit, cur subsistat?

SECT. II. DE PRIVILEGIIS ET JURIBUS SINGULARIBUS FAVORABILIBUS MEDICORUM.

§. XXXI. Ratio connexionis, & sequentium ordo. §. XXXII. Medicorum conditio jam olim quæstuosa. Advocati ob LL. Titiam & Cinciam quondam non poterant pecuniam aut munera accipere; at Juris Professores poterant, non tamen petere. Philosophis de honorario jus non dictum. Philosophi pretio docentes notati. §. XXXIII. Medicos honoraria licite capere, probatur. Exempla gratis sanantium. Ars Medica num spiritualibus accensenda? §. XXXIV. Medici honorarium non est merces. *Mercedis* appellatio olim sordebat. In *l. 1. pr. ff. de extraord. cogn.* & *l. 6. C. de Prof. & Med.* vitio Seculi Medici honorarium merces dicitur, siquidem & tractu temporis Advocatum inter & Clientem locationem conductionem intercedere creditum. Non mittendi indices sostrorum. (Auszüge) §. XXXV. Nec Medicus sit avarus, nec ægroti tenaces. Commendatur istis *l. 6. §. 3. ff. de off. Procons.* §. XXXVI. Exempla Medicorum opum nimis appetentium. Iis non accensendi, liberaliter donata accipientes. Magna sostra post sanationem oblata licet accipere, non petere, nisi ad probabilem quantitatem. §. XXXVII. Licita quantitas sostri, nisi legibus provincialibus statuta, arbitrio judicis definienda. Constitutiones, quibus ea circumscripta. §. XXXVIII. Num Medicus publice conductus a sanatis quid capere possit? Medici publice conducti a Massiliensibus. Item in Imp. Rom. Ex Sigismundi instituto etiam in Imp. Germ. unde forsan Physici provinciales & Urbici nati. Archiatris licebat a sanatis præmia capere. §. XXXIX. Num Medico liceat minoris, ac reliqui ejus loci, curare? Adjiciuntur quædam dubia per indicem. §. XL. Quando debeatur Medico honorarium? Num novum, si ejusdem morbi vis redeat? An

 nihil

nihil debeatur in morbis desperatis, nisi tales eos Medicus pronunciaverit? De vitanda acerbitate in exigendo sostro. Num diebus festis curare liceat, aut ex hujusmodi sanatione præmium capere? §. XLI. Quando absolute Medicus pauperibus gratis mederi teneatur, quando non æque? Quatenus idem in divite avaro obtineat, an & in discipulis egenis, an in Præceptorum liberis? Discipulorum mutua obligatio. Medici pauperibus gratis mederi detrectantis, eosve pecunia emungentis, pœna. §. XLII. Medicis, Chirurgis & obstetricibus, extra ordinem de honorario jus dicebatur. An & Pharmacopœis? Quid, hodie, quum omnia judicia dudum sint extraordinaria, circa sostra singulare obtineat? §. XLIII. Sumtus sepulchrales in Concursu Creditorum omne creditum præcedunt. Idem est in sostris ultimi morbi, ut connexis. Nam & mercedes famulorum in prima classe collocantur. Alicubi discrimen statutum inter sostra ultimi & reliquorum morborum. Illorum privilegia & ad didactra pertinent. Exspirant, si novatio facta. §. XLIV. Num annuum salarium integrum debeatur, etsi Medicus initio anni decesserit? §. XLV. Plurimæ caussæ forenses, in quibus Medicorum judicio standum, recensentur. §. XLVI. Exspectatur Medici testimonium de vulnerum lethalitate. Num Chirurgi judicium de vulnere magis quærendum, an Medici? §. XLVII. In judicio unus testis nullus testis, nisi in caussis quibusdam levioribus. Medici unius, maxime publice conducti, testimonium fidem facit, nisi diversum legibus Provincialibus cautum. Aliæ exceptiones adduntur. Unius periti in arte testimonium plene probat. §. XLVIII. Unicus Medicus probat, modo ne haud citatus se ingesserit, a judice rite examinatus & publico peritiæ duplomate munitus sit. Unde nec DD. bullatorum tanta fides. §. XLIX. Medici testimonium contrarii probationem non recusat. Quibus modis impugnari, reusque defendi possit? An & inde, quod vulneratus in publico comparuerit? An peritiorum judicio? Sin elisum; quomodo sententia revocetur? §. L. Singulare; quod

quod Medici ſcriptum teſtimonium ad Acta mittant. Num Medicis domum mittendum, ſin teſtimonium illuſtrandum, aut jurejurando firmandum? §. LI. Teſti non jurato non creditur. Medici ex intervallo jurant. Publice ea fini conſtituti ſingulas cauſſas jurejurando non firmant. An & ſufficiant juramenta in Academia, ubi Doctores renunciati, præſtita? Ea alicubi non adtenduntur. Quinam Medici jurare teneantur? Jurant ii de credulitate & veritate. §. LII. Medicorum teſtimonia ſuſtinentur, etſi non conveniant. Si Chirurgi & Medici diſſentiant; aut Medici inter ſe: quodnam tunc judicis ſit officium? §. LIII. Obſtetricum in variis cauſſis poſtulatur teſtimonium, Medici tamen earum fidei derogat. Cumulantur nonnulla, quæ DD. circa teſtimonium dicendum Medicis ajunt eſſe ſingularia. §. LIV. A teſtimonio dicendo nemo excuſatur; præter illuſtres per *l. 16. pr. C. de teſt.* Num ex *d. l.* Comites Archiatrorum, Medicis corporis ſimiles? Quomodo ad Comitivam emergere potuerint? §. LV. Num Comites Archiatrorum fuerint Illuſtres, an Spectabiles? Æquantur Vicariis. §. LVI. Oſtenditur, labente Seculo hos dignitatum gradus turbatos eſſe, unde forſan & quidam Comites Archiatrorum ad *l. 16. C. de teſt.* privilegium pertinuere. Emeriti eodem, quo antea, gaudebant jure. §. LVII. Comites Archiatrorum primi ordinis erant modo Clariſſimi, *l. 2. C. de privil. ſchol.* adeoque a teſtimonio non excuſati. An ii, qui honorarios Codicillos impetraverant? Archiatri ad *l. 16. C. de teſt.* non potuere adſpirare. §. LVIII. Rationes, cur forſan Comites Archiatrorum a teſtimonio dicendo excuſati? *Forma* & *ſacra forma* quæ fuerint? De divinis ab Impp. uſurpatis titulis, eorumque origine. Cur Illuſtres non omnino a teſtando excuſati? §. LIX. Cur dicta ad eos, qui hodie ſunt, Archiatros non pertineant? Doctores Nobilium privilegiis fruuntur. §. LX. Medici & Chirurgi a judice interrogati tenentur ad teſtandum de ſecretis iis ab ægrotis indicatis. Medicus licite erga ægrotum falſiloquiis utitur, illumque

que circumvenit; nec obligatur, ut ei vitæ periculum declaret. §. LXI. Gothofredi ſententia, Medicos fori privilegio non uſos eſſe. §. LXII. Archiatri etymon. Archiſynagogus, Ἀρχιτελώνης. Architriclinus. Serviles Medicorum familiæ habebant ſuos præpoſitos. §. LXIII. Archiatrorum officium. De Archiatris Romæ & Conſtantinopoleos. Probatur, eos artem docuiſſe. §. LXIV. Quis *Ordo* ſit, a quo Archiatri probandi erant? §. LXV. Archiatri novitii ultimum locum conſequebantur. §. LXVI. De commodis dignitatis Archiatriæ. Annonas Præfectus Urbis iis dividebat. Archiatri pauperes curare tenebantur. §. LXVII. An Medici primorum Cæſarum jam Archiatri dicti? Archiatrorum Palatinorum tituli. Quodnam Ex-Archiatris & Exiatris munus fuerit? §. LXVIII. Comitum titulus in aula Impp. frequens. Quando Archiatriæ Comitiva nata? Ea non ſola dignitatis nota. De Comitis Archiatrorum officio. §. LXIX. Quidam Comites Archiatrorum ſolum Imp. judicem videntur agnoviſſe, aut, ex mandata jurisdictione, ſacrum cognitorem. Probatur hunc fuiſſe Magiſtrum Officiorum. Plura circa hoc privilegium. Emeriti jura ſua retinebant. §. LXX. Alii Comites Archiatrorum coram Magiſtro Officiorum conveniendi erant. §. LXXI. Eodem foro & Archiatri, præterquam in provinciis delinquentes, uſi eſſe videntur. §. LXXII. Ergo utique *l. 6. C. de Prof. & Med.* fori privilegium indulget. §. LXXIII. Negatur *d. l.* idem cœteris Medicis tribuiſſe. Vocula *maxime* expenditur. §. LXXIV. Quo fori privilegio hodie Medici corporis & Aulici, qui Comitibus Archiatrorum & Archiatris Palatinis aſſimilantur, gaudeant? §. LXXV. Item quo, & quatenus Profeſſores, qui in Archiatrorum Urbium locum ſucceſſiſſe videntur? §. LXXVI. Archiatrorum & Medicorum caſtrenſium, Reip. cauſſa abſentium, bona præſcribi nequeunt. De teſtamentis in procinctu & tempore peſtis a Medicis conditis. §. LXXVII. Auguſtus Medicis immunitatum auctor. Illæ poſtea ad nonnullos Medicorum ordines

nes adstrictæ. §. LXXVIII. Περιοδευτȣ appellatio honorifica. Quomodo interpretanda? *Circumforanei* nomen olim honestum. Περὶ. Περίοδος. Ἐπισκοπή de Medicorum visitatione recte dicitur. Περιτρέχειν. *Perambulare.* §. LXXIX. Periodeutarum quodnam fuerit officium? §. LXXX. Περιοδευτής, *Visitator* in *l.* 42. §. 9. *C. de Episc. & Cler.* Ejus officium; forsan τȣ̃ ἐξυπνιαςȣ̃ muniis non dissimile. Conjectura, Periodeutarum institutum Ecclesiam a castris Romanis mutuo sumsisse. Περιοδία, Περιοδεία, Περιόδευσις, Περιοδεύειν. Periodeutæ hi unde ita dicti? Quibus ea sparta delegata? An cum Chorepiscopis iidem? Locus eorum in ordine Ecclesiasticorum. §. LXXXI. Parabolani a Medicis Periodeutis plane diversi. Parabalani. Variæ sententiæ de Parabolanorum nominis etymo. §. LXXXII. Parabolani ἀπὸ τȣ̃ παραβάλλεσθαι. Παρὰ, Παραβάλλεσθαι, Παράβολος, Παράβολα. Parabolani, confectores. Parabolanorum Alexandrinorum munus. Non erant Medici, sed ex Clericis. Eorum officium non sine emolumento videtur fuisse. §. LXXXIII. Discrimen Circulatores inter & Periodeutas. Horum technæ. Actio in eos prodita. A κυκλοῖς ita dicti. Κύκλοι. Periodeutis Judæi circumeuntes *Act. Ap.* XIX: 13. non assimilandi. Horum præstigia. Exorcistæ non sunt Medici, sed impostores, *l.* 1. §. 3. *ff. de extraord. cogn.* §. LXXXIV. Medici castrenses etiam immunes. Videtur unaquæque cohors Medicum aluisse. Chirurgis eadem immunitas tributa videtur. Plures ejus immunitatis rationes. Medici isti gratis milites curabant. Cura eorum Statibus lege Imperii commendata. §. LXXXV. Numerus Medicorum immunium ex Antonini Constitutione. §. LXXXVI. De Decurionum potestate circa immunitates Medicis tribuendas. Quis *Optimorum consensus* in *l.* 7. *C. de Prof. & Med.* Juliani stratagema. §. LXXXVII. Porro de Decurionum circa Medicorum immunitates potestate disseritur. Non fruebantur iis *ordine invito l.* 5. *C. de Prof. & Med.* Negligentes iis privari poterant, quod hodieque in Professoribus obtinet. In hunc censum non veniunt emeriti.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII. A muneribus extra numerum excuſati ἄγαν ἐπιστήμονες, in patria medentes & docentes, aut Romæ vel Conſtantinopoli. JCti Beryti & Conſtantinopoli docentes videntur æque immunes fuiſſe, nec obſtat *l.* 6. §. 12. *ff. de Excuſ.* §. LXXXIX. & XC. Munera perſonalia, a quibus Medici immunes, recenſentur. *L.* 6. §. 8 *ff. de Excuſ.* quibusdam in locis illuſtrata. §. XCI. Num Medici a muneribus patrimonialibus ante Conſtantini M. ævum immunes fuerint? Quædam enarrantur. §. XCII. A Conſtantini M. ævo Medici ab omnibus muneribus immunes. Quid *functio* in *l.* 11. *C. de Prof. & Med.* Immunes a tributis, cenſu emigrationis & vectigalibus. §. XCIII. A quibus tributis? Num & in caſu neceſſitatis? §. XCIV. Ad quosnam Medicos hodie hæ immunitates pertineant? Verba *l.* 11. *C de Prof. & Med. nec non etiam Medicos* explicantur. §. XCV. Ab honoribus volentes Medici non arcebantur, inviti eos ſuſcipere non cogebantur. §. XCVI. Epilogus.

F I N I S.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Lampe, Heinrich

Diss. hist. iur. de honore, privilegiis et iuribus singularibus medicorum

Groninga 1736

4 Diss. 489#Beibd.5
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10654976-5
VD18 14990962-001